UNIVERSITÄTS BIBLIOTHEK WUPPERTAL
BERGISCHE UNIVERSITÄT WUPPERTAL

Universitätsbibliothek Wuppertal

Q. Horatii Flacci Satyrae Omnes Qvae Extant

Horatius Flaccus, Quintus

Coloniæ Mvnatianæ, 1615

Satyrae

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

urn:nbn:de:hbz:468-1-1469

Visual Library

Q. HORATII FLACCI SATYRARVM LIBER PRIMVS.

SATYRA PRIMA.

Theticum.

Quòd ſuam quiſque ſortem aſpernetur ſtultiſſimè, & alienam, quæ ſibi multò videtur beatior, appetat avidiſſimè.

Qui fit, Mæcenas, ut nemo, quam ſibi ſortē
a Seu ratio dederit, ſeu fors obiecerit, illâ
Contentus viuat? laudet diuerſa ſequentes?
b O fortunati mercatores! grauis annis
c Miles ait, multo iam fractus membra labore.
2. Contrà mercator, nauim iactantibus Auſtris,
Militia eſt potior. 3. Quid enim? concurritur: horæ
Momento aut cita mors venit, aut victoria læta.
4. Agricolam laudat iuris legumq; peritus;
Sub galli cantum conſultor ubi oſtia pulſat.
5. Ille datis vadibus, qui rure extractus in vrbem eſt,
Solos felices viuentes clamat in vrbe.
6. Cætera de genere hoc, d adeò ſunt multa! loquacē
Delaſſare valent e Fabium: ne te morer, audi,
Quò rem deducam. 7. f Si quis Deus, En ego, dicat,
Jam faciam, quod vultis: eris tu, qui modò miles,
Mercator: tu, conſultus modò, ruſticus. g Hinc vos,
Vos hinc mutatis diſcedite partibus: h eia,
Quid ſtatis? nolint. Atqui licet eſſe beatis.
8. Quid cauſſæ eſt, meritò quin illis Juppiter ambas
Iratus buccas inflet? neque ſe fore poſthac
Tam facilem dicat, votis ut præbeat aurem?
9. Præterea, ne ſic, ut qui iocularia, ridens
i Percurram: k quanquam ridentem dicere verum
Quid vetat? ut pueris olim dant cruſtula blandi
Doctores, l elementa velint ut diſcere prima.
Sed tamen amoto quæramus ſeria ludo.
10. m Ille, grauem duro terram qui vertit aratro,
Perfidus hic caupo miles, nautæq;, per omne
Audaces mare qui n currunt, hac mente laborem
Sese ferre, ſenes ut in otia tuta recedant,
Aiunt, quum ſibi ſint congeſta cibaria: 11. ſicut
Paruula (nam exemplo eſt) magni formica laboris
Ore trahit, quodcunq; poteſt, atque addit aceruo,
Quem ſtruit, haud ignara, ac non incauta futuri:
12. Quæ ſimul inuerſum contriſtat Aquarius o annū,
Non uſquam prorepit, & illis utitur antè
Quæſitis ſapiens. 13. Quum p te neq; feruidus æſtus
Demoueat lucro, neque hyems, ignis, mare, q ferrū:
Nil obſtet tibi; dum ne ſit ditior alter:
Quid iuuat argenti te immenſum pondus & auri
Furtim defoſſâ timidum deponere terrâ?
Quod ſi comminuas, vilem redigatur ad r aſſem.
14. At, ni id fit, quid habet pulcri cōſtructus aceruus?
15. ſ Millia frumenti tua triuerit t area u centum:
Non tuus hoc capiet venter plus quàm meus: 16. ut ſi
Reticulum panis x venales inter onuſto
Fortè vehas humero, nihilo plus accipias, quàm
Qui nil portârit. 17. Vel dic, quid referat intra
Naturæ fines viuenti, iugera centum, an
Mille aret. 18. y At ſuaue eſt ex magno tollere aceruo.
Dum ex paruo nobis tantundē z haurire relinquas;
Cur tua plus laudes cumeris granaria noſtris?
19. Vt tibi ſi ſit opus aa liquidi non ampliùs urnâ,
Vel cyatho: & dicas: bb Magno de flumine mallem,
Quàm ex hoc fonticulo tantundem, ſumere: eò ſit;
Plenior vt ſi quos delectet copia iuſto,
Cum ripa ſimul auulſos ferat Auſidus acer.
20. At qui tantulo eget, quātō eſt opus, is neq; limo
Turbatam haurit aquā, neq; vitam amittit in undis.
cc At bona pars hominum, decepta cupidine falſo,
Nil ſatis eſt, inquit: quia tanti, quantum habeas, ſis.
21. dd Quid facias illi? iubeas miſerum eſſe libenter,
Quatinus id facit: ee ut quidā memoratur Athenis
Sordidus ac diues, populi contemnere ff voces
Sic ſolitus: Populus me ſibilat: gg at mihi plaudo
Ipſe domi; ſimul ac nummos contemplor in arca.
22. hh Tantalus à labris ſitiens fugientia captat
Flumina. Quid rides? 23. mutato nomine de te
Fabula narratur. Congeſtis vndiq; ſaccis
Indormis ii inhians, & tanquam parcere ſacris
Cogeris, aut pictis tanquam gaudere tabellis.
24. Neſcis, quò valeat nūmus? quem præbeat vſum?
Panis ematur, olus, vini ſextarius: adde,
Queis humana ſibi doleat natura negatis.
25. An vigilare metu exanimem noctesq;, dieſq;
Formidare malos fures, incendia, ſeruos,
Ne te compilent fugientes, hoc iuuat? horum
Semper ego optârim pauperrimus eſſe bonorum.
26. kk At ſi condoluit tentatum frigore corpus:

Aut alius casus lecto te affixit: habes, qui
Assideat; fomenta ll *paret; Medicũ* ll *roget; vt te*
ll *Suscitet, ac reddat natis carisq; propinquis.*
Non vxor saluum te vult; non filius: omnes
Vicini oderunt, noti pueri atque puellæ.
Miraris, quum tu argento post omnia ponas,
Si nemo præstet, quem non merearis, amorem?
27. *At si cognatos, nullo natura labore*
Quos tibi dat, retinere velis, seruareq; amicos.
Infelix operam perdas: vt si quis asellum
In mm *campo doceat parentem currere frænis.*
28. *Deniq; sit finis quærẽdi:* nn *quoq; habeas plus,*
Pauperiem metuas minùs, & finire laborem
Incipias, parto, quod auebas: nec facias, quod
Vmidius quidam (non longa est fabula) diues,
Vt metiretur nummos; ita sordidus, vt se
Nonunquam seruo meliùs vestiret: ad vsque
Supremum tempus: ne se penuria victus
Opprimeret, metuebat. 30 oo *At hunc liberta securi*
Diuisit medium fortissima pp *Tyndaridarum!*
31. qq *Quid mi igitur suades? vt viuã Menius? aut sic*
Vt Nomentanus? Pergis pugnantia secum
rr *Frontibus aduersis componere. Non ego auarum*
Quum veto te fieri, ss *vappam iubeo ac* tt *nebulonẽ.*
32. *Est inter* uu *Tanaim quiddã,* uu *socerumq; Visellii.*
Est modus in rebus: sunt certi denique xx *fines,*
Quos vltra citraq; nequit consistere rectum.
33. yy *Illuc, unde abij, redeo: nemõ' vt auarus*
zz *Se probet, ac potiùs laudet diuersa sequentes?*
10 *Quodq; aliena capella gerat distentius vber,*
*a *Tabescat? neque se maiori pauperiorum*
Turbæ comparet? *b *hunc atque hunc superare laboret?*
Sic festinanti semper locupletior obstat:
34. *Vt quũ carceribus missos rapit* *c *vngula currus:*
Instat equis auriga suos vincentibus, illum
Præteritum temnens extremos inter euntem.
35. *Inde fit, ut raro, qui se vixisse beatum*
20 *Dicat, & exacto contentus tempore, vitâ*
Cedat, uti conuiua satur, reperire queamus.
36. *Iam satis est, ne me Crispini* *d *scrinia lippi*
*e *Compilasse putes, verbum non ampliùs addam.*

Analysis Dialectica.

1. IN hoc toto Satyrico meditationis opere facilè obseruès hæc duo. vt stylum suum Poeta temperet ad ingenium & mores hominis redarguendi & monendi, quem si fortè præsenserit contumaciter repudiare morum castigationem, cum huiusmodi ingenio acrioribus argumentis conflictatur: Vel temerario & cæco impetu res humanas ferri ac misceri: Discrimen autem horum Philosophorum, & reliquorum Seneca tale statuit lib. quod in sapientem nõ cadit iniuria. *Tantum inter Stoicos, Serene, & cateros sapientiam professos interesse, quantum inter feminas & mares, non immeritò dixerim, cum utraq; turba ad vitæ societatem tantundem conferat: sed altera pars ad obsequendum, altera ad imperandum nata sit. Cateri sapientes molliter & blandè vt ferè domestici & familiares medici ægris corporibus, nõ quâ* 40 *optimum & celeberrimum est, medentur, sed qua licet. Stoici virilem ingressi viam non vt amœna intuentibus videatur, curam habent, sed vt quam primum nos eripiant, & in illum editũ verticem educant, qui adeo extra omnem teli iactum surrexit, vt supra fortunam emineat. At ardua per quæ vocamur, & confragosa sunt. Quid enim plano aditur excelsum? sed ne tam abrupta quidem sunt, quam quidam putant. Prima tantum pars saxa rupesq; habet, & inuij speciem, sicut pleraq; ex longinquo & speculantibus abscissa & connexa videri solent, quum aciem longinquitas fallat. deinde propiùs adeuntibus* 50 *eadem illa quæ in vnum congesserat error oculorum, paulatim aperiuntur, tum illis quæ præcipitia ex interuallo apparebant redit lene fastigium.* Contrà si quem fore docilem viderit; cum eo præceptis institutisque philosophiæ vt lenibus dolorum fomentis agere solet: Sic diuersa tenenda est via, alterius enim vitia emendanda, alterius autem frangenda sunt, vt ait Senec. Partibus inter se dissentaneis constat, enunciaturque primùm è loco diuersorum, quòd nemo viuat sua sorte contentus: conditionem autem aliorum quisque pluris faciat, quàm propriam. Deinde duplici causâ sortis humanæ; Ratione & Fortunâ illustratur. Rationis quidem nomine notare videtur Stoicos, qui omnia illius vi affirmabant confici: sed Fortunæ voce Epicureos: qui casu & temerè omnia fieri. Posteà illud dilatatur distributione ex attributis: quòd ex hominib⁹ sic malè habitis alius quidem miles sit, alius mercator, alius agricola, alius Iurisconsultus, alius rusticus, alius vrbanus: ἕκαστος ἢ τούτων μεμψ. μοιρᾶ. *horum autem quisq; de sua queritur sorte*, & *professione* vt cum Terentio verè 30 possint homines confiteri, in Phorm. act. 1. Scen. 3. id est, ita plerique ingenio sumus omnes, nostri nosmet pœnitet, Gallicè, nouæ sommes touæ de este nature, que nous ne pourons nouæ contenter & ordinairement estimens peu de chosos & que nous auonæ, ou scauonæ: quem locum Donatus interpretatur, nos ipsi contemnimus nostra, cui simile illud est Ciceronis Suæ quemq; pœnitet fortunæ. Sic Socrates docet Axiochum huiuscemodi querelas esse communes omnium planè hominum, ποίαν, ἔφη, οἰόμενος εἰσιέναι δυσιν, ἢ τέχνην οὐ μεμαθῆκα; *quod vitæ institutum ingressus aliquis, aut factitans artem, non conqueretur?* Καὶ τοῖς πόνοις χαλεπαίνει; non grauatè ferret præsentia? Quæ Philosophi sententiâ variâ & multiplici hominum distributione, vt hic, amplificatur, Opificum, Cerdonum, Nautarum, Agricolarum, Magistratuum, ac cuiusque generis reliquorum. Et quidem hoc est, quod Aristoteles disputat libris primis de moribus, & ad Nicomachum & ad Eudemum de vita Beata, vtrobique enim huiuscemodi querulas hominum sententias scribit esse puerorum, Ægrotorum, Insanorum, & aliorũ non dissimilis ingenij ac sensus: Caussa autem huiuscemodi expostulationis è cupiditate rei alienæ existit, vt Epist. 14. scribit: *Cui placet alterius, sua nimirũ est odio res.* Cuius quidem inconstantiæ imaginem Michael. Hospitalius Franc. Cancell. expressit in Epist. lib. 6. incepta, *Nolim me pigrum* &c. ad Barthol. Faium.

Hæc tu namq; Fai, sapienter, vt omnia: non quo
More alij vestra multi iactantur in vrbe:
Quos videas magis atq; magis noua munera semper
Appetere, atq; animum circum omnes ferre per artes
Incertum, ignarumq; sui. Sparta satiu æquum
Nemo sua oblatum retinet constanter amorem:
Quin simul optatam potuit contingere sedem,
Continuò cupit alterius succedere sorti.

Non dissimilis huic inconstantia diuitum & pauperum,

rum, mediocriumque hominum Epist. 1. l. 1. ad hunc versum, & deinceps notatur:

Iidem eadem possunt horam durare probantes.

At quoniam latissimè funditur hoc distributionis genus ex attributionibus rei cuiusque; infinitatem illius Poeta minimè persequitur, arbitratus satis magnam vim inesse in his paucis ad Thetici confirmationem. Ac primùm eâ re miles videtur adduci, ut de sorte sua queratur, *quòd se fractum & debilitatum senem animaduertat: mercatoriq; meliùs, quàm sibi esse conijciat:* quasi verò hæc querela non communis esset omnino hominum: quorum certè corpora multitudine annorum ingravescere & debilitari solent: quinetiam vita Mercatoris non languida, neque iners vllo tempore existimanda est, sed operosa, & aliquid semper moliens, de quo non minùs iusta posset esse illius expostulatio, quàm huius de militari.

2. Altera & contraria est mercatoris querela, *qui quãquam in maximo vitæ periculo, grauissimâque mercium suarum iactura versatur.* Pleonexia tamen omnem illi metum periculi adimit, Od. 1. l. 1. *mox reficit rates, Quassas, indocilis pauperiam pati.* Ita enim queritur e collatione maiorum, vt militia ipsi videatur mercaturæ faciendæ longè anteponenda.

3. Approbatio est πρὸς ἄκρον comparatæ ex attributa celeritate, vel fortiter & gloriosè in prælio moriendi, vel ex voluptate de hostibus triumphandi.

4. Tertiò expostulat patronus de iudicialibus molestijs, negotiisque forensibus, *quum e somno a cliente cõsultore excitatur summo manè ad patrocinium suscipiendũ:* atque tum soli agricolæ bene esse, sibi malè, se cum reputat. Cic. contrà in orat. pro Muræn. comparat Iurisconsultum cum Imperatore, & gloriam rei militaris plus afferre dignitatis ad consulatum adipiscendum, quàm illam iuris ciuilis ostendit: *Iurisconsultus,* ait, *vigilat de nocte, vt suis consultoribus respondeat: Imperator, vt eò, quò intendit, maturè cum exercitu perueniat: illum gallorum, hunc buccinarum cantus excitat,* &c.

5. Quartò rusticus vitæ suæ genus longè postponit vrbanæ.

6. Postremò longam distributionem intercidit, & e fine captat attentionem, ne singulatim omnia hominum genera molestè persequatur: quorum profectò omnium communis est hæc expostulatio e successu adverso votis, τὸ μὴ αὐτοὺς τὰ παρόντα ἀγαπᾶν, *illos præsentibus non esse contentos.* Ac certè Romani homines Horatij æquales potuerant didicisse à Græcis vatibus Gnomologis, maximeque à Theog.

Τολμᾶν χρὴ, τὰ διδοῦσι θεοὶ θνητοῖσι βροτοῖσι,
Ῥιδίως ἢ φέρειν ἀμφοτέρων τὸ λάχος,

Toleranda quæ Dii dant hominibus,
Aequoq; animo ferendam sortem vtriusq; siue boni, siue mali.

quod sublatâ polytheiâ, multitudine Deastrorum, est dictum Christiano congruenter. Eôdem poterat eosdem homines vocare illud Solonis, qui a rege Cræso consultus, an ipsi posset hominem aliquem beatum indicare, respondit: Possum equidem tibi nunc quendam nomine Aglaum proferre, qui nunquam e finibus agelli paterni egressus fuerat, atque illo contentus benè ac beatè illic vitam degebat, positis aliarum rerum omnium curis.

7. Ex superioribus argumentis perspicienda est nostri Poetæ summa prudentia in persuadendo, quod proposuit. Nam quum homines, quibus sua sors maximè displiceret, per se non possent, quamuis assiduè vota votis necterent, eam cum alia commutare; fingit id fieri ab aliquo Deastro, qui, vt causa duabus primis ratione & Fortunâ potentior huc accedit, ac potiùs fingit Poeta illum interuenire, ipsisque, quod vellent, concedere: contrà, illi mutatâ voluntate, rem jam concessam & impetratam nolunt. Estque hoc rationis genus e loco contradicẽtium petitum, atque sic apertiùs enunciandum: *Miles quidem, vt feliciùs viuat, vult esse mercator: hic verò contrà, eôdem spectans vult esse miles: neuter tamen vult oblatam alterius conditionem & professionem accipere, & suas mutare partes.* Hic animaduertit lector exemplum illius humanæ leuitatis scrurrilisque vernilitatis, cuius meminit *Seneca* sub initiũ Epistolæ 95. *multa videri volumus velle, sed nolumus* idem paulò pòst, *Sæpè aliud volumus, aliud optamus, id est, a Diis petimus, & verum ne Diis quidem dicimus: sed Dii aut nõ exaudiunt, aut miserentur. Qui si exaudirent, & annuerent, damna nobis sæpe maxima aut mala, quæ minime vellemus, darent.*

8. Poeta ex efficiente, quæ est in contemtione rei concessæ, & adjunctis metitur illum Deastrum affectibus hominum, qui solent irasci, quum quodab illis efflagitatum & concessum est, recusatur & negligitur.

9. Poeta secum cogitauit superiorẽ Deastri inductionem, vt rem ludicram a quibusdam accipi posse: ideóque videtur illam excusare dissimilitudine, quòd nolit sic rediculè hoc propositum tractare, vt qui solent iocosa, quam rursus, tanquam hîc minimè conuenientem, corrigit diuersâ collatione: *Quemadmodum,* inquit, *prudens doctor solet interdum inuitare blandiciis discipulum ad studium elementorum, tanquam ad quandam lusionem & illic mellitis placentis, & opere dulciario eum retinere: sic ego, dum te stultitiam, inconstantiam, insatiabilemq; hominum cupiditatem verè doceo, jocularia quædam, vt condimenta disputationis intermisceo, rei tamen veritate incontaminatâ:* vbi damnat obiter consuetudinem seriis rebus jocos inconsideratè miscendi.

10. Iam homines suprà nominati (vbi tamẽ pro mercatore reponuntur caupo & nauta) præter iuris peritum cupiditatem sibi objectam e specioso fine refellũt. *Toleramus,* inquiunt illi, *in iuuentute quemlibet laborem, rusticum, vrbanum, militarem, marinum & terrestrem, ἵνα φειδώμεθα τί τῆς γήρως χάριν καὶ τὰ ἐφόδια παρασκευώμεθα, vt aliquid senectutis ergò comparemus, viaticumq; comparemus, & ita facilius ingrauescentem ætatem in otio senili traducamus, rebus ad reliquæ vitæ cultum necessariis maturè reconditis.*

11. Confirmat proximam rationem similium collatione, quòd, dum in hac laboris, æstus, frigoris patientia obdurescunt, prouidam & industriam formicam imitentur. Hîc res præcedit: simile consequitur, variis bestiolæ factis & attributis amplificatum.

12. Poeta dissimilibus factis docet, exemplum formicæ falsò ab illis assumtum: quòd illa, vbi vertens annus & intractabilis atque iners hyems ediderit, quiescit & nusquam ex aceruo farris prodit, eóque parcè ac frugaliter vtitur abdita.

13. Ἀνταπόδοσις est e subiectis, adiunctis & effectis: Homines contrà nulli parcunt labori, nullum non subeunt vitæ periculum, mari, terrâ, hyeme æstate, modò pleonexiâ superent alios, & ingentem auri & argenti thesaurum in terrã defossum habeant, intactumque misere ac timidè conseruent cõtra furum insidias, vigiles ac inquieti. Meliùs quoque facerent sequentes apophthegma Biantis ἐφόδιον ἀπὸ νεότητος εἰς γῆρας αὐταλαμβάνε σοφίαν βεβαιότερον γὰρ τοῦτο τῶν ἄλλων κτημάτων.

14. Abusum diuitiarũ reprehendit ex adiunctis, alióque fine, atque partæ fuerant, quòd quicquid est coloris & pulcri in illis, vsu & sumtibus in res necessarias faciendis splendescere debeat, vti docuit C. Salust. Crisp. Ode 2. l. 2.

Nullus argent color est, auaris
Abdita terris inimice lamna
Crispe Sallusti, nisi temperato
Splendeat vsu.

15. Idem demonstrat e loco diuersorum: *Quanquam*, inquit, *tu mille frumenti medimnos congesseris*: pars consequens huius antecedentis simplex sic esset: *Non eos tamen venter tuus consumet omnes*: sed pro hac parium collatio reponitur sic pronuncianda: *Non pluribus tamen tibi videtur opus esse quàm mihi, qui tenues fortunas habeam.*

16. Idem exemplo seruorum venalitiorum demonstrat confirmato rursus paribus: *Ex illis*, inquit, *venalitiis, qui demensa portat omnium, non plus sumit inde, quàm qui nihil omnino portauit.*

17. Præterea, quia videt pleonectam suum de vitio ipsius non satis persuasum; premit illum alijs paribus: *quòd qui viuit congruẽter legibus naturæ, iuxtà tolerat vitam suam exercendo centùm terræ jugera, atque si exerceat mille.* Ferunt Marc. Curium Dentatum rarissimæ frugalitatis hominem distribuisse viritim populo quaterdena agri jugera, totidemque sibi assumsisse, atque dixisse, perniciosum fore illum ciuem, cui tot non sufficerent iugera. Itaque meritò notatus est à Cicerone M. Crassus, qui diuitem existimaret neminem præter eũ, cũius æs sufficeret exercitui alendo.

18. Diluit præterea objectam sibi a pleonecta voluptatem sumendi e magno cumulo, eodem genere argumenti: *quòd licet tantum haurire e paruo, quantum satis sit ad vitam sustentandam: Itaq; nihil est cur pluris faciat horrea sua, quàm mediocres cumeras.*

19. Ad confirmationem superiorum apponit exemplum e maioribus, quod item ex adjuncto vitæ periculo declaratur: *Si tu vis solùm vrnam vel cyathium aqua, eam mauis e magno flumine, quàm e fonticulo haurire tantundem: sed vnde accidit sæpè, vt turbidam feras, ac sæpiùs etiam subita eluuies hauriẽtem e magno fimbl cum ripa abripiat*: quale profectò exitium vsu venit consectantibus semper maiora, mediocribus neglectis, quod minimè solet accidere ijs, qui contenti sunt suâ sorte.

20. Alia est objectio auarorum e paribus, qui putant se tantum gloriæ adepturos, quantum in arca conditæ seruant pecuniæ: si multum; fient multi: si nihil; fient nihili.

21. Quoniam auarus non potuit vllâ ratione demoueri de inexplebili cupiditate; docet, ex similitudine, vt sinamus illum miserè viuere & cruciari, quoúsque velit: quia vult ita affici, vt Timon ille Athenienſis μισάνθρωπος, qui nunquam curauit, benéne an malè audiret apud homines, quibus omnibus omnis ordinis, fortunæ & ætatis indixerat odium, contentus solâ nummorum suorũ contemplatione, & eorum solerti custodiâ beatus.

22. Talis admiratio pecuniæ retunditur exemplo Tantali similiter comparato, qui in omni omniũ bonorum abundantia, fame & siti perpetuùm enecatur.

23. Sic tu, ô Athenienſis auare, licet rebus omnibus circumfluas, ea tamen desideras auidissimè & miserrimè, quibus abundas. Hæc autem apodosis illustratur duplici similium collatione, quòd ille sic parcat opibus suis, quasi res quædã essent sacræ, nulli tangendæ: sic his quoq; pascatur, vt picturâ inani. Longe fuit alia cupiditas Alexandri magni, quem Plutarchus in ipsius vita tradit ex Onesicrate Iliadem Homeri χαὶ ἀεὶ μετὰ τὴν ἐγχειρίδιον κειμένην ὑπὸ τὸ προσκεφάλαιον. διὰ τοῦτο εἴωθεν ἀντὶ τοῦ προσονομάζειν τὸ πολεμικῆς ἀρετῆς ἐφόδιον, ἢ τοῖς Ὁμήρου ποιήμασιν ἐφυπνώτειν. *i. habuisse semper cum ense suo suppositam ceruicali, solitum ob id eam nominare cognomẽto, virtutis bellicæ viaticũ, & Homeri poematis indormisse.*

24. Reprehensio est, nõ de imperitia hominis auari, quòd nesciret a vero & legitimo nummo dignoscere τὸ νόμισμα πονηρῶ νόμματος, cui varia Græci epitheta tribuunt, κίβδηλον, νόθον, παρακεκομμένον, παράτυπον, παράσημον, παρακεχαραγμένον. Gall. *Monnoie de coing faulx, & mal monnoiee*: nec etiam reprehenditur, quòd nesciat, num idem sit excusum e materia probata, id est, num sit subæratum & adulterinum: quorum quidem omnium est peritissimus: sed de fine vero pecuniæ, cui⁹ rectus ostenditur vsus in cibo, potione, vestitu, cæterisque rebus ad corporis cultum necessariis comparãdis: quibus vita hominis sustentatur optimè, & quorum desiderio natura humana afficitur pessimè Sublato enim, aut certè cessante, fine, cessat & id, cuius est finis, Repete, quæ sunt a nobis annotata in Oden 2. lib. 2. ad Sallustium.

25. Ex effectis diuitiarum comparatè tractatis disputat, se illis libenter carere, quæ ita concludi possunt: *Sapientissimus quisque vellet eorũ bonorum esse pauperrimus, quæ dominum suum noctes diesq; examinant & excruciant, furum, incendij & seruorum metu: te tua bona solicitant miserè: tu igitur istam solicitudinem, quæ te miserum in modum excruciat, omittas, si sapis, malisq; talibus bonis egere, quàm abundare.* Iuuenalis hoc imitatus est, *Tantus parta malis, curâ maiore metuque seruantur misera est magni custodia census.*

26. Argumentum est ex adiunctis contrarijs superiori obiecto auari: quæ solent euenire illi in morbum delapso: tum enim ab hominibus, quibus vnicè carus deberet esse, deseritur: cui⁹ rei caussa ducitur e maiorum collatione: quòd illos omnes longè posthabeat pecuniæ suæ, ac illis spretis solùm ad rem auidiùs sit attentus. Vnde versiculus Græcus in hominem sic inuisum jactatus est a benigno & liberali:

Θαύοιμ' αὖ, εἴ με πάντες σύχονται θανεῖν.
Vellem ego mori, si me optarent omnes mortuum.

Quid enim habet vita jucundi, imò quid non molesti, quũ nemini occurras aut videaris, qui te velit saluum? Itaque gloriosum est omnibus charum esse, benè de Repub. mereri, laudari, coli, diligi, metui verò & in odio esse, inuidiosum est, detestabile, imbecillum, caducum, vnde Tragici plerique alij, cum interemptum ab aliquo tyrannum inducunt, sic exclamentem faciunt, *ô miser ab amicis inops pereo.* Auri verò inopia pereuntem nullus finxit poeta.

27. Ostendit e similibus, non secus cognatos in amicitia & beneuolentia posse retineri ab eo nullum amorem merente, prætermisso in eos omnes humanitatis officio (quod nisi suppleatur hîc, ἀξίωμα ἀνακόλουθον ἔσται) ac si curaret asinũ e tardo & ad cursum equestrem inepto efficere σύμφορώτατον καὶ τάχιστον, maximè agilem celerrimum & citatissimum, fræno obsequentem, & in curriculo flexibilem.

28. Admonitio est e maioribus, vt auarus finem faciat opes congerendi: tum quia in quærendo, vt est Demeæ querela in Adelph. vita & ætas conteritur; tum quia quò plures quis habet, eò minùs paupertas ipsi pertimescenda est: præsertim quum id sit adeptus, quod impensè cupierat.

29. Appositio hui⁹ exempli dissimiliter tractatur: *Non, vt ditissimus Vmidius viuit, sic te viuere oportet.* Protasis augetur paribus, quòd vestibus eiusdem pretij ille vteretur, atque seruus ipsius. Deinde confirmatur diuerso fine, vt semper haberet, quo victus penuriam vitaret.

30. Occisus est ab vxore vel concubina (quæ minorum collatione hîc commendatur, quòd Clytemnestra ipsi cederet immanitate) hic Vmidius sordid⁹ diuersâ morte; atque putârat: Nam non victus inopia, sed

ſed odium hominum, maximeque ſuorum illi metuendum, atque pro hoc beneuolentia hominum concilianda erat liberalitate & amore: in quibus firmiſsima vitæ humanæ præſidia collocantur.

31. Auarus rapuit admonitionem Poetæ in deterius, ſicut è diſsimilitudine conſtitit, quaſi eſſet illi ſuaſum, vt vitam degeret more hominis ſumtuoſi, luxurioſi, rerum ſuarum profuſi. Itaque ſuaſor cogitur clariùs illi cóſilium ſuum aperire, è Categoria diſſentaneorũ argumentorum: *Quum tibi*, inquit, *ſuadeo eſſe auaritiã; non id equidem ſentio, vt tu inde in alterum vitium deducaris, luxuriam aut effuſionem.* Credo Poetam ſic loqui edoctum illo Terent. Act. 5. Scen. 2. Phorm. *Ita fugias, ne præter caſam.* Sic vitium eſt vitandum & culpa, ne in aliquid grauius, vnde te poſteà expedire nequeas, videaris incidiſſe, fugiendam auaritiam cùm declinatione profuſæ luxuriei, ſic tenebitur modus: *Tu enim, o auare, ex meis verbis vis efficere: Auaritia fugienda eſt: ergo effuſio aut luxuries expetenda videtur. Ita quidem certè peſsimum eſſet meum conſilium: quia hæc extrema magis opponuntur inter ſe, quàm ad liberalitatem collata, ad quam te nunc ſtudeo reuocare, vt tu moderatum pecuniæ vſum colas & ſerues.* Quod perſpicuâ parium collatione declarabitur Satyrâ 3. lib. 2. ad verſum--*quid enim differt, barathrone*

Dones, i exitas, quicquid habes, an nunquam vtare paratus?

modus certè, quem quiſque debet in ſuis rebus rectè adminiſtrandis tenere, hoc præſcribitur epigrammate Græco, Latinè ſit reddito,

Tanquam iam moriturus partis vtere rebus:
Tanquam victurus denuò, parce tuis.
Ille ſapit, qui perpenſis his ritè duobus
Parcus erit, certo munificusq; loco.

Hoc autem diſſenſionis genus Petrus Ramus rectè & prudenter appellat diſparatum: quando vnum multis pariter opponitur, & cur non retinuerit alia huiuſce oppoſitionis nomina, quæ ab Ariſtotele, Cicerone, Boœtio, Agricola vſurpata ſunt, vide prælectiones Audomari Talęi in illius Dialecticam ad categoriam diſſentaneorum.

32. Illuſtrat diſſenſionem extremorum exemplis ſimiliter tractandis: *Vt inter Eunuchum & ramicoſum ſiue herniosum eſt homo medius integris genitalibus & expeditis: ita inter auarum & luxurioſum liberalis intereſt, qui ſe intra fines moderationis neutrò declinans continet, ad cuius modũ & normam effingere & conformare te in primis decet.* Hîc auarus non iuſtum collegerat diſiunctum è conſilio Poetæ, quum inde putârit, alterum è duobus, quæ diſiunguntur, verum eſſe, quod ita eſſet, niſi tertium inter duo iſta diſiuncta interfuiſſet, cuius rationem nullam habuit. Nam inter vitam præparcam & ſordidã, & vitam profuſam & luxurioſam eſt tertia, frugalis & moderata, quæ laudabilis & honeſta eſt. Sic Bias vnus è ſeptem ſapientibus malè ratiocinabatur, diſſuadens vxorem eſſe ducendam: *ὅτι ἤτοι καλὴν ἕξεις ἢ αἰσχράν, ᾗ aut pulcram, aut turpem duxeris.* Hinc Bias colligit, è duobus incommodis alterum: *aut communem habebis vxorem cum alijs; aut pœnam & moleſtiam domeſticam:* q; profectò non ita iudicaſſet, ſi potuiſſet animum inſtituere ad cogitandũ, eſſe inter pulcerrimam & deformiſsimam fæminam mediam quãdam formam, quæ ſtata dicitur, expers periculi & odij.

33. Hæc admonitio indicat non à propoſito ad aliud Poetam aberraſſe. Exemplum enim Vmidij, ſicut utrumque Mæuij & Nomentani, non fuit alienum, ſed percommodum ad metum paupertatis inconſtantibꝰ adimendum, vt conſtitit ex hac Poetæ præfatione, *nõ longa eſt fabula* & eam ob rem poſt illa ſatis explicata repetitur theticum de inconſtantia humani ingenij ſortem ſuam identidem conquerentis; quæ vt, iam dictum fuit, ex immodica ſiti habendi profecta eſt. Itaque nunc agit Poetarum inconſtantibus argumento à ſimili, exhortans eos ad permanſionem in accepta vitæ conditione, vt ijſdem ſors ipſorum nõ ſecus placeat, atque illa ipſi auaro ſemel oblata: qui animo ira obſtinato ſuum vitæ inſtitutum perſequitur, vt ſolus inter homines in eo libenter perſeueret, nullã tamen ex illa vitioſæ perſeuerantiæ obſtinatione laudem meretur: quam illi contrà ſuâ contenti ſorte conſequentur. Cauſſa autem tam inſtabilis animi de ſuo ſtatu ſine intermiſsione conquerentis, ex eo videtur orta, *quòd nunquam ſe & ſua inſpexit, nunquam oculos ad inferiores ſe conuertit: ſed ad res aliorum magis optimas ſuis: nunquam etiam cum pauperioribus, qui rebus ſuis, quantulacunq; ſunt, contenti viuunt, contulit: quod ſi feciſſet; nunc ſe præ alijs beatum prædicaret, & rebus ſuis præſentibus, vt illi, viueret contentus, nec miſerè curaret locupletiores æquiparare, nec abundantiâ bonorum ſuperare.*

34. Cauſſam ſuperiorem illuſtrat altera ſimilium collatione: *Vt auriga in curriculo Olympico nunquam quadrigas, quas curſu ſuperat, poſteriores reſpicit: ſed præcedentes, à quibus anteuertitur, & quas conatur inſtando ſuperare: ſic homo inconſtans pleonexiæ ſtudio incenſus, nunquam tenuiores ſe reſpicit, quorum inſpectâ tenuitate, ſatis ſe diuitem exiſtimaret, ſinemq; faceret plura quærendi, & partis frueretur contentus: ſed ad ditiores totam habet aciem, quorum copiâ macreſcit, ac miſerè ſe conficit, vt illos vel diuitijs vel honoribus æquet, ac potiùs antecellat.* Ita Chilon vnus è ſeptem Græciæ dolentibus caſus ſuos medebatur: *λυπουμένῳ τινὸς ἐπὶ τοῖς οἰκείοις εἶπεν· Εἰ τὰ παντῶν κακὰ ἐνενόησας, οὐ τόσον ἐπὶ τοῖς σοῖς ἀνιᾷς ἀνεφορήσεις. Cuidam dolenti de ſuis malis dixit: Si mala omnium aliorum conſideraueris, minùs ægrè tua feres.*

35. Prætermiſsio ſuperioris conſiderationis eſt efficiens talis pleonexiæ: quòd inde paucitas hominum exiſtat, qui è vita diſcedant contenti ſorte ſuâ & beati: quod declaratur diſsimilitudine conuiuarum, qui è menſa ſurgunt, & è conuiuio diſcedunt nihil amplius deſiderantes, quod longè aliter facit noſter pleonecta. Simili argumento vtitur natura in hominem nimis vitæ cupidum & opum, mortisque metuentem. *Cur non*, ait, *vt plenus vitâ conuiua recedis?* Ita ſe Poeta videtur obiurgare in fine epiſt. 2. lib. 2. & ſecum hæc colloqui, *Viuere ſi rectè neſcis, decede peritis.*

Luſiſti ſatis: ediſti ſatis, atq; bibiſti.
Tempus abire tibi eſt: ne potum largius æquo
Rideat, & pulſet luſciua decentius ætas.

Stoici Senecæ conſilium lib. de tranquillitate animi cap. 14. in hanc rem. *Vtiq; animus ab omnibus externis in ſe reuocandus eſt: ſibi confidat: ſe gaudeat: ſua ſuſpiciat: recedat, quantum poteſt, ab alienis, & ſe ſibi applicet: damna non ſentiat aduerſa, etiam benignè interpretetur: Imitetur Zenonem, qui nũtiato naufragio, quum omnia ſua audiret ſubmerſa, rubet, inquit, fortuna expeditius me philoſophari, id eſt, vt diligentius ac ſtudioſius me philoſophiæ, quæ definitur ars vitæ regendæ, in poſterum excolendum tradam aduerſus fortunæ ſuperbæ temeritatem.*

36. Sermonem concludit finali cauſsâ, quam tamen illuſtrationis gratiâ per rationem diverſitatis ita explico: *Hîc ego dicendi finem facio, ne Mæcenas, vel alius quiſpiam, putet, hanc noſtram diſputationem contra auaros, non è noſtro officina, ſed è Stoicorum ſchola acerrima ſic affectorum vindice prodiſſe, & propterea minùs fortaſſe auctoritatis ac fidei habiturum eſſe: quòd tales Philoſophi neutris ſatis placeant.*

Enarratio Grammatica.

INterpretes vehementer laborant de ordine librorum huius Scriptoris, quo rectè dispensari & disponi debeant: atque id negotij puto illis exhibitum à Sid. Apollinari, vel ab alio huic simili. Ille enim nono carmine opera Horatij hac serie recenset:

Non quod per Satyras, Epistolarum,
Sermonumq; sales, nouumq; Epodōn,
Libros carminū ac Poeticam artem
Phœbi laudibus & vagæ Dianæ
Conscriptis voluit sonare Flaccus.

Faceret hic ordo nobis aliquam fidem, si liberâ & solutâ, non structâ oratione institutus fuisset. Hic certè locus ab amico nostro Ioan. Amaritione I C. & Parisiensi patrono, atq; huiusce claræ methodi peritissimo mihi indicatus est. Sed non me tamen ea vel cura ordinis, vel labor magnoperè torquet: qui sentiam cum plerisque alijs, omnes non modò libros. sed illorum quoq; vel minutas particulas, quæ sunt singulæ Odæ, Epodi, Satyræ & Epistolæ, longè dissimili inter se argumento, contextu & complexione constare, vnde perspicitur facilè nihil interesse ad singulorum intelligentiam, quæ vel antecedere, vel subsequi debeant. Veruntamen quibus recentiores iam institerūt dispositionis vestigiis, ijsdem ego pergam, si Deus voluerit, insistere. Non minùs sanè est controuersa, & dissensionis plena inter doctos ratio inscriptionis: quòd alij libros Sermonum, alij libros Satyrarum inscribendos arbitrantur. Priores quidem hoc argumento suam videntur tueri opinionē, quòd Sermonum nomine, tanquam charactere, putent dissimilitudinem Horatij ab aliis Satyricis maximè notari: qui sedatior sit, mutatis Ennii, Lucillii, Varronis, qui hac Satyricæ scripturæ ratione ipsum longè anteierunt, morsibus in iocos, conuicijs in hilaritatem, amaritudine ingratâ in suauitatem. Nam illi videntur concitatiores ad cōsceleratos hominū mores strictâ & apertâ cuspide iracundè petendos: quales cernas Iuuenalem & Persium posteros fuisse, qui propteà suum poema Satyram, vt prisci illi, nominârunt. Horatius autem contentus nomine familiarissimæ colloquutionis inscripsit *Sermonibus* hoc opus: vbi more Satyrorum Thyrsum, de quo Od. 19. lib. 2. & contum pampineis frondibus inuolutum gestat: quo meliùs tectâ cuspide in cautos sedatè transverberet. In illius enim velut sinum, cuius vitia reprehendere & exagitare statuit, sensim illabitur, & se insinuat; & cum risu imprimere morsus acerrimos sedatiori animo videtur: quod vt rectiùs expediat, non veretur aliquam etiam sibi notam sæpè suis Satyris invrere, vt timiditatis ac infamis fugæ Od. 7. lib. 2. ad verba, *relictâ non bene parmulâ*, vt etiam vitiorum aliorum, sicut apparebit in exponendis his Satyris: quemadmodum etiam creditur non pepercisse sui Mæcenatis mollitiei. Posteriores verò magis probant inscriptionē, quæ habeat libros Satyrarum: propterea quòd vox Sermonis sic naturâ comparata est, vt æqualiter perferat vim suam ad quamlibet loquutionem; Orationem, Historiam, Dialogum, Epistolam, Eclogam, Oden, Epodon: vndè a serie & contextu variorum verborum certis legibus inter se consertorum illam Grammatici volunt notatam. vndè etiam Plautus in Curc. *Quòd pollutus virgis seruus sermonem serat*, & Seru. in Aen. 6.

Multa inter sese vario sermone serebant.

Pro quo etiam sefere verba dicere licet ex hoc poeta, *in verbis tenuis cultusq; serendis.*

Hinc propriè dictus sermo, quòd inter duos seratur. Quanquam autem sermo & colloquutio in veniuntur geminata Epist. 9 lib. 1. ad Famil. *hac me mente fuisse tu in nostris sermonibus, colloquutionibusq; ipse vidisti.* differūt tamen ratione subiectorum, vt sermo latiùs patere videatur, dum in loco celebri ac publico haberi vel inter duos solet: Colloquutio autem fit etiam sermo inter duos, sed ab arbitris remotus & priuatim in loco secretiori haberi solitus. Eandem vim etymi Varro etiam tradit lib. 5. de ling. Lat. vbi tamen Ios. Scaliger mavult è Græco peritum: dum sermo ab eo dicitur, quasi εἱρμὸς, præposito sibilo, vt in σειρὰ ἢ σειρὴν παρὰ τὸ εἴρειν, *anectendo*: quâ voce definitur εἱμαρμένη, τῶν αἰτίων εἱρμὸς, *fatum est ordo, serieq; caussarū*, interprete Cicerone. Itaque non satis, propriè & aptè potest quadrare, nec ad vim huius poematis exprimendā satis valere: quamvis dicat quartâ Satyrâ, *sermoni propria*, & definiat Cicero lib. 3. ad Herennium, *sermonem esse orationem remissam, & finitimam quotidianæ loquutioni.* Ad hanc sermonis definitionem respexit D. Michael Hospitalius Franc. Cancel. ep. 3. l. 1. ad Franc. Tuton Cardin.

Hos ego rure malos incepi scribere versus.
Qui sermone hominum consueto non procul absunt.

nec ad geminam Poetæ formam accommodatè vsurpari: de qua l. 2. Ode vltimâ.

Non vsitatâ, nec tenui ferar
Pennâ biformis per liquidum æthera
Vates ——

Quod ibi retuli ad duplex decus Poetæ, vt & Lyricus, & Satyricus Poeta honorificè nominaretur. Postremò ipsemet Horat. indidit nomen Satyræ huic poemati initiò 1. Sat. lib. 2.

Sunt, quibus in Satyra videar nimis acer, &c.

Deinde absona certè admodū & absurda videtur hæc appellatio, *Sermonum libri duo*, & posteà singulorum ordinem sic notari, *Lib. 1. Sermonum, Sat. 2.* & ita deinceps Huc accedit, quòd hæc Epigraphe, *Libri duo Satyrarum*, auctoritate veterum codicum, sicut etiam hæc, *libri duo Eclogarum*, comprobetur. Iacobus tamen Cruquius non ita pridem protulit è bibliotheca Blandiniana hanc antiquâ Epigraphen, *Liber primus Eclogarum*, ad Porphyrionis & Acronis appellationem: quòd in Satyris multi inducantur Eclogarij. Verùm Eclogæ nomen etiam tribuitur Odis, vt est Od. 19. l. 5. ex Ausonio notatum Quid dicemus ad extremum Poetam sibi voluisse hac duplici perigraphâ præsentis operis? hoc meâ quidem sententiâ, vt inuidiam vocis *Satyra* & contumelia vitaret, aut retentam temperaret accessione τῆς *Sermo*, quâ, velut dulciori, Lectorem faciliùs alliceret. Satis iam de ordine librorum & de titulo huius partis: veniamus ad naturam Satyrici poematis indicandam. Satyra definitur poema priùs tetrametrum & liberum ad reprehendendos mores hominum corruptos & deprauatos, & ad vitam corrigendam institutum: quale quidem munus vetus olim Comœdia licentiùs exsequebatur: sicut apparet è tertio de Oratore: *Cuius (Periclis) in labris veteres Comici, etiam quum illi maledicerent, quod tum Athenis fieri liceret, lepôrem habitasse.* Hæc quoque Comœdiæ licentia cognoscitur ex hoc iuncto verbo, quo in Poetica vsus est Aristoteles διακωμῳδεῖν τὴν ποιητικὴν, *Homerum contumelijs vexare.* Iccircò, quia sæpè, nescio quâ invidiæ caussâ, Comœdia etiam in vitam bonorum conijciebat maledicta, de scena edicto detrusa est, atque in eius locum successit hoc carminis genus extra scenam excultum: de quo legendus est Donat. in vita Terentij, & adiuncto ipsi Tractatu de Tragœdia & Comœd. quod Genus carminis initio contrà, atque Quintil. l 10. c. 1. existimauit, à Græcis & maximè à Cratino inchoatum est & perfe-

perfectum. Nam Panes, Satyri, Tityri, Sileni, Fauni, Syluani, comites & custodes Liberi patris, quũ Tragœdiæ festis huius numinis agerentur, ludis adhibebantur. Hos profectò commentitios Deos videtur Moses Leuitici cap. 17. propriè nominare Sejirim: *ne vltrà sacrificẽt suæ Sejirim, post quos scortati sunt*, id est, dęmonas, qui colentibus ipsos apparebant hirsuti, cornuti, ac villosi more hircorum: & horrorem incutientes, de quibus Pollux l. 4. Σατυρικὰ δ' πρόσωπα, Σάτυρος πολιὸς, Σάτυρος γενέων, Σάτυρος ἀγένειος, Σιλήνος. i. *personæ Satyricæ memorantur, Satyrus canus, Satyrus pubes, Satyrus impubes, Silenus*, qui nudi inducebantur, vt expeditiores essent ad saltandum. Huc pertinent duo illa saltationum genera apud Plat. l. 7. de Leg. δύο δὴ τ' ὀρχήσεων τ' καλῶν εἴδη κατεστήσατο· τὸ μὲν πολεμικὸν πυρρίχιον, τὸ δ' εἰρηνικὸν ἐμμέλειαν ὠνόμασεν: id est, *constituit duo honestarum saltationum genera: belli quidem vnum Pyrrichum: pacis verò alterum emmeleiam, concinnum corporis motum nominauit*, quum milites armati πρὸς τὸ καστρέιαν μέλος, quod ob id ὑπορχηματικὸν vocabant, saltare solebant: cuius origo ab Epicharmo refertur ad Mineruam: quem sic saltandi morem Lacones sequuti sunt. Alij tradunt Achillem primum eo vsum in funere Patrocli: alij malunt eundem referre ad Pyrrhum illius filium: vnde saltatio nomen inuenit, vel à pyra, quòd fieret ad rogum. Porrò Scholiastes Aristophanis auctor est tria præcipuè saltationis genera vsitata fuisse apud Græcos: quorum duo iam exposita sunt ex subiecto tempore pacis & belli. Huius autem interpretis distributio, sic nititur etiam subiectis ludis, vt ἐμμέλεια in exhibendis Tragœdijs locũ habeat, ὅθεν λέγεται τραγική. Σικίννις in Satyris: vnde σατυρική, καὶ εἴρηται, παρὰ τὸ σείεσθαι ἢ πιέεσθαι· πόρδαξ denique in Comœdijs, vnde κωμική: Sed hoc genus est, Hesychio, ἄσεμνον, id est, fœdũ & inhonestum, & Asinæo φορτικὸν, id est, insulsum & ineptũ, ὅτι νόσφιν ἀκρῶς ἐκίνουν, id est, quia turpes mœrebant lumbos. Meminit quoque Athen. l. 14. huiusmodi saltationum: ἡ δὲ γυμνοπαιδικὴ παρεμφερής ἐστι τῇ τραγικῇ ὀρχήσει, ἥτις ἐμμέλεια. i. *nuda exercitatio refert tragicam saltationem, quæ vocatur ἐμμέλεια.* Quare posteà Satyram ab ijs acceperunt Latini: atque, vt illa Tragicã asperitatem retineret, eam versibus Iambicis Trimetris primùm conscripserunt: quòd iambus pes esset aptior ad maledicta è notione sui nominis: τὸ γὰρ ἰαμβίζειν, ex interpretatione Aristotelis, est idem quod λοιδορεῖν καὶ κακολογεῖν, *maledicta iacere in aliquem, & illum probris figere*: vnde hic auctor:

Quem criminosis, cunq; voles modum
Pones iambis.

Item Catull. *Defissemq; truces vibrare iambos.*
& Ouid. 1. de Remed.

Liber in aduersos hostes stringatur iambus.

ita notauimus in Od. 16. l. 1. Prætereà τὸ ἰαμβικὸς Hesychius interpretatur ἢ λοιδορία, ἐπίσκολον, ὑβριστής. i. *conuiciatorem, maledicum contumeliosum & iniuriosum.* Ita Nicolaus 21. historiarum narrat, Satyricas Comœdias à Sylla Latinè scriptas fuisse. Ita Lucillium constat tales confecisse ex his versibus Sat. 27.

Salutem fictu versibus Lucillius,
Quibus potest, imperti studiosè & sedulò.

Ita quoq; scriptæ erãt illæ Ter. Varronis Menippææ, quales sunt hi versus ex inscripta Satyra,

Hercules tuam fidem:
Noctu Annibalis qui fugaui exercitum
Tutanus: hoc Tutanu' nomen nuncupor.
Hac propter omnes, qui laborant, inuocant.

Sed tales numeros Lucillius posteà Hexametris Dactylicis commutauit: vt Satyra videretur ab hoc primo scriptore Latino tota Latina: quod quidem facilè consequutus esset, si nomine quòque Latino illã affecisset. Etymon autem huius vocis etiam valdè est controuersum inter Grammaticos. Quidam enim putant dici παρὰ τὸ σεσηρέναι, à dicacitate & rictu canino: in qua sententia fuit Phurnutus, περὶ θεῶν ἐπιστάσεως δὲ σύμβολόν εἰσιν οἱ Σάτυροι, νῦν ὀνομασίαν ἐσχηκότες ἀπὸ τῆς σεσηρέναι, *furoris autem argumento sunt Satyri, nomen sortiti ex eo; quòd ore more canum diducto rideant.* Alij à farcimine varijs rebus referto, per similitudinem variorũ factorum & personarum Satyram nominatam existimauerunt, & tum quidam scribunt Saturam: sed hoc est vsitatum υ verti in u Latinum, vt rectè docuit Philopappus Huralthospitaliorum pro veteri ac germana linguæ Græcæ pronunciatione. Alij à Satura lance variarum primitiarum plena ad sacrificia, simili ratione dici putãrunt. Alij præterea à lege Satyra eódẽ spectante, quæ unâ rogatione res multas comprobaret: cuius meminit Sallustius in bello Iugurthino: *Dein postero die quasi per Satyram sententijs exquisitijs in deditionem accipitur rex Iugurtha.* Habes, Lector, huiusmodi ferè etyma apud Interpretes in §. Proœmij Digestorum. De hoc etiam vide Adagium per Saturam. Omnium autem optimè ac verissimè videntur censere, qui illam ἀπὸ τῆς σάθης, *à salacitate* deflectunt, sicut annotatum est obiter in Grammaticis Od. 1. l. 1. de Satyris: profuerit tamen expositionem Scholiastæ in 4. Idyll Theoc. ad extremum illius subijcere, vbi Battus caprarius sic incontinentiam Corydonis bubulci notat: Εὖγ' ὦ νθρωπε φιλοῖφα, τὸ τοι γένος ἢ Σαλυήσιος

Εγγύθεν ἢ Ῥαγέοσι κατηκόμοισιν ἐέσσα.

Euge o homo coitus auidissime, qui aut genere cũ Satyris
Proximè, aut cũ Panibus exilitate tibiarũ praditis certas.

τὸ φιλοῖφα quibusdam vocandi casus est à recto φιλοῖφος quod tamen malo deflectere à recto φιλοίφης, quod est φιλοσωματίφης, παρὰ τὸ οἰφεῖν, quod est ἀμετρίως ὀχεύειν, *intemperanter inire.* In hoc autem distichon ita Scholiastes: τὰς Σατύρους πλείονές φασιν, ὡς ἢ τὰς Σειλήνους, ἢ Ῥαῦας; ὡς Αἰσχυλος μὲν ἐν Γλαύκῳ, Σοφοκλῆς δ' ἐν Ἀνδρομέδᾳ. Οἱ Σάτυροι, καὶ οἱ Ῥαῦες σύνεκφοροι πρὸς τὰς συνουσίας (pro quo Hesych. dicit Σατύρους πρὸς τὰ Ἀφροδίσια κατάφορεῖς καὶ λάγνους; ὅτι δ' οἱ Σάτυροι τοιοῦτοι, δῆλον ἀπὸ τοῦ ὀνόματος, ἀπὸ γὰρ τοῦ σάτης πεποίηκε τὸ Σάτυρος. Σάθη δ' ἡ εἰς τὴν ἐπιθυμίαν ἐκπύρωσις. ἄλλως ἀπρακτεῖς οἱ Σάτυροι ἐρώτων. Λέγεται δ' παρὰ τὸ Σάθη. Σάθη δ' τὸ μόριον τοῦ ἀνδρὸς, ὅπερ καὶ πέος λέγεται: *Complures Scriptores existimant Satyros esse, ceu Silenos & Panas, sicut Aeschylus in Glauco, & Sophocles in Andromeda. Satyri & Panes proclines sunt ad Venerem. Quòd autem Satyri sunt tali ingenio, ex ipso nomine constat. Satyrus enim à salacitate dictus est. Sathe verò est inflammatus impetus in libidinem: aliter Satyri non possunt se abstinere ab amoribus. Dicuntur autem à Sathe, quod est membrum genitale viri, quod aliter πέος, penis & mentula.* Ex illo quidem conflatur ἀνδροσάθων, ὁ μεγάλα ἔχων αἰδοῖα, vt Eustathius annotat in Odiss. ω. & Suidas similiter huic interpretatur: pro quo Hesychius vsurpat τὸ ἀνδροσάθης idem sonans: q; Martialis fecit Latinum, *mutoniatum.* Huic etymo cõuenienter & appositè Satyri vocantur proterui Epist. ad Pisones:

Intererit Satyris paullùm pudibunda proteruis.

Proteruus enim est propriè ἀκόλαστος καὶ ἀτελής, qui sibi circa libidinem temperare non potest, atque improbè homo libidinosus definiendus meritò videtur: de quali libidine Syrus in Heautont. Act. 4. Scen. 6. apud Clitiphonem queritur, *Quàm penè tua me perdidit proteruitas!* id est, pruritus tuæ libidinis coram amica gestiens: quali Horat. dixit se affici à Glycera, Od. 19. l. 1. *Vrit grata proteruitas.* Ad hanc Etymologiæ ratio-

nem Græci eosdem αἰγίποδας ἢ αἰγόποδας, vt Latini, Capripedes nominârũt: quâ bestiâ nihil est salacius: eamque ob rem Plin.l.7.c.3. scribit Satyros ex capra & homine procreatos & commixtos fuisse in Subsolanis Indiæ montibus: vnde sunt hæc: σατυρίσκοι καὶ σάτυροι, τοῦτ' ἐστιν ὁρμηνῶς πρὸς τὰ ἀφροδίσια ἔχειν. Eodem quoque spectabat ornatus illorũ, Pellis hinnuli, Græcè ἰξάνη, quod sine plicaturis & rugis, tota corpori applicata adiacebat. Pellis quoque capræ, quæ Græcè αἴγη, ἢ τραγή, quum prodibant in publicũ ferentes lances & canistra varijs pomis referta, ad Nymphas talibus illecebris deliniendum & capiendum. Plura vid. apud Philostr. in Apollonio, de Satyris. Itaque puto præsens carmen varijs de rebus conscriptum ab his nomen invenisse, & eius vi subiectam materiam adumbratam esse. Addam ad superiorem Satyræ notationem & definitionem alias duas, alteram Iulij Cæs. Scal. Patr. e l. 1. Poetic. c. 12. *Est autem poema liberum simile Satyricæ naturæ, omnia susq; deq; habens, modò aliquid dicat. Itaq; nec proœmium instituit, nec init Epilogi rationem.* Alteram Ioseph. Scal. Fil. e Comment. & castig. in l. 5. Manil. v. 17. pag. 128 *per saturum gestum* κωμῳδούμενον ὑπόνοιαν *intelligit. Saturum est verbum scenicum, quod ad diuersimodum actum & gestum pertinet: vnde & Satura omnigeni argumenti poesis. Caue legeris,*

Nunc Satyro gestu, referetq; affatibus ora.

Vt Satyras Lucillij & Horatij per ypsilon scribendas putes: neq; in hoc doctissimis tam veterum, quàm recentiorum credideris, qui σατύρους καὶ σατυρίσκους Græcorum somniant: nam Satura seu Satyra longè aliud. Verùm hæc dissimilitudo illustrationem ab erudito castigatore exspectat, & rationem verbi scenici requirit. Intereà tu, Lector studiose, non aberrabis a veritate vocis, sequens Scholiasten Theocriti modò citatum, quem Macrobius sequutus est lib. Saturna. 1. cap. 8: *propter abscissorum pudendorum fabulam, etiam nostri eum Saturnum vocitârunt* παρὰ τὸν σάθλον, *quod membrum virile declarat, veluti Sathunum: vnde Satyros etiam veluti Sathunos, quòd sint in libidinem proni, appellatos opinantur:* sicut attigimus Od. 12. l. 1. vbi protulimus Lactant. l. 1. c. 12. qui idem sentit cum Macrobio. Quidam tamen conijciũt ex his Festi verbis, *qui Deus in Saliaribus Saturnus vel Satirnus nominatur, videlicet à sationibus*, legendum, *Satunnus*, ut is a ratione serendi hominibus tradità sic vocetur: quam vocis rationem I. Lipsius probat lib. 1. cap. 2. sicut olim a portu Portunnus, a nuptu Neptunnus, Vertunnus scribebatur, atque in vetustioribus etiam hodie legitur exemplaribus. Ex his tamen varijs ciborum appositis ferculis quod tuo palato senseris fore gratum, id assumes. Libet pręterea huc adscribere iudicium Fab Quintiliani de Satyra Horatiana, vt quantò cęteris hoc poematis genere præstet, facilè perspicias: *Multò est tersior, ac purus magis Horatius, & ad notandos hominum mores præcipuus.* Ad extremum addam in exemplaribus Iacobi Cruquij singulas vtriusque lib. Satyras sic inscriptas, vt prima prioris hanc habeat inscriptionem & epigraphen, *Tantalus*: Secunda *Cupiennius*: Tertia *Tigellius*: Quarta *Crispinus*: Quinta ὁλοιτροχηνὸν. i. *Hinerarium*: Sexta *Tullius*: Septima *Pupilius*: Octaua *Priapus*: Nona ἐπαγόμενος: Decima *Lucilius*: Posterioris autem libri prima inscribitur *Trebatius*: Secunda *Ofellius*: Tertia *Damasippus*: Quarta *Catius*: Quinta *Vlysses*: Sexta *Horatius*: Septima *Dauus*: Octaua *Fundanius*: hoc autem ideo videtur additum: quòd his personis primæ sermonis partes illic sigillatim sint tributæ præter quintam lib. prioris a varijs profectionis stationibus memoratis sortitam nomen.

Qui fit.] *Qua causa est, cur nemini sua satis placeat sors, & alienam exspectet? vel, vnde hoc contingit, vel, quomodo fit, vt sua cuiq; conditio & genus vitæ displiceat, & aliorum sors & institutum arrideat?*

Si qd huic interrogationi velis, Lector, respondere, dic, caussa huius conquestionis est futili ac fallaci iudicio: qd' suggerit opinio vana, διὸ ἀποστρέφεται τὰ ἑαυτῶν ἀγαπῶντες ἔχουσα. Est præterea hypallage Grammatica, id est, inversio verborum pro, nemo viuit contentus illa sorte, quam seu ratio ipsi dedit, seu fors obiecit.

Nemo.] Serv. Aeneid. 9.

Turne, quod optanti Diuûm promittere nemo.

annotat, *nemo*, pro nullus posuit: & est acyrologia. Nam *Diuûm nemo* non possumus dicere, quum propriè τὸ *nemo* sit, nec homo: quæ significandi ratio perappositè hîc usurpatur in communi omnium hominũ querela de sorte sua.

Seu ratio.] Quæ dicitur esse earum rerum, quæ vel semper, vel plerumque sunt, nec miscetur cum Fortuna, & hac voce significatur caussa, quæ consilio & voluntate solet efficere, quæ Græcis est προαίρεσις. Per alteram, *sors*, intelligitur causa earum rerũ, quæ nec semper, nec plerumque solent fieri, vt Aristoteles distinguit, & dicitur agere fortuito casu & imprudentiâ: vnde Græcum illud trimetrum, Christianis tamen impium, ideoque prorsus omnino improbandum:

Τύχη τὰ θνητῶν πράγματ', οὐ σοφία,

Fortuna humana regit, non rectum consilium.

Hoc autem sermonis principium Galli suâ interpretantur linguâ, *D'ou vient reci, o Macenas, quil via persone, qui viue contẽt de son estat & profession, quil s'est choisi & esten par bonne raison & meure deliberation, ou qu'illui soit aduenu parcas fortuit, vel sic, cui est cause, que nul se tiemace. quil sa?*

Vnde quoque Cic. l. 7. Epist. ad Fam. 1: *quòd ad ludos non veneris, Fortunæ tribuo magis, quàm sapientiæ tuæ*: de quo vide Tusc. 5. Hîc videmus poetam opponentem rationi siue humanæ prudentiæ fortunam: quam Ouidius dignari videtur nomine Dei in hoc disticho,

At tu, seu ratio te nostris appulit oris,
Sive Deus, regni commoda carpe mei.

Vtrique autem caussæ suum est valdè appositũ verbum. *Dare* enim est veluti iudicij cuiusdam: qualem certè notionem annotauimus Epodis 4. τὸ sortem habere, quum euentus ex sorte profectus diuina voluntas vocetur. Eam ob rem Salomon in Prouerb. dicit, *in sinum proijcitur sors, sed casus ipsius pẽdet a Domino*: vnde Christiani discãt nihil sibi temerè accedere, sed prouidentiæ Dei omnia tribuere. *Obijcere* contrà est casus & imprudentiæ, vt ex hoc Terentij ver. 1. Act. 4. Scen. 4. Adelph. intelligi potest, *discrucior animi: hóccine de improuiso mali mihi obijci tantum!* ubi Donatus notat obijci de rebus insperatis & inopinatis dici. Pro *obijcere* Cicero dicit lib. 2. ad Atticum, *quod fors obtulit, id acturus videtur.* & Terent. in Hecy. *Quia tam incommodè illi fors obtulerat meum aduentum. Gallicè, pour autant que ie ceurs estois venu si mala point.* Vrrumque tamẽ verbum Cicero act 2. in Verr. coniunxit, *Quod erat optandum maximè, id non humano consilio, sed prope diuinitùs datum atq; oblatũ vobis summo reip. tempore videtur, Gallic. en la tres grande necessite du bien public.* Et hic ipse de se posteà Satyr. 6 *nulla enim mihi te fors obtulit.*

Diuersa sequentes.] Quamuis verbum *laudet* ad *nemo* referatur, affirmatè tamen sumi debet pro *quiq; laudet*: quo modo in Epist. 5. lib. 4. ad Famil. sumi necesse est: *deniq; noli te oblitiscì Ciceronem esse, & eum, qui alijs consueueris præcipere & dare consilium, neq; imitari malos medicos*, &c. Hoc infinitum τὸ *imitari* ita pendet a verbo *noli*, vt pars huius affirmans intelligenda sit, *neq; velis imitari*,

imitari, non autem negans. Sic Epist. 30. lib. 2. ad Fam. *noli imprudens esse, nec mihi molestiam exhibere.* Hic ex *noli* eliciendum est affirmans *velu*, non admodum dissimilem hinc syntaxin habet obseruatio particularum *nec*, *&*. Item per loci mutationem *&*, *nec*. Priorum exempla sunt epist. 1. lib. 10. ad famil. *Furntum nostrum tantis te fieri nec miror, & gaudeo.* Ibidem epist. 20. *Studia mea erga te tibi tam grata esse, quàm ego putari fore minimè miror, vehementerq; lætor.* videt hic lector partem sententię vnam negatam, alteram affirmatam: vbi equidem putarem copulatiuam affirmationis exponēdam per discretiuam sic, *nec miror, sed gaudeo, sed lætor.* exemplum posteriorum habetur epist. 1. lib. 10. ad Att. *at hoc, quod agimus, & turpe, nec tamen tutum:* quod per discretiuam etiam explicari *sic, post, quamquam*, non est tutum: nos in Italia manere, turpe tamen est. Præterea hic ellipsis est discretiuæ ante *laudet*, vt sensus sit: *sed quisq; magis probet rationem vitæ, genus studium, & professionem aliorum hominum longè diuersam a sua.*

Ea certè est hominū inconstantia, vt ab eo studio, ad quod priùs animum adiunxerant, facilè recedant, dum res illis malè procedit: cui vitio medicinam facit Plut. l. περὶ τῆς εὐθυμίας, *de securitate & hilaritate animi.*

Grauis annis] Pro hoc Cic. dicit *ætate ingrauescente*, & Liu. *graues ætate* lib. 2. & 10. *grauior natu.* & Terent. in Heaut *grauior æuo.* & Virg. vt hic noster *grauis annis.*

Miles ait.] Poeta ita docet Ep. 14. l. 1. ad villicū suum, id humanis ingenijs esse insitum, vt semper alienam sortem magis, quàm suam mirentur: inexpertis lætentur, expertis offendantur.

Optat ephippia bos piger: optat arare caballus.

Talis hominum inconstantia & leuitas Epist. 1. l. 1. notatur:

Iidem eadem possunt horam durare probantes?

quod non dissimili tropo expressit Ouidi:

Fertilior seges est alieno semper in aruo,
Vicinumq; pecus grandius vber habet.

Talem humanæ conditionis inconstātiam, & mutabilitatem Mich. Hospitalius Franc. Canc. notauit ad fin. Saty. lib. 4.

Hinc quia natura nescimus commoda nostra
Quæ sunt in nobis, cæci quæq; intus habemus,
Nobis euenianr, optamus. Sic ego, quod tu;
Quod sum ego, tu fieri cupis, hic se vertere in illum,
Rursus in hunc cupit ille, nouamq; aptare figuram.
Nunc fieri miles, nunc sutor, nunc Citharædus,
Aut quodcunq; aliud in mentem venerit ipsi.
Si liceat, velit, & post paulò ad prima reuerti:
Inde suos mutant, & mas & femina sexus.
Ille habitu & membris, quàm femina mollior omnis:
Hæc pertæsa sui, sexuq; licentior ipso,
In medium gaudet procedere veste virili,
Et sanio capiti pennas aptare volucrum. &c.

Ita Terentianus Phædria Act. 1. Sc. 3. acclamat in Phorm. *Ita plerique ingenio sumus omnes, nostri nosmet pœnitet!* id est, nostra contemnimus, conditionem nobis accommodatam fastidimus: muneris nostri functionem repudiamus.

Fractus membra.] Ellipsis est præpositionis *secundùm*, vt Græcis κατὰ, in hoc exemplo, σφαττόμενος πλαδεὶς τὰ μέλη, qualis est nucis querela lib. 1. Epigr. c. κ. εἰς ἀλέκτορα.

Ταύτας δ' ἀπρέμονάς τε καὶ σύταλέας ὀροδάμνους
Κέκλασμαι, πυκινᾶις πέρμασι βαλλομένη.

Omnibus autem remis & copiose pullulantibus surculis fracta sum, crebris lapidibus petita. Hellenismus Poetis Latinis maximè vsitatus, pro quo dicunt Oratores, *miles fractis membris*, de quo sæpè aliàs, maximéque in ipsa statim Od. 1. l. 1.

Nunc viridi membra sub arbuto Stratus.

Contrà mercator.] Hic ex antecedente προσυπακουστέον, *subaudiendum est τὸ ait:* sed in hac conditionum collatione, vbi miles mercaturam, & mercator militiam laudat: si querelas vtriusque spectes mutuas; τὸ *contrà* vicem significat, vt in Eunuch. Act. 3. Sc. 1. *Si laudabit hæc illius formam; tu huius contrà.* id est, *vicissim*: sin conditionem artium; quandam diuersitatem.

Militia est potior.] Ellipsis est hic casus comparatiui

10 *negotiatione mercium.*

Quid enim.] Hic puto etiam ellipsin esse horum, *quid enim solet geri militia?* respondet, *concurritur*, vbi τὸ, *enim* ætiologiam suam perdit in interrogatione, sicut γὰρ interdum Græcè, Iliad ρ.

Ἀλκίμεδον, τίς γάρ τοι Ἀχαιῶν ἄλλος ὁμοῖος;

O Alcimedon, quis Achiuorum alius tui similis?

vt sumitur Matth. c. 23. v. 17. μωροὶ καὶ τυφλοί, τίς γὰρ μεῖζων ἐστὶν, ὁ χρυσὸς, ἢ ὁ ναὸς ὁ ἁγιάζων τὸν χρυσόν; *O stulti & cæci, virùm maius est, aurúmne, an templum ipsum aurum consecrans?* reperitur etiam vacare extra interrogationem: Lucian. καλὰ μὲν γὰρ ὦ Λητοῖ τὰ τέκνα ἔτεκες τῷ Διί, *honestos quidem, o Latona, etiam liberos peperisti Ioui.*

Concurritur [Verbū est militare, & impersonale hic significanti is, quàm si diceret: *Inter se milites concurrunt*, vel, *collatis signis consligunt agmina. & prælia committunt*, quod Græci dicunr ἐφορμῶσιν ἀλλήλοις, *alij in alios irruūt & impetum faciunt*, quo Virgili Geor. 4. vtitur de apibus more bellantium irruptionem facientibus:

Ergo vbi ver nactæ sudum, camposq; patentes,
Erumpunt portis: concurritur.

item Aeneid, 50.

Agmina concurrunt, ducibusq; & viribus æquis.

Momento horæ.] Pro hoc temporis breui spatio dicet Epist. 2. lib. 2.

Est proprium cuiquam, puncto quod mobilis horæ
Permutet dominos,

Breuiori spatio idē effertur Græcè per γίνεσθαί τι σὺν ἀτόμῳ καὶ σὺν ῥίπῃ ὀφθαλμοῦ. i. *aliquid fieri in momēto & ictu oculi.*

Cita mors venit.] Celeritas mortis corpus afficit leui

40 sensu doloris: itaque milites audaciùs in arma ruunt. Huc referēda sunt τὰ πρατεῖα Σπάρτας πάτρια θέσμα, *fortis Spartæ patria instituta.* In prælio aut vincendum, aut fortiter occumbendum, vt apparet e trib⁹ Epigramm. lib. 1. ἀνθολ. cap. ε. de mulieribus Spartanis contra ignauiam & turpem fugam suorum liberorum.

Sub galli cantum.] Id Ciceroni est, *Bene manè hæc scripsi.* lib. 4. ad Attic. & 5. ad eundem, *multo manè.* vt Plautus, *nimis manè.* Semper autem *sub* cum casu accusandi tempus designat, ut Satyr. l. 2. *Mæcenas serum sub lumina*

50 *prima venire*, teste Seru. lib. 1 Georg. ad vers. *Sub Arcturum*, &c. quod Latini Gallicinium, Græci ἀλεκτοροφωνίαν dicunt vocibus coniunctis, vt disiunctis, ὑπὸ τὴν ὄρθρον τῆς περὶ τὴν ἠώ, & ἐπὶ τὴν ἠώ, itē ἐπὶ τὴν ὥραν σὺν ἀτῇ, ὑπὸ πυκνά, τῇ ὑπὸ νύκτα, *sub diluculum & circa exortum aurora, & horam nonam, sub ortum caniculæ, & sub noctem*, Vox autem Græca ἀλεκτρυὼν ἢ ἀλέκτωρ inde dici creditur, q, cantu gallinacei homines ἐκ τοῦ λέκτρου ex suscitentur ad opus: quod mirificè convenit cum descriptione Plin. lib. 10. cap. 21. quum gallos gallinaceos vocat *nostros vi-*

60 *giles nocturnos, quos excitandis in opera mortalibus, rumpendoq; somno natura genuit.* Norunt sydera & ternas distingūt horas interdiu cantu. Cum sole cubitum eunt, quartaque castrensi vigilia ad curas laboremque reuocant, prænunciāt diem tribus interuallis cant⁹. de quo lege præterea quæstiones Ambrosij Leonis Nolani, de Mysterijs Naturæ. Ita Martial. l. 14. Epigr. postremo, *cristatas lucis aves* περιφραστικῶς nominauit. Ita quoque Ouidius lib. 2. Fasto.

Iam dederat cantus lucis prænuncius ales.

Vnde dicitur ἐγερσιβόντος, *cantu excitans.* Præterea dicitur ab Aristophane in Comœd. Αὐτῶν Ἀρεως νεοττός. Martis pullus i. auis Martia ὅτι ὁ ἀλεκτρυὼν μάχιμός ἐστιν ὄρνις. i. quia gallinaceus est auis pugnax. Quod autē Virg. dicit *fera sub nocte*, l. 7. Aen. Horatius effert Od. 9. l. 1. *leneq; sub noctem susurri*, id est, ineunte nocte. Sed illud Cæsaris lib. 1. de belle ciuil. *Pompeius sub noctem soluit nauem*, interpretor. noctu: vnde constat τὸ *sub* rarò cum casu auferendi significare tempus, sed potiùs locum denotat, *sub lecto, antro, sub tegmine fagi, vmbra*, & similibus.

Consultor.] Τοῦτο ῥῆμα μέσον ἐστι, *verbum est medium:* sæpiùs tamen pro eo sumitur qui consilium petit & capit ab altero, vt hic & apud Ciceronem pro Balbo & pro Muræna: *vigilas tu de nocte, vt consultoribus tuis respondeas.* Sallust. tamē in bello Iugurth. vsurpat pro eo, qui dat, vt Græcum σύμβουλος, *simul etiam petijt, vt fautor consulto q; esset sibi*, sicut in illo proverbio: *malum consilium consultori pessimum*, à Varrone vsurpato. Vox tamen Græca non reperitur dicta de petitore cōsilij, sed tantùm de datore eiusdem & admonitore. Iurecōsulti autem & patroni qui suis clientibus, & ijs à quibus consuluntur, prospiciunt & consulunt, ne decipiantur fortassis in contractibus, propriè *cauere* dicuntur: vnde Ouid. 1. Metamorphoseōn:

Illo sæpè loco capitur consultus amore,
Quique alijs cauit non cauet ipse sibi.

Cic. l. 7. Epist. fam. 6. ad Trebatium scribit: *Tu qui cæteris cauere didicisti*, &c. Apœcides Plautinus Epidico: *Hic poterit cauere rectè, iura qui & leges tenet.* vbi simul notationem Epidici exprimit. Hinc eiusmodi σύμβουλον Plautus ibidem cautorem nominat. *Iam ipse cautor captus est.*

Vbi ostia] Scholiast Aristophanis in Pluto docet etymum huius vocis: Ῥωμαιοστόμια τὰς θύρας φασὶ παρὰ τὸ ἐξωτέρω τὸν ἐπερχόμενον, *Romanensis ianuas vocant ostia, quòd irrumpentes extrudant*, a quo non abiudicat notatio Isidori ac definitio: *Ostium est, per quod ab aliquo arcemur ingressu, ab obstando dictum*: cui opponitur prouerbium θύραν ἀνοίγειν, *ianuam aperire*, quo vtitur D. Paul. c. vlt. Ep. 1. ad Corinth. θύρα γάρ μοι ἀνέῳγε μεγάλη, *ostium enim apertum est mihi magnum*, pro quo Terentius dicit, *fenestram aperire ad aliquid.*

Ille datis.] Agricola coactus fide soluendâ promisso vadimonio sistere, prædicat solos felices vrbium incolas. Verbo autem clamandi exprimitur vastitas hominis.

Vadibus.] *Vadis, huius vadis*, initiò flecti solitum, sed posteà *vas, vadis*, dictum à potestate vadendi, quò volet is, qui dederit vadem. Nonnulli tamen malunt deflectere a voce Cimbrica *vasl.* arcte apprehēsus, vt vadari a vator t. in d. mutato *apprehendo auriculam*: qui mos priscus veterum Romanorum fuit aliquem vadantibus, vt dicetur satyrâ 9. huius lib. vas autem definitur sponsor alterius in re vel criminali, vel pecuniaria, quem Græci dicūt ἐγγυητὴν, vt vadimonium, ἐγγύησιν, καὶ ἐγγύλιν. 1. fideiussionem, quas quidem voces Eustathius docet vers. ἰλιαδ.

Γῆρα δ' ἔθηκεν ἐλαφρὰ, πόδας καὶ χεῖρας ὑπέρθεν. i.

Membra autē posuit leuia, inferne pedes, & manū supernè. Quum annotat hic προσυπακουστέον ἢ εἰς τὸ πόδας, τὸ ἔνερθεν διὰ συντομίαν. γίνεται καὶ ἐγγύη, ἡ ὡσανεὶ σὺν χερσὶ τιθεῖσα τὸ κατεγγυᾶσθαι, καὶ τὸ ἐγγυαλίζω, ἤγουν σὺν χερσὶ τίθημι 1. *subaudiendum autem est in hac voce, πόδας, aduerbium, infrà, per concisam breuitatem. fit quoq; ἐγγύη.* 1. *sponsio (ac dicitur) quasi ea in manibus poneret rem promissam & fidei commissam, & verbum ἐγγυαλίζω.* 1. *quasi in manibus pono paratum*: quod verbum Æmylius Portus in paraphrasi metricâ, Græcâ & Heroica Psal. 4. vsurpauit.

ἴσε τοῦ' ἐξ ἄλλων Θεὸς, ὅτι θελήσατο πάντων
Οἷς σπῆσαι ἐμοὶ βασιλήιον ἐγγυαλίσειν. 1.

Hoc quidem scitote, quod Deus inter alios omnes, &c. cuius rei exemplum est l. 3 de Offi. in duobus Pythagoreis, Damone & Pythia. & in Tusculanis.

Cætera de.] Tot, inquit, sunt hominum genera alienam sortem mirantium, & conditionem aliorū laudantium, præsertim quum in grauibus negotijs, ac vitæ periculis sæpiùs versentur valdè dubij, vt a loquacissimo quóque vix possint memorari sine magna defatigatione: Pro *cætera de hoc genere* Cic. dicere solet. 1. de Off. *vt pastum, vt latibula, & alia eiusdem generis*: & in Topicis, *dignitatem, indignitatem, humanitatem & inhumanitatem, & cætera eiusdem generis.* Interdum dicitur etiam *cætera id genus*, sed hellenicōs, & multis perusitatè & inter alios Agellio.

Delassare.] Monent hîc Grammatici τὸ *de* esse ἐπιτατικὸν, in iunctura vim habere intendendi: sicut in desæuire, & denarrare, pro, summa sæuitia, accurata narratione & grauissima defatigatione.

Fabium.] Hic Fabius σατυρικῶς notatur, qui eques Romanus Narbonensis fuit, partésque Pompeij secutus: eo mortuo se contulit ad Stoicam sapientiam, de qua scripsit verbosissimè, ac sæpè cum nostro Poeta de ea, alijsque de rebus immodicâ loquacitate disputauit: qualem Theognis docet conuiuijs maximè conuenire:

Κωτίλῳ κὐθρώπῳ σιγᾶν χαλεπώτατον ἄχθος.
Φθεγγόμενος δ' ἀδίκως οἷσι παρῇ, μέλεται,
Ἐχθαίρουσι δὲ πάντες, ἀνάγκαιν δ' ἐπιμίξις
Ἀνδρὸς τοιούτου συμποσίῳ τελέθει.

Difficillimum est homini loquaci onus, tacere. (*adest.*
Quum autem imperitus loquitur, grauis est cura quibuscum
Omnibus ille displicet: sed consuetudo talis hominis
Aptissima esset conuiualibus fabulis, vbi omnia solent esse profusa & immoderata.

Quò rem deducam, &c.] Id est, quâ ratione & argumento confirmem positam quæstionem, *quòd sua cuique sors & professio displiceat* sic loquitur Cic. *Vniuersa res eò deducta est*: & Orat. 2. in Catil. *Rem huc deduxi*, Gallicè, *I'ai ramené le fait a ce point*, vt hîc, *Enten bien, ou tend le propos.*

En ego.] Magna est irridentis ars, vt, quod votis illi optarunt, faciat adesse, & per Deum licere.

Qui modò miles] Hîc ellipsis est verbi *eras*, sicut vtriusque, *tu rusticus eris, qui modò eras consultus*: ideóque subdistinguendum est post *tu*, & post *modò.*

Tu consultus.] Pro quo antè *iuris legúmque peritus* dixit. Hoc superiori τῷ *cōsultor* opponitur genere relationis. Patronus dat consilium, rusticus accipit.

Nolunt.] Hîc est ellipsis infiniti *mutare*, vt sit, Non possunt consentire mutuæ sortium commutationi, quum datur facultas.

Licet esse beatis.] Sic Cic. loquitur l. Tusc. 1. *Licuit otioso esse Themistocli; licuit Epaminondæ; liceat etiam mihi*: alterâ tamen syntaxi dixit lib. 3. ad Atticum, *Iam mediocres esse non licebit*: quomodo Cæsar, *quibus licet esse fortunatissimos.* Sed illa superior similis est huic Græcæ in Protagora Platonis ὦ τὸ πρῶτον μὲν ὑποφέρει ἰατρῷ εἶναι, ἔπειτα ἀγαθῷ ἰατρῷ, *cui primùm licet esse medicō, deinde bono medico.*

Buccas inflet.] Quod Græcè dicitur, σὺν λόγῳ ἐνείνοις ὀργίσθειεν ὁ Θεὸς, id est, *quin illis meritò succenseat Deus.* Pro quo in Epist. ad Pisones dicit, *Tumido delitigat ore.* Grammatici autem tradunt buccas concauas oris partes esse, quæ concepto flatu distenduntur. Caussa autē talis inflationis existit e dolore, quem percipimus

διὰ φαινομένην ὀλιγωρίαν τῶν εἰς ἡμᾶς, ἢ εἰς ἡμῶν τινα μὴ προσηκόντως, e manifesta contemtione, vel nostri, vel alicuius nostrum sine caussa. Tum enim vitales spiritus commotione incensi confertim erumpunt ore, tanquam vnicâ castrorum portâ, & distendunt flatu non solùm has partes & thoracem, sed reliquas etiam corporis. Idem efferre solent Græci *διὰ τῶν γνάθων, ἢ γνάθμων, per has voces, genas & malas*: quæ tamen apud bonos Hellenismi auctores & buccam, & genam, & mandibulâ assignificant: quo modo extulit Demosthenes in oratione de falsa legatione sub finem, vbi reprehendit insolentiam Aeschinis: *Ἐπειδὴ δὲ μύθια ἔφραγται πολλὰ, τὰς ὀφρῦς ἀνέσπασε, aliàs ἐπηρκὼς, κἄν, ὅγε γεγραμματισμὸς Αἰσχίνης, εἴποι τις, εὐθέως ἐχθρὸς καὶ πανοῦς φησιν ἀπεκρίνατο, καὶ διὰ τῆς ἀγορᾶς πορεύεται, βοιμάτιον καθεὶς ἄχρι τῶν σφυρῶν, ἴσα βαίνων Πυθοκλεῖ τὰς γνάθους φυσῶν. Posteà verò quum infinita mala dedit, supercilia attollit: ac si quis dicat, Aeschines* olim *scribam egit* (quod Galli exprimunt, *Aeschines a esté autres fois chiquaneur παρὰ τὸ πιχαίνειν, ab offendendo & excogitandis technis & dolis flectentes*) *statim hostis* factus *clamitat se cõtumeliâ affectum, atq; per forum ambulat veste ad talos usq; defluente, similiter atq; Pytocles incedit, buccas inflãs.*

Duo hîc vitia notantur: Superbia, quum alios contemnit, & Ira, quum ipse adducitur in contentionem. Similiter loquitur Demetr. Phaler. *τὰς γνάθους φυσῶν, τὰς ὀφρῦς ἐπηρκὼς, Buccas inflans, supercilia tollens.* Id est, irâ æstuans, & superbiâ elatus. Quanquam autem non desunt, qui solam arrogantiam his duobus designari volunt, *ὡς μέγα φυσᾷν ἢ μέγα φρονεῖν*: nostet tamen Poeta de ira alteram interpretatur, quæ nonnunquam exprimitur vnicâ voce, *φυσίγναθος, Buccas inflans*: quo nomine dicitur rex ranarũ apud Homerum in Batrachomyomachia, quam vocem Galli aptè reddunt suâ linguâ, *Il est bien bouffé, il s'enfle comme un crapaut.*

Votis vt præbeat.] Sic Cic. *Facilem se præbere in audiendis hominibus & admittendis*, & hic ipse in Ep. 1. lib. 1: *Patientem aurem commodare.*

Vt qui iocularia.] Ellipsis est, ne sic percurram ridens propositum, vt qui narrat iocos.

Quanquam ridentem.] Id est, quid obstat, quo minùs, qui ridet, possit etiam verum dicere, & aliquid seriò agere, vel, quid prohibet & vetat, quin a ridente veritas dicatur?

Olim.] Est hîc temporis indefiniti, vt Græcum *ποτὲ aliquando, quandoq;*. Satyr. 8. huius lib. *olim truncus eram ficul.* est præteriti. Est interdum futuri, Ode. 10. lib. 2. *Non si malè nunc, & olim sic erit.* Ita Græcum *πάλαι* aduerbium sumitur.

Crustula blandi.] *Ὑποκορεστικὸν* diminutiuum est a *crustum*, quo significatur rei esculentæ & vescæ, sive panis, siue placentæ frustum & frustulum: sed apertiùs Seru. in vers. 3. Georg.

Concrescunt subitæ currenti in flumine crustæ.

distinguit *crustum & crustam*, citans hunc locum: quum hanc dicimus fæminino genere; partem lapidis, aut ligni, aut gelu significamus: quum verò illud; alicuius edulij, vt panis vel placentæ partem: vbi etiam appellatur Iuuenal. Sat. 4. v. 5.

Nos colaphum intulimus lambenti crustula seruo.

Vnde crustularius, qui vulgò pastinarius dicitur: vtrumque Græcè *ψωμὸς καὶ ψωμίον* dicitur. Altero Laertius vtitur in vita Diogenis Cynici, *ἐξέβαλε τὸ τρυβλίον θεασάμενος παιδίον τῷ κοίλῳ ἄρτῳ ψωμίῳ τοῦ φακοῦ ὑποδεχόμενον, Emisit catinum conspicatus puellum e iusculo subripientem lentem cauo panis frustulo.* Hinc *ψωμοπόλαξ, parasitus bolis & buccellis ventrem explere cupiens.* Crusta autẽ & crustula fæm. gen. est, quâ quid integitur, nec quisquam vescitur. Ratio autẽ huius vocis est quibusdam a corio *διὰ τὸ συγκεκρῦσθαι* ab integro *corusta*, Græcè *ἡ πλάξ*, quod etiam tabulam & planitiem notat.

Elementa.] Ita Grammatici prima doctrinæ puerilis rudimenta vocant. Ita Quintil. in præfatione l. 1. *Principia Rhetoricæ, primæ apud Rhetorem elementa, & quæ de ipsa Rhetoricæ substantia quæruntur, tractabimus.* Quo modo Cic. dicit etiam, elementa loquendi. Ratio autem huius vocis ab alendo vel eleuando ducitur, vt hæc vocis Græcè *στοιχεῖον*, ab ordine & serie: quòd inde perfectio & ordinatio cuiusque artis tanquam ab incunabulis lacte nutrita proficiscatur. De liberali autem instructione puerorum & auditorum, non seruili, lege Platonem lib. 7. de rep. sub finem. Tales autem doctorum blanditiæ pueris sunt pueriles, vt quæ minimè proficiscantur ab homine dipsycho, cuius cogitata & facta sunt plena inconstantiæ omnia, vt docet D. Iacob. epist. Cathol. cap. 1. v. 8. Ideoque Hebræi solent blanditias dicere *Chalalzchorti* a diuisione, tanquâ diceres *ἀπὸ τὸ διχοθυμίας*, ac potiùs *θυμοδομίας*, quòd, qui tales sunt, aliud corde premant, aliud efferant ore. Itaque Dauid Psal. 11 precatur, omnia labia blanda exscindi a Iehoua.

Sed tamen.] Quia Poeta sibi *ἐπιστρωτόμενος ἐφαύσιζε αὐ*, propter parenthesin, cuius tractu interpellatus sensus solet sæpè excusari a Cicerone talib. discretiuis & alijs: qa Horatij, inquã, præsertim longiori digressione distractus sit, repetit primam sententiam, aut certè præcedẽs iam ipsius verbũ, quæ repetitio videtur vacare. Huc spectat, quod Valla in Elegantijs scripsit, Ludum sæpè sumi pro ioco, & pro exemplo citat hunc locum.

Seria ludo.] Opponũtur hîc Seriũ & Ludus, sed 1. de Off. serium & iocosum: *ac videat in primis, quibus de rebus loquatur: si serijs, seuerritatẽ adhibeat, si iocosis, lepõ: ẽ.* Et l. 6. c. 4. Fab. Quint. *Dictorum alia seria, alia iocosa, alia media.* Deflectitur hæc vox Nonio ex eo, quòd hi seorsim à risu, vt fortassis iocus a iucundo, & hoc a iuuando, id est, delectando.

Terram vertit aratro.] Pro hoc Virgil. lib. 1. Georg. dicit, *Vertere terram ferro.*

Perfidus caupo.] Qui & malignus Sat. 5. pximâ dicẽt, fortassè ratione habitâ vocis Græcè *κάπηλος*, quẽ quidã definiunt *προπώλειν ἢ μεταπράτειν ἢ παραμυκᾶσθαι τὸν οἶνον*, Gal. *reuendeur & trouillons de vin.* quæ cauponaria non exercetur sine magna fraude & damno ementis. Etymon autẽ vocis est *παρὰ τὴν κάπην, τουτ' ἔστι, φάτνην, a præsepi*, vnde quidã putant cauponẽ & stabulariũ idẽ esse, & quid ab hospite differat, videtur Cic. 1. de Diuinat. indicare: *Quum duo quidam Arcades admodũ familiares iter vnà facerẽt, & Megaram venissent, alterum ad cauponẽ, i. ad tabernarium, diuertisse, ad hospitem alterum.* Turneb. ex opinione quorunda scribit, non solùm intelligendum esse cauponem, qui statam in aliqua vrbe habet cauponam, sed etiam de copiarijs, qui publicè conducebant munus illud suppeditandi magistratibus peregrinantib. & ipsorũ cõmitatui præbenda, i. vinũ & obaria, quorum malignitas & illiberalitas accusatur Satyr. 5. huius libri.

Audaces.] *Ἀφοβία τοιαύτη πρὸς θαλάσσαν*, sic Od. l. 1. expressa est,

Illi robur & as triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commisit pelago ratem
Primus, nec timuit præcipitem Africum
Decertantem Aquilonibus.

Qui currunt.] Hoc verbum de curru terrestri dicitur quidem, vt Cic. 3. de Offic. *qui stadium curru, eniti & contendere debet, quàm maximè possit, vt vincat*: sed frequentius de cursu æquoreo & fluuiatili dici solet, vt Virg. 3. Aen. *Aequor vastum cauâ trabe currimus.*

Hac mente.] Id est, hoc consilio, & hac voluntate Gall. *A ceste intention.* Quemadmodum sumitur Ep. 1. lib. 1. *Non eadem est ætas, non mens.*

Cibaria.] Cibaria, alimenta sunt quælibet ad vitam sustentandam, Græcè τὰ βιωτικά, & ita Cicero *penus* definit, *omne, quo homines vescũtur* 2. de nat. De: Ita quoq; Ter. in Eun. *Patris penum omne congerebam clanculum.*

Formica.] Grammatici notant hanc bestiolam ita dici Latinè a micis ferendis: & Græci paulò solertiꝰ idem tradunt, μύρμηξ, aiunt, παρὰ τὸ μορμηρίζω, τὸ φροντίζω, μορμηρίξω, διὰ συγκοπῆς μύρμηξ ἡ προσῳδῆς τοῦ ι εἰς υ μύρμηξ, ἤγουν ὁ τῶν χειμερινῶν καιρῶν τῶν τροφῶν μεριμνῶν. ἢ παρὰ τὸ μείρω. ἔστος γὰρ διὰ τὸ μὴ ἀναφύειν τὸ σῖτον, εἰς δύο μερίζων ἀποσῴθησι, id est, *vel a verbo significante aliquid curæ habeo per syncopen futuri ι in υ verso, vt quæ videlicet anxiè solicita sit de alimento in tempus hybernum conquirendo: vel a diuidendo, hæc enim ne frumentum congestum renascatur, id est, in segetem germinet & herbescat, illud in duas partes dissectum seruat reconditum*: cuius diligentis ac industriæ specie, pleonexia, de qua hîc agitur, dissimulatur & obtegitur. Proponitur quidem tam a sacris, vt Prouer. cap. 6. quam a prophanis scriptoribus, vt ab Arist. lib. 9 hist. Animal. cap 38. exemplum formicæ segnibus & ignauis hominibus, vt sibi & suis maturè & moderatè consulant labore: cuius posteà fructu quietè fruantur ad virtutis adeptionem, & ad vitij declinationem, ne noctes atque dies curis edacibus habendi sese miserè cõficiant, quale est illud Phocylidis iamiam mihi succurrens:

--- πόνος δ' ἀρετῆς μέγ' ὀφέλεα.
Μύρμηκες γαίης μυχάτης προλελοιπότες ἄστυ
Ἐρχόνται βίοτοιο πεχρημένοι, ὁππότ' ἄρωγας
Λήϊα πειράωνται παρτῶν πλήθουσιν ἁλωάς.
Οἱ δ' αὐτοὶ πυροῖο νεοζυβὲς ἄχθος ἔχουσιν,
Ἢ κριθῶν αἰεὶ ἡ φόρων φορέουσα διώκει,
Ἐκ θόρεος ποτὶ χεῖμα βορῆν σφετέρῃν ἐπάγοντες
Ἀτρύτον, φίλον δ' ὀλίγον τελέθει πολύμοχθον,

---In labore multum est adiumenti ad virtutem.
Formicæ cauernis terræ relictis victus inopiâ prodeunt,
Quum demessa agris segetes fructibus implent areas,
Atq; tritici recens triti sarcinam accipiunt
Aut horaei: semper autem gestans gestantem vrget,
Ab æstate in hyemem cibaria sua inuehentes
Sine defatigatione, genus quidem animalis pusillum, sed multi laboris, vel, vt hîc dicitur, *formica magni laboris.* Diligentia & studium Troianorum Carthagine discedentium simili industriâ formicarum l. 4. Aeneid. 401 explicatur.

Migrantes cernas, totaq; ex vrbe ruentes,
Ac veluti ingentem formicæ farris aceruum
Quum populante, &c.

Vbi citatum hunc locum legere poteris, & Plinium de hac bestiola (cuius exemplo inuitat Ouidius iuuenes ad laborem:

Dum vires annique finunt, tolerate labores,
Iam veniet tacito curua senecta pede.)

lib. 11. cap. 31. & Strab. lib. 15 Obserua hîc epithetum τὸ *paruula* interpretari Græcum Phocylidis τὸ ὀλίγον. Sic epist. 18. dicet, *tibi paruula res est.* In huiusmodi autem rebus extenuandis magisque exprimendis Terent. & Cic. vtuntur diminutione geminatâ. Ille Andr. Act. 2. Sc. 2. *olera & pisciculos minutos*, &c. quæ, etiamsi perelegans sit, non videtur tamen Donato in eum locum satis probari, quum dicit, *sufficeret diminutiuè pisciculos dixisse.* Cicero in præfatione in Paradoxa rationem disputationis Stoicæ vocat *minutas interrogatiunculas.* Locus autem Theocriti ex Idyllio 17 non conuenit refutandæ præsenti cupiditati: propterea quod Theocritus loquitur de formicis Indiæ Septentrionalis cornutis & pugnacissimis, staturâ æquantibus lupos Aegyptios, quæ inutiliter effodiunt e cauernis terræ aurum, & recondunt: quod Indi obseruantes posteà furantur, quum illæ propter æstum foràs non exeunt.

Quæ simul.] Id est, statim vbi tempestas vertentis anni, pluuiæ, ignauumque frigus malè corpora afficiũt, sibi formica consulit aceruo suo abdita. Id autem fit, quum Sol transit in Aquarium 17. Calẽdas Februarij, id est, 15. die Ianuarij, quàm Græci nominant χειμερινὴν ἐντροπήν: sed in hac regione multò priùs, vt alibi, pro varia cœli affectione. Est autem Aquarius vnum ex signis Zodiaci, in quod Poetæ fabulantur Ganymedẽ a Iove translatum, qui nectar ipsius aquâ infusâ temperat, vnde ὑδροχόος, ἢ ὑδροχόεις dictus est, de quo Cic. sic ex Arato fecit:

Propter Aquarius obscurum dextrâ rigat amnem:
Exiguo qui stellarum candore nitescit.
Quæ tenues stellæ perhibentur nomine aquai.

Contristat annum.] Pro hoc Cicer. dicit l. 2. de natur. Deor. *tristitia quædam contrahit terram, tum vicissim lætificat*: vbi ego quidem miror, cur Orator abstinuerit verbo nostri Poetæ loco prioris, si veritus est vti verbis *lætificandi.*

Prorepit.] Idem verbum erit Satyrâ ꝓximè sequenti. Est autem foràs sese proferre, cuius simplex *repo* fluit e Græco, ἕρπω, metathesi primæ literæ, & dicitur tàm de gradientibus ventre, quàm pedibus, quorum sic meminit Cic. l. 2. de nat. Deor. *Iam verò alia animalia gradiendo, alia serpendo ad pastum accedunt, alia volando, alia nando*, &c. vt lib. 1. Ep. 7. *Vulpecula per rimam repserat.* *Serpo* autem nullâ metathesi fit ab eodem verbo, denso tantùm spiritu in literam sibili verso, vt assolet in verbis ab υ psilo inceptis, vt ὕλη, ὑπόρ, ὗς, *sylua, super, sus*: idq; dicitur de ventigradis. Præpositionis huius vis ꝑonat *extra & vltra* in hac coniunctione, sicut in *proripio* apud Cæsarem, *sese portâ vniuersi proripiunt.* Item in *prorogare* bellum, tempus, imperium, pro vltrà ducere.

Quæsitis sapiens.] Non est hîc cõtemnenda Iani Douzæ animaduerso, qui legit *patiens* pro *sapiens*, atque interpretatur, parca, frugalis & contenta, firmatq; suam opinionem hoc versu, Sat. 6. lib. 2.

--- Quid te iuuat inquit, amicè
Prærupti nemoris patientem viuere dorso:

Feruidus æstus.] Hoc videtur propriè sumendum, vt Od. 5. l. 2. de *iuuenca fluuijs grauem solante æstum*, non translatè, vt Epist. 2. lib. 1. *populorum continet æstus*, quod vt ita sentiam, faciunt hæc etiam verba, hyems, ignis, mare, quæ non adeuntur sine periculo.

Dum ne sit.] Sic Cic. ad Attic. l. 8. *Ego si cui adhuc videor segnior fuisse, dum ne tibi videar, non laboro.* Interdum habet secum *modò*, vt Ter. in Heaut, Act 3. Scen. 1. *Decretũ est pati, dum illum modò habeam mecum.* Gall. *pourueu que, moiennant que.* Non dissimili furore capi amatores iratos scribit Propert Eleg 1 lib. 1. atq; hic auaros pleonexiâ trahi:

Fortiter & ferrum, sæuos patiemur & ignes,
Sit modò libertas, quæ velit ira, loqui.

Hîc autem *hyems, ignis, mare, ferrum*, dicuntur per Asyndeton, quod Cicero appellat dissolutum.

Timidum deponere.] Hic metus potest esse hominis miserè abstinentis ab vsu suæ pecuniæ, quemadmodũ dicitur in Epist. ad Pisones:

Quærit, & inuentis miser abstinet, ac timet vti.

Vel formidantis fures & seruos fugitiuos, Columella lib. 3. cap. 10. alterâ Syntaxi dicit, *malleolum in terram depositum*, imitatus Cæsarẽ 4. Com. bell. Gall. *Deponebãt in sylua liberos, vxores & sua omnia.* Suadet igitur nihil iuuare

huuare timidum auarum, si clàm & occultè deposuerit suum thesaurum in terram valdè cauatam: id enim *defodere* videtur designare. In simili argumento Virgilius Aen. 10 vtitur eodem verbo:

Est domus alta: iacent penitus defossa talenta
Cælati argenti: sunt auri pondera facti.

vbi Seruius citat hunc locum, & hoc reliquit annotatum: *sanè meliùs infossa diceret, quàm defossa: ad quod est metri necessitate compulsus.*

Quòd si] Præstat hîc, *τὸ quod*, vim habere relationis ad pondus auri, quàm facultatem coniungendi.

Vilem assem] Varro *as* ab ære dici, & Budæus illum valere aliquātò plus quattuor Gallicis denariolis Turonēsibus ex Plinio tradit, cuius mētio est apud Varr. lib. 1. de Analogia: sed a recentioribus Græcis ex hoc Latino fit ἀσσάριον, vt a Plutarcho in Camillo, & ab Hesychio definitur τὸ λεπτόν. Duo verò λεπτὰ valent quadrantem, id est, duos nummulos: quod legitur in Euangelio οὐχὶ δύο στρουθία ἀσσαρίου πωλεῖται; *Nonne duo passerculi asse væneunt?* interpres tamen Geneuensis hîc maluit retinere *assario*, quicquid sit, quàm vertere minuto asse, quòd ille valeat tantùm dimidiam partē assis e lib. 33. cap. 3 apud Plinium, & e Georg. Agricolæ lib. 2. de externis ponderibus. Satis ex hoc loco, & ex Epist. 2 lib. 2. de milite Luculli, *qui collecta multis arumnis viatica perdiderat ad assem.* deinde ex Ep. 16. lib. 1. de auaro, *qui se in triuiis demittit ob assem fixū*, satis, inquam, constat assem esse minimi pretij monetam, vt quiddam ἡμιοβόλιον.

At ni id fit] Id est, nisi pondus auri & argenti commi- 30 nuitur & impēditur ad res necessarias, perinde habendum est, ac si eo careres.

Millia frumenti] Duplex est hic Ellipsis *modiorum frumenti*, vel *medimnorum*: deinde discretiuarum coniunctionum, *Quamuis area tua triuerit centum millia frumenti.* vel, *in tua area triti fuerint infiniti modii frumenti, non ideo tamen venter tuus plus capiet.* τὸ, *hoc*, valet hic διὰ τοῦτο, sed τὸ idē valens vsitatius est, vel per se, vt v. 89. Sat. 6. l. 1. & Sat. 9. eiusdem, v. 55. vel cum *quòd*, sæpiùs hîc & apud alios scriptores. Adde huc, *area* dici ab arescendo.

Reticulum] Deflectitur hæc vox a rete ὑποκοριστικῶς, ac præter alia hîc significat viatorium sacculum ad panem & aliud viaticū importandum & in modum retis contextum.

Venales inter] Ellipsis est substantiui, *seruos* Quintilian. l. 8. c. 2. de perspicuitate tradit: Quod commune est & aliis nomen, intellectu alicui rei peculiariter tribuitur, vt vrbem, Romam accipimus: venales, nouitios, & Corinthia, æra: quum sint vrbes aliæ quoque, & venalia multa, & tàm aurum & argētum, quàm æs Corinthium. Sed Rhetor ille parùm animaduertit, in his tropum generis pro specie. Est præterea Anastrophe, vt in illo Virg. *Italiam contra.*

Vel dic] Hoc verbo magistratus, quū senatū habebat, sentētias rogabat, quem Poeta imitatus sic interrogat Pleonectā. Sed hæc formula expressior est Act. 2. Sc 4. Phor. in his verb. *dic Cratine, dic nunc Hegio, dic Crito.*

Quid referat] Mallē hîc legere in casu gignendi: *Quid referat viuentis intra fines naturæ.* vt Sallust. loquitur, *magni illorū referebat*, & Fab. Quint. *Multùm refert cōpositionu, quæ quibus anteponas*, pro multùm interest. Sed Cic. p *viuere intra fines naturæ*, solet dicere, *viuere cōuenienter & congruēter naturæ*: nonnūquam etiā *secundum naturā & ad eā accōmodatissimè, quæ sit optima dux viuēdi paucis cōtenta.*

Magno tollere] Similē prouerbio sententiam Ouid. in Ibin dicit, *Aquā de mari capere*, p aliquid inde capere: vndè semper magna nobis suppetitura sit copia.

Cumeris] Cumera definitur a Grammaticis e materia & fine: quòd sit vas, vel vimineum, vel figlinum: quæ definitio rectè conuenit vni notioni τῆς κωφέλης, δῆλον ὅτι τὸ εἶδος τῆς ἀγγείου πλεκτῆς, ἢ κεραμέου ἢ δεκτικῆς τῶν πυρῶν ἢ κριθῶν· *genus vasis, quod plexum & fictile capax valeat ad triticum & hordeum capienda.*

Granaria] Hoc vtitur Varr. l. 1. de re Rust. quum docet ita collocanda granaria, vt sublimia sint & perflentur ventis ab exortu & septētrionum regione, ad quæ nulla aura humida adspiret e propinquis locis. Græcè a frumenti conseruatione nomen inuenerunt σιτοφυλακεῖα, quæ hic ratione magnæ quantitatis ad paruam videntur opponi cumeris. In his autem pauperes, in illis diuites triticum & hordeum recondebant.

Iugera] In iugera Ellipsis τοῦ νὴ vel *utrùm* explenda est: vt sit sensus. *Quid possit interesse illius, qui pauco viuit contentus, vtrùm iugera centum, an mille aret?*

Liquidi vrna] Ὑγρῶν, humidæ aquæ.

Aufidus] De hoc amne fuit Ode vlt. lib. 3.

Qui tantulo eget] Cic. de Orat. per conuenientiam dicit, *Si tantum sumas, quantus opus sit*, & paullò antè: *Non arbitror tantum temporis opus esse ingenioso homini, quantum sibi ij sumserunt, quos dicentes vita defecit.* Sic τὸ opus ἀπρόσωπον καὶ ἀπλοῦν, per conuenientiam & rectionem est in vsu Latino.

Quæ tanti] Hunc locum videtur expressisse Plutarchus libello de cupiditate diuitiarum, ad quarum studium nc patres incendebant animos liberorum: κέρδαινε καὶ φείδου, καὶ τοσούτου νόμιζε σαυτὸν ἄξιον, ὅσον αὐ ἔχῃς, id est, *Lucrare & parce, & tanti te fac, quantum possideas*, vnde Iuuenal:

Quantum quisque suæ nummorum seruat in arca,
Tantum habet & fidei.

Simili modo dicitur, τὸ ἀργύριόν ἐστιν αἷμα, καὶ ψυχὴ βροτοῖς ὅστις δὲ μὴ ἔχει, τοῦτο μηδὲ κτήσασθαι, οὗτος μετὰ ζώντων τεθνηκὼς περιπατεῖ. argentum est sanguis & anima mortalis, quisquis hoc non habet, nec possidet, cum viuentibus vt mortuus deambulat. Martial. item:

Ingenium quondam fuerat pretiosius auro:
At nunc barbaries grauius habere nihil.

40 Hanc autem sententiam creditur Lucillius primus Latinorum vsurpasse.

Quid facias illi] Sic Terent. in And. Act. 1. Sc. 1. *quid facias illi, qui damnum dederit*: vbi Donatus annotat esse antiprosin pro *illo*, & plus esse, *quia illo facias* quàm *quid illi facias.* Illud enim de ipso homine, hoc de rebus intelligitur, vt idē exponit in Adelph. Act 4. Sc. 4. ver. 2. *vt neque, quid me faciam, certum sit*, Quidam Grammatici putant τὸ *quid me fiet* Ciceronis antiquè dictū: sed quum sæpè Cic. ita reperiatur locutus, vt præterea 50 lib. 7. Epist. ad Fam. *Quid porrò fiet populo?* non id existimo tam vetustū, & dici κατὰ τὴν ἔλλειψιν præpos. *de.*

Iubeas] Potest hoc explicari, vt illud Cic. *iubet hunc sine cura esse*, pro, hortatur, vt sit securus. Itaque valet, *relinquas eum in miseria.*

Quatinus] Vtraque lectio potest ferri, siue αἰτιολογικῶς pro, *quoniam*, siue περιοριστικῶς circumscripte pro, *quousque.*

Vt quidam] Hic *quidam* puto intelligendum, vt in illo versu Terent. Adel. Act. 4. Sc. 5. *habitant hic quædam mulieres pauperculæ*, vbi Donat. monet cum abiectione 60 pronunciandum, & τὸ *quædam* indicare ignobile, qualis est sordidissimus quisque vel e clarissimis ortus.

In arca] Varroni dicitur hæc vox, quòd fures arceat ab inclusis in ipsa rebus: sed præstat dici ab altera verbi notione, quòd arctè contineat & seruet inclusa.

Tantalus] Nota est cuique fabula Tantali ex Odyss. λ. qui locus conuenit cum hoc nostri Poetæ: sed Pind. Olymp. ὠδὴ α. in genere supplicij ab eo dissentit, lapide ponderoso semper eius capiti impendente, perpe-

tuumque terrorem incutiente, propter Ambrosiam & Nectar Diis furto surrepta & suis compotoribus communicata. Rationem autem huius vocis *Tantalus*, repete e Cratylo Platonis: de eodem etiam vide Euripid. in Orest. Lucr. l. 3. Virg. l. 6. Aen. vbi Serv. citat hunc locum, dum ait: *Tantalus autem hac lege dicitur apud inferos damnatus, vt Eridano inferorũ stans, nec vndis præsentibus, nec vicinis pomariis perfruatur: per hoc autem avaritia significatur, vt est apud Horat:*

Inhians] Potest hoc participium regere, *saccis*, casum dandi, vt 3. Catil. *vberibusq; lupinis inhiantem.* Plautus tamen ponit cum accusandi casu, *inhiare aliquẽ*, & Virg. 3. Georg. *inhians tria Cerberus ora.* Non alienum tamen videretur regi hunc casum, *saccis*, ab *indormis*.

Nescis, quò valeat] Id est, ignoras cui rei & vsui destinatus est nummus & cusus, confectusque.

Panis ematur] Hic est ellipsis τὸ ἐπιῤῥήματός τινος ἐπεξεργαστικὸν ἢ διακαθαρτικὸν, *videlicet, nempè*, vt Græcè ἄλλου, ὅτου, ἀλλαχοῦ, ἀλλοτε, ἄγαν, aduerbij alicuius rem exprimẽtis, quod boni Latinitatis auctores elegantiùs subticent, vt hic, quò valeat nummus, *id est*, vel, *scilicet*, vt panis ematur: vt etiam in orat. pro Muræna, *Quem non pœniteat facere idem, quod tu, habere eruditissimum hominem, cuius oratione asperior non est factus*, vbi intelligitur post, *habere*, τὸ *scilicet hominem.* Hanc tamẽ expressisse videtur Poeta Epist. 20. lib. 1. *Liber spectare videris, Scilicet vt prostes.*

Veni sextarius] Quanta hæc sit mensura, non planè constat: quum tamen e lib. 15. de Asse Budæi sextarius capiat cyathos 12. & sextans duos, necesse est senos sextantes efficere sextarium, quem tantùm ebibebat Augustus, quoties se largissimè invitaret, nec excedebat, sicut Sueton. refert in ipsius vita cap. 77.

Adde] Idest, huc accedat, vt si negaueris humanæ naturæ ea, quibus illa non potest carere, certè sentiet dolorem.

Seruos] Hæc vox Latinis est a *seruando* dicta, quòd in bello capti seruati sint: hanc vocis rationem Iurisconsulti comprobarunt lib. Pand. libertor. & seruor. *Serui ex eo appellati sunt, quod Imperatores captiuos vendere, ac per hoc seruare nec occidere solent.* Atqui hæc conseruatio non est humanitatis, sed quæstus turpis, huiuscemodi notatio fit ab adiuncto. Sed potiùs videtur deflexa ex prisca *erus*, vnde Festus deduxit *eritudo* pro seruitute. Illud autem *erus* ab ἔρος, & hinc ἔρεον & ἔρεορ, Ὀδυσσ. θ. αὐτὶ δουλείας, καὶ ἀχμαλωσίας, *pro seruitute & captiuitate*: sed ἔρεθος Hesychio παρὰ τὸ τὴν ἔραν ἐργάζεσθαι, id est, τὴν γῆν, *a terra colenda dicitur*, ὡς γεωργὸς καὶ ἐργάτης μισθωτὸς, vt agricola & mercenarius.

Ne te compilent] Ne bonis te spolient & euertant. Grammatici deflectunt a *Pilo, as*, vel Græco πιλέω potiùs, quod est cogere, & in vnum condere, velut in pila contundendo. Sic Cic. 1. de nat. Deor. *Alij omnia, quæ possunt, fana compilant*, & in Vatinium, *Aerarium exhaurire, Remp. compilare.* Pro *compilare*, Græc. dicunt συσκυάζεσθαι, quo Lucianus vtitur in Toxari, οἱ λοιποὶ δὲ τῶν οἰκετῶν ἅπαντα ἐκ τῆς οἰκίας συσκευασάμενοι ᾤχοντο φεύγοντες, i. *reliqui autem serui, vbi omnia e domo compilârunt ac diripuerunt, abierunt fugiẽtes.* Dicunt etiam ijdem pro eodem συλᾶν καὶ περισυλᾶν, vnde *compilatores* & *expilatores*, συλαγωγοὶ καὶ συλητὰι fures sunt, qui ne pilum quidem relinquunt in corpore spoliatorum, vt Asconius annotauit in Verri 16. Plautus aliâ verbi coniunctione dicit, *Ille Ecastor suppilabat me.* in Asin.

Tentatum] Tentare potest vel a *Tendo* vel a *Teneo* deduci Grammaticorum sententiâ, cuius propria significatio est manibus aliquid attrectare. Sed hîc, vt in Tityro,

Non insueta graues tentabunt pabula fatas,

& 5. lib. Epist. 6.

——— *Renes morbo tentantur acuto.*

significat læsionem, *ledent & leduntur.*

Te afflixit] Alia exemplaria legunt, *affixit*, sed vehementioris est significationis τὸ *afflixit. Affligo* ab inusitato simplici *fligo*, estque velut προσκρούω, apprimo terræ summâ vi & prosterno, quod facilè ex geminatione cognatorum perspicitur: *deturbare & affligere: affligere & prosternere: affligere & frangere: percellere & affligere* denique *affligere & euertere.* Cicero autem pro Rabirio dicit per præpositionem, *nauis afflicta ad scopulos.* Qui sic est lecto affixus, ac velut illic exporrectus & extentus, Græcis dicitur πλινοπέτης. ¶ *Qui aßideat*] Quod vt certò exspectetur, Epicurus monebat amicum vel ipsi sapienti parandum: qua de re Seneca sic ad Luciliũ scribit epist. 9. *Non ob hoc, quod Epicurus dicebat in hac ipsa epistola, vt habeat, qui sibi ægro aßideat, quem ipsum circumuentum hostili custodia liberet. Qui se spectat, & propter hoc ad amicitiam venit, male cogitat, quemadmodum cœpit: sic desinet: Parauit amicum aduersus vincula laturũ opem. Quum primum crepuerit catena, discedet. Hæc sunt amicitiæ, quas temporarias populus appellat, qui caußâ vtilitatis assumitur est, tam diu placebit, quam diu vtilis fuerit. Hac re florentes, amicorum turba circum sedet: circa euersos ingens solitudo est, & inde fugiũt amici.* Idem Stoicus l. 6. c. 16. de beneficijs eodẽ verbo vtitur, loquẽs de opera Medici, *nõ fuit contentus remedia monstrare, sed admonit, interea solicitus assedit: ad suspecta tempora occurrit.* Fuit autem in eodem verbo Epod. 5. vis nocumenti per Deos manes, & alia erit similitudinis epist. 5. lib. 1. contrà tu ô auare, charissima quæque, naturæque vinculo tibi coniunctissima nihil sunt tibi ad tuam pecuniam.

Non merearis] Donat. in Andr. Act. 2. Sc. 1. ad vers. *Quum is nihil promereat*, scribit, τὸ *mereri esse aliquid mercedis pro labore sumere*: quum dicimus, nihil meretur, vt hîc, hoc intelligitur, *nihil mercedis dignus est accipere.* Itaque qui nihil confert in alios, quo sibi deuinciat eos, nihil etiam ipsi debetur ab alijs.

At si cognatos] Ad probabilem consequutionem huius enunciati connexi: *Si putes, ô auare, cognatos retinere, & amicos seruare sine vllo in eos meritis ac officijs, certè opinio ista te multùm fallit.* Hoc profectò addendũ fuerat, alioqui in consequens totum erit: quâ quidem adiunctione nihil opus esse videretur, si τὰ *nullo labore*, pro nullâ benignitate & studio, cum *velis retinere* construerentur, & sententiæ aliter distinguerentur.

Nullo labore] Cognatio mortalium beneficio naturæ, ac potiùs Christianè, sola Dei vnius benignitate, non hominum voluntate ac industriâ habetur.

Quoq; habeas] Hic quidam legunt, *quumq;*, & illud ætiologicum faciunt pro, *quia.* Ego verò malim retinere *quò* pro *quantò*, & τῷ *minùs* reddere, τάτὸ, quod deficit, vt sit *tantò minùs metuas.*

Parto] Est casus caussæ efficientis, qui potest ita resolui: *finiendus est tibi labor quærendi, quũ pepereris & consequutus fueris, quod cupiebas. Partum* autem propriè de eo dicitur, quod labore quæsitum est, quia nullus partus sine dolore est ac labore, vndè videretur translatum. Donat. in Phor. Act. 1. Sc. 1. Neque ego assentior ijs, qui putant hoc participium absolutè referendum esse ad tempus consequens.

Auebas] Hoc verbum videtur factum ex Hebraico *abah, concupiuit.*

Vmidius] Quidam hic legunt Numidius, quidam Vuidius: sed nihil interest ad sordes auari notandum, vtrum legas. Ellipsis est hic particulæ *ita*, ante *diues*, qui fuerit ita diues, vt metiretur nummos, non autem numeraret,

numeraret, propter infinitam multitudinem, in qua tamen nullum faciebat finem quærẽdi: qualis habendi cupiditas a Theognide reprehenditur:

Πλοῦτου δ' οὐδὲν τέρμα τεθασμένον ἀνθρώποισιν.
Οἱ γὰρ νῦν ἡμῶν πλεῖστον ἔχουσι βίον,
Διπλάσιον σπεύδουσι. Τίς ἂν πορέσειεν ἅπαντας;
Χρήματά τοι θνητοῖς γίνεται ἀφροσύνη.

Nullum sibi homines certum finem ac terminum constituunt diuitias congerendi.
Ex nobis enim qui hodie plurimum habet victus,
Duplum festinat habere. Quis autem animos hominum exsaturet?
Diuitiæ mortales ad insaniam adigunt.

Optimus pecuniæ modus est, qui nec in paupertatem cadit, nec procul a paupertate discedit. ad quem Salomon in sua precatione respexit. 1. Reg. 3.

Diuisit medium] Ita loquitur Virg. Aen. 9. v. 750.

Et mediam ferro gemina inter tempora frontem
Diuidit.

Quod Græcè dicitur διχοτομεῖν, quâ formâ dicit Terentius, *vt sublimem medium arriperem, & capite primùm in terram statuerem.* Item: *mediam mulierem complectitur:* sed illa in exitium, hoc verò ad salutem.

Tyndaridarum] De liberis Tyndari & Ledæ dictum est in Grammaticis Odes 3 lib. 1. Quidem putant hîc *Tyndaridarum* esse casum gignendi a recto *Tyndarida*, facto ab accusandi casu huius patronymici fæminini, hæc *Tyndaris, idis, Tyndaridæ.* Alij sub altero masculo patronymico *Tyndarides*, in plurali *Tyndaridæ, arum*, comprehendi fæmellas Helenem, & Clytæmnestram, quarum posterior interfecit Agamemnonem ab excidio Troiæ redeuntem, adiuta ab Aegystho: quam imitata est hæc liberta, a nullo tamen adiuta.

Mænius] Siue *Nævius* legas, homo fuit luxui deditus, perditus, ac profusus nepos. Huic non dissimilis fuit L. Cassius Nomentanus, fic ab oppido Nomento dictus, & Cassius cognominatus.

Pergis] Hoc verbũ valet hîc, *perseueras*, vt in Heaut. Act. 5. Sc. 1. *nam si illi pergam suppeditare sumptibus.* Hunc autem locũ Horatij Gallicè exprimas, *tu continue a vouloir accorder des choses directemẽt contraires l'une al'autre.* Quum hanc enarrationẽ adornarẽ, sententias Theognidis Huralthospitaliis natu minorib. Bellebati prælegebam, vbi animaduerti Poetam delapsum in similem huic difficultatẽ in ratione viuendi deligenda sed tãdem dubitationem & hæsitationẽ ita tollit, vt quisque sumtus impendat in vitam sustentandam & tuendam pro modo facultatum suarum, vt sequitur:

Εν τριόδῳ ἔστηκα· δύ' εἰσὶ δὲ πρόσθεν ὁδοί μοι,
Φροντίζω, τούτων ἥν τιν' ἰὼν προτέρῳν·
Η μηδὲν δαπανῶν τρύχω βίον σὺν πενίῃ τε,
Η ζῶν τερπνῶς, ἔργα τελῶν ὀλίγα·
Εἶδον μὲν γὰρ ἐγώ γ', ὃς ἐφείδετο, η' ὅποτε γαστὴρ
Σῖτον ἐλευθέριον πλήσιος ὢν ἐδίδου·
Αλλὰ, πρὶν ἐκτελέσαι, κατέβη δόμον Αιδος ἔσω,
Χρήματα δ' ἀνθρώπων ὃ' πιτυχὼν ἔλαβεν·
Ωστ' ἐς ἄκαιρα πονεῖν, καὶ μὴ δόμεν, ὥς κ' ἐθέλοι τις·
Εἶδον δ' ἄλλον, ὃς εὖ γαστὴρ χαριζόμενος,
Χρήματα μὲν διέτριψεν, ἔφη δ' ὑπάγω φρένα τέρψας.
Ρτωχεύει ὑ φίλοις πάντας, ὅπη τιν' ἴδῃ·
Οὕτω Δημόκλεις κατὰ χρῆμα ἄριστον ἀπαύτων
Τλῆν δαπανᾶν θέσθαι, καὶ μελέτην ἐχέμεν.

In trivio steti: duæ mihi proponuntur viæ ob oculos.
Hæreo sollicitus, vtram earum ineam priorem:
Nullúmne sumtum faciens conteram vitam in ærumna
An operis aliquantum faciens hilariter viuam.
Vidit equidem diuitem, qui parceret
Et ventri nunquam liberaliter satisfaceret,
Sed qui, priusquam medium vitæ cursum confecisset, in domum Plutonis descenderit,
Et abiectissimus quisque, maximéque insperatus divitias occupavit,
Vt intempestiuè laborârit, nihilque dederit, sicut aliquis optaret.
Vidi quoque alterum, qui ventri suo gratificans
Bona dilapidavit. Dicebat quidẽ, viuo animũ oblectãs,
Sed ab amicis victum emendicatum accipiebat, ficubi aliquem videbat.
Adeò res est omnium optima, o Domocles, pro facultatibus.
Sumtum facere, & curare res suas habere.

Vappam] Vappa dicitur Græcè ὀξύνης, & definitur vinum, quod coacescit, nondum tamen in acetum degenerauit omnino: sed τὸ οἰνῶδες καὶ τρόφιμον amisit, *naturam vinaceam & alimento idoneam*, quę quidem vini pernicies ita describitur a Chrys. οἶνος μὲν ἀρετῆς βλάβη τὸ παρατραπῆναι καὶ εἰς ὀξύνην μεταπεσεῖν. *Vitium facultatis vinacea est deprauari. Gall. estre tourné, & in acetũ transire*, quod vitium & tropũ Plinio lib. 14. c. 20. planius descripsit: *vitiúmq; musto quibusdam in locis iterum sponte feruere, quâ calamitate deperit sapor, vappaq; accipit nomen, probrosũ etiam hominum* (meliùs legeretur; *hominibus*) *quũ degenerauerit animo. Gall. en d'aucũs lieux le moust se gaste a rebouillir de soi mesmes pour la seconde fois, de sorte qu'il pert le goust & force, & ne retient que le non de vin esuenté & poussé, aiãs aussi peu de credit en son endroit, que les hõmes ont ant leur aiant perdu le cœur:* vnde illud Suetoni in Octauio c. 87. inter vsitatos Augusti sermões recensetur, vappidè sese habere, p *malè.* Vappa Græcè dicitur ὁ τροπίας οἶνος ἢ ἐξεστηκώς. Propria significatio huius erit Satyr 5. huius: *multâ prolutus vappâ nauta.* & Satyr. 3. l. 2. *potare vappam diebus profestis.* Ratio autẽ huius vocis est Iosepho Scal. in *Copam* ab Aeolica βάππα, pro βάμμα, quod est tinctura, sed absolutè positũ est τὸ ὄξος, acetum, vel quod Cic. 3. de offi. dicit *vinum fugiens*, pro quo Plinio dicit *fugax*, quum de quodam genere mali Persici scribit lib. 15. c. 12. *quo non est aliud fugacius: longissima nâmque decerpto biduo mora est, cogitque se venundari hac facillimâ corruptione*, & Plaut. *edentulum vinum.* Ad hunc etiam modum Aeoles pro ὄμμα pronunciant ὄππα *oculus*, quãquam vsurpatur in genere fæm. Latinè, a Græco neutro, sicut Plau. dicit *schemam* a Græco σχῆμα. i. vestis.

Ac nebulonem.] Donat in Eun. Act. 4. Sc. 7. ad versum *Sanè quòd tibi nunc vir videatur esse, hic nebulo magnus est, Nebulo*, inquit, vel *inanis*, vel *vanus, aut mollis, vt est nebula, dicitur:* Vbi Thais minas Trasonis gloiosas non pluris facit, quàm nebulam, atque illas non dissimiles putat foliis ficulneis, quæ quum incenduntur, minaciter perstrepunt, sed ἀβλαβῆς. Quid autem hîc moror, quum vis vtriúsque vocis *vir* & *nebulo* satis arguatur ex oppositione Terentiana?

Inter Tanaim] Hic Tanais fuit dictus a fluuio, vt inde serui, & spado, id est, libertus Mæcenatis, cui erant testiculi exsecti, vt dictũ est de vocis etymo in Gram. 9. Epod. & socer Viselli herniâ laborauit, quo genere κήλης & ramicis, nescitur, sumitur enim ipsi differentia e ratione ioci, in quem hic affectus cadit, vt si ad inguina, βουβωνοκήλη: si in scrotum, ὀσχεοκήλη nominetur. Præterea sumitur eadẽ e ratione materiæ, quæ locum malè afficit, vt si fuerit intestinum, vel epiploon, vel adeps, vel aqua, vel flatus, indè sigillatim ducitur nomen cuiusque suum.

Est modus] Hunc modum aliàs vocat aureã mediocritatẽ, in qua virtus omnis consistit, & præcepta Ethicæ philosophiæ versantur. Hanc vocẽ ostendimus Od. 16. l. 1. declinatã a præterito medio μέμοδα, *curaui & rexi.*

Hunc modum Pind. ad fin. Nemeor. docet. Κερδέων δὲ χρὴ μέτρον θηρεύειν certũ quęstus modum uenari oportet. similitudine sumpta a venatoribus, qui noctes diesque feras vestigant.

Nemon' vt auaritiæ] Vt hic locus est restitutus, reticetur aliquid: quale fortassis est; *tantáne vis est inconstantiæ*, vel, vt initio Satyræ, *qui fit?* sic interrogemus nunc, *ficcine fit, vt nullus ex inconstantibus probet se?* id est, res suas æstimet, sibiqué persuadeat, & iudicet se satis esse diuitem conditionis suæ. Hæc autem phrasis apud Cic. pro Ligar, paullò aliter sumitur: *Qua in legatione & ciuibus bonis ita se probauit*, id est, virum probæ, & integrę fidei se pręstitit & ostendit. Sic Gręci hominem sinceritatis & integritatis spectatæ vocant δόκιμον, vt Demosth. ἀργῦρεον δόκιμον, *argętum minimè adulteratum*: sic τὸν χρυσὸν θεωρεῖν καὶ δοκιμάζειν, Isocr. dicit pro *examinare, explorare, spectare*, vt idem δοκιμάζειν τοὺς φίλους ἐν τοῖς περὶ τὸν βίον ἀτυχίαις, *periculum facere amicorum in rebus adversis circa vitam*: sic D. Paul. 1. ad Corinth. c. 11. v. 28. δοκιμαζέτω δὲ ἄνθρωπος ἑαυτόν. Præterea pro, *distentius vber*, Ouid. dicit *grandius vber*.

Maiori turbæ] Pro, *maiori parti hominum non se comparet, sed hunc atque illũ superare laboret*. Supplenda hic fuit ellipsis discretiuæ, quo modo fuit initio Satyræ ante, *laudet*: pro qua hic ponitur, *ac*, vt Cic. aliquando dicit, *ac vide*, pro *sed vide*, vt hic pro, *sed potiùs*: quamuis aliter, quidam sentiant, & vtrumq; pronunciatum negent, sicut *Xylander* doctè notauit, quum alterum quidem negandum, alterum autem sit affirmandum.

Sic festinanti] Id est, summo studio nitenti diuitias diuitiis accumulare, alius ipso ditior est impedimento, quò minùs laudet & prædicet suam sortem, & statum, vt eo viuat contentus.

Carceribus] Fuit olim Romæ maximus Circus ouatâ figurâ, instar cœli, in cuius medio fuit etiam obeliscus ꝑ Sole, & vtrinq; ternę metę, pro reliquis sex planetis. Fuit quoq; in eo locº, vnde decursuræ quadrigæ educebantur, qui carceres dicebantur: de quibus Græcè pronunciandis Od. 1. l. 1. dictum est copiosè: addam tamẽ carceres dici ab Hesychio τὰς μάνδρας, & exponi ἐρκτὰς καὶ φραγμὸς τῶν ἵππων. Qui volunt propriùs accedere ad vocem, dicunt hanc a κάργαρα fluere, tanquam ab asperitate: sed Varro l. 5. de ling Lat. ex eo ducit, *quòd coercentur illic equi, ne inde exeant, antequã magistratus signum missi*, hoc firmat Serv. Aen. 5.

Corripuêre, ruuntq; effusi carcere currus. Carcere dixit pro carceribus. Nam in singulari significat custodiam noxiorum: in plurali autem repagulum, quo equi arcentur: vnde carceres, quasi arceres secundum Varronem.

Auriga] Grammatici deflectunt hanc vocem ex eo, quòd se auris & clamoribus populi agat: & certè in postremo versu 1, Georg.

Fertur equis auriga, neque audit currus habenas.

auriga intelligitur, qui quadrigas agit sine curru, & illud, *neque audit currus habenas*, intelligendũ est per metonymiam, equi currentes non parent habenis. Interdum qui agit currum quatuor equis iustructum, Græcè dicitur ἡνίοχος ἢ ἡνιοχεὺς παρὰ τὸ τὴν ἡνίαν καὶ ῥυτῆρα ἔχειν, ab habena & loro tenendo.

Præteritum] Σύνδρομον cursu superatum.

Crispini] Hic fuit & Poeta & Philosophus Stoicus, de quo Saty. 3. & 4. l. 1. & 6. l. 2. qui doctrinam Stoicorum versibus comprehendit.

Cedat] Pleonectæ carent illâ Euthanasiâ, *moriendi facilitate*, quam Augustus sibi ac suis precabatur, quoties audisset citò ac nullo cruciatu defunctum quempiam, vt refert Sueto in Oct. c. 99.

Explicatio Rhetorica.

METrum est in omnibus Satyris & Epistolis Epicum, senarium, dactylicum, id est, vtrobique genere vniforme, vt hoc semel generatim & vniuersim prædictum sit. Patheticũ est exordium, vt Iuuenal. *Semper ego auditor tantum? nunquámne reponam?* & Persius, *O curas hominũ! quantum est in rebus inane?* a Symploce est in similitudine soni eiusdẽ circa principia & clausulas sententiarũ, vbi cernuntur illa Græcorum παρισα καὶ ὁμοιοτέλευτα, id est, *comparia & similiter desinentia*.

b Exclamatio est admirantis alienam sortem, atque de propria conquerentis.

c Quia in hoc poemate varia est personarũ inductio, videtur reuera hoc scripturæ genº accedere proximè ad dialogũ & Eclogam, quia sermo familiaris & collocutio quasi alternata, vt hîc initiò Poeta breuiter sermonem quatuor personarum repræsentet per imperfectã prosopopœiam militis, mercatoris, patroni consulti & agricolæ consultentis.

d Epiphonema est, acclamatio ad intercisam distributionis rationem. Quam solent Rhetores nominare Præcisionem, qua instituta velut enumeratio abrumpitur, cuius abrupti sermonis, indices sunt, particulæ, deniqu , summatim, ad summam, &c.

e Synecdochicũs videtur intelligendum de loquacissimo & verbosissimo quóque homine.

f Prosopopœia est paullò plenior, non tamen perfecta: quia nul â notâ recessus demonstratur illiº depositio: vbi Poeta fingit Deum aliquê velle querentibus de sua sorte, pro cuiusque vero, satisfacere.

g Idem sonus continuè repetitur per epizeuxin, & in principio ac in fine per epanalepsin.

h Exclamatio est reprehendentis cunctationem conquerentium in commutanda sorte, pro suo cuiusque optato.

i Metaphora est ab iter facientibus, qualis est lib. 1. de Orat. *In primis requirimº ea, quæ valdè breuiter a te, Crasse, de ipsa arte percursa sunt*, id est, breuiter dicta & explicata.

k Προπαράλυψις est ad diluendum obiectum, quod potuisset fieri, de iocularibus omittendis.

l Notata est hæc metaphora Od. 24. l. 3.

m Synecdochica periphrasis agricolæ, atq; præterea similis prosopopœia primæ, vbi sermo agricolæ, cauponis, militis & nautæ obliquè repræsentatur, & producitur vsque ad hæc verba Poetæ: *Quæ, simul.*

n Est metaphora ab iter terrestre conficientibus: vt enim currº sumitur pro naui trãslatè a Catullo de nuptiis Pelei & Thetidis: *Diua leui fecit volitantem flamine currum*, id est, *nauem*: sic *currere* pro *nauigare*: quin etiam pro *volare* 2. de nat. Deo. de gruibus: *Ita pennis cursus auium leuatur*, id est, *volatu*. Vnde Homerus vocat naues maris equos. Aeschylus quoque in Prometheo sic quoque eum inducit loquentem.

Θαλασσόπλαυτα δ' ἔστις ἄλλος, ἀντ' ἐμοῦ.
Λινόπτερ' οὖρε ναυτίλων ὀχήματα. id est. *Nec quisquam alius, nisi ego, per mare inuenit currus nautarũ ligneis alis vagantes.*

o Synecdoche est totius, pro parte brumalis tẽporis, ac rursus metonymia adiuncti temporis ꝑ subiectis corporibus, q̃ rigor hyemis frigidæ contrahit.

p Altera est synecdoche, sed speciei pro quolibet pleonecta nullo modo se respiciente, quicum hic instituitur dialogismus, & ad verba: *Quid iuuat*, &c. respondebit mox: *Quod, si comminuas*, &c.

q Methonymia est materiæ pro armis, ense, gladio, alijsque offendentibus, quæ inde fiunt.

r Synecdoche est altera, sed speciei, pro quolibet minuto numulo tam immensi ponderis & acerui.

s Permissio est, quâ datur licentia possidendi, quicquid optauit avarus.

t Metonymia est subiecti pro adiuncto tritore, qui segetibus grana in area excutit, qualis est 1. Georg. in prædictione sterilitatis:

At si luxuriâ foliorum exuberet umbra,
Nequicquam pinguis palea teret area culmos.

Item paullò pòst in descriptione diurnorum operum:

At rubicunda Ceres medio succiditur æstu,
Et medio tostas æstu teret area fruges.

u Synecdoche finiti pro infinito, id est, pro innumeris modijs frumẽti: qualem tropi modum Scholiastæ Homeri solent his exprimere verbis: & in primis ad vers. 2. Il. α. ἡ μυρί' Ἀχαιοῖς ἄλγε' ἔθηκε, id est, *Quæ Pelida ira infinitos animi dolores attulit Achiuis & Græcis* ἀόριστως, annotant, αὐτὶ τοῦ πολλὰ κακὰ, ἢ λύπας ἐποίησεν, ἐργάσατο.

x Synecdoche generis pro nouitijs seruis: multa enim sunt venalia, & inter hæc vsus obtinuit, vt familia mangonum propriè diceretur venalitia in hominibus.

y Procatalepsis est auari per dialogismum, cui Poeta respondet.

z Allegoria est e continuis metaphoris à fontib. pro expromere ex aceruo rerum, vel magno vel paruo.

aa Synecdoche generis pro speciali liquore aquæ.

bb Continuatur dialogismus per obiecta & eorum dissolutionem.

cc Alia obijcit auarus.

dd Respondet Poeta ad obstinatam pleonectæ cupiditatem, συνεκδοχικῶς certæ ac definitę personæ appellatione pro incerta & infinita, qualem synecdoches modum sic notat Donatus in Adelph. Act. 3. Sc. 3. ver. *Verùm quid facias? vt homo est, ita morẽ geras. Quid facias,* inquit, *pro quid faciat, vnusquisq; scilicet.* quem tropi modum Græci exprimunt per tertiam personam cũ subiectione τὶς indefiniti: vt apud Isocratem: εὕροι ἄν τις αὐτοὺς. *inueniat ipsos quiuis.* Sed ista locutio caret omnino gratiâ huius tropi.

ee Longa est periphrasis synecdochica Timonis Athenienfis, vel alterius hominis sordidissimi.

ff Allegoria est e continuatis metaphoris a theatricis spectatoribus, pro sibilis & conuiciis, quib. e scena explodebanẽ & exsibilabantur actores qui actione fabulæ & pronunciatione non satis fecissent populo.

gg Aliud obiectum auari per prosopopœiam.

hh Responsio Poetæ ad auarum.

ii Metaphora est a corpore ad animum, pro, summâ cupiditate pecuniam, in eius maxima copia, expetere: qualem tropum appositâ similitudine Plautus expressit in Sticho: *Nam illic homo tuam hereditatem inhiat, quasi esuriens lupus.* ἐπιφώνημα, i. acclamatio Poetæ ad finem rei narratæ de cruciatu auarorum.

kk Procatalepsis est obiecti ab auaro, quæ simul enunciatur facetè per ironiam: atque pòst apertè explicatur ad hæc verba: *Non vxor saluum* &c.

ll Τὰ *paret, roget,* & *suscitet,* similiter sonant in clausulis membrorum per epistrophen: contrà τὰ *non, non,* initiis per anaphoram iterantur.

mm Synecdoche est generis pro studio & certo curriculo.

nn Synecdoche est speciei, & præterea à symploce, vel potiùs ille orbis concinnitatis in quattuor incisis æqualiter & similiter sonantibus.

oo Exclamatio est damnantis & vituperantis genus mortis, qualis est Eunu. Teren. *Per impluuium fucum fatum mulieri, At quem Deum!*

pp Synecdoche est generis, p Clytemnestra. Nam Castor & Pollux & Helena Tyndaridæ fuerunt, vt dictum est in Grammaticis Odes 3. lib. 1. Ita duo primi lib. 2. de nat. Deo. vocantur. *Recentiore memoriâ iidem Tyndaridæ Persen victum nunciauerunt.*

qq Est non dissimilis dialogismus perditæ mentis post multam frustra cogitationem Act. 1. Sce. 1. Eunu. vt annnotat Donatus ad verba: *Quid igitur faciam?* Hic autem postremò Poeta inducit auarum, nõ consilium quidem petentem de vita tranquilliori; sed correctionem ægerrimè ferentem, quod obtegit specie vitii contrarii, in quod callidè queritur se a Poeta traduci. Inde tamen prudenter Poeta occasionem arripit præcipiendi de modo in omni re tenẽdo: quia, vt ait Phocylides:

Παύτων μέτρον ἄριστον, ὑπερβασίη δ' ἀλεγείνη.

Omnium modus est optimus: excessus autẽ molestus & vitandus, vt altera lectio habet, ἀλιεῖνη Item Theognis:

Μηδὲν ἄγαν σπούδειν· παύτων μέτ' ἄριστα, κἠ ὅτως,
Κύρν', ἕξεις ἀρετὴν, ἥντε λαβεῖν χαλεπόν.

Nihil nimis festines: mediocritas omnium optima, & sic, Cyrne, virtutem pares, quam difficile est parare,

rr Translatum est hoc a pari gladiatorum, qui inter se committuntur pugnaturi, ad repugnantiam sententiarum indicandam, vt Lambinus præter alios interpretes, doctè admonuit. Erit posteà Sat 7. explicatio translatiõis de Bitho & Bacchio gladiatoribus. Eiusdem est tropi hoc Martialis lib. 1.

Frontibus aduersis concurrunt damæ, &c.

Item Lucretij lib. 6.

Frontibus aduersis concurrunt nubes, &c.

nisi malis a bestiis arietantibus sumere. Et certè quum ego accuratius expendo hanc sententiam, animaduerto non simplicem in ea tropum esse, sed continuatum a re militari: conspiciuntur duo exercitus cõmitti adversis frontibus. Nam e lib. Vegetij tertio acies definitur exercitus instructus: frons aduersum hostem spectat: ideoq; facies a Curtio nominatur. Id ipsum cognoscitur e lib. 2. Quintiliani. *Quid enim*, ait ille, *si præcipias Imperatori, quoties aciem instruit, dirigat frontem: cornua vtrinque promoueat: equites pro cornibus locet.*

ss Metaphora est ab euãido vino, vitiato & perdito ad nimiam hominis sordidi parcitatem indicandam Simili tropo vsus est Catullus.

——— *Satisne cum isto*
Vappa frigora & famem tulisti?

tt Idem est tropus, sed a nebulis & vaporibus statim euanescentibus, ad notandam hominis τῶν ἀχρηστίων, id est, inutilem bonorum effusionem.

uu Synecdoche est speciei duplicis ad vtrúmque valetudinis extremum indicãdum in genere, & in qualibet re vitandum.

xx Allegoria est e cõtinuatis metaphoris a Geometris, qui terras suis dominis, prædia circumscribunt terminis, atque limitibus definiunt certis.

yy Allegoria est a viatoribus ad repetitionem intermissæ quæstionis ampliùs indicandæ.

zz Metonymia subiecti pro rebus ac bonis ipsius inconstantis, quorum hic non considerat quantitatẽ nec cum rebus tenuiorum comparat. Hunc autem tropum libenter Gall. interpretor, *qui ne trouue iamais sa condition bonne & ne s'en contente,* quod contrà Græci videntur dicere ἀγαπᾷν τὸ αὐτοῦ λάχος ἢ πλῆρον. *se contenter de sa condition.*

**a.* Sumtum a laborantibus phthisi & tabe ad uim inuidiæ notandam.

**b.* *Hunc* atque *hunc* habent continuam repetitio-

nem per epizeux in, qualis est illa Virgil. 1. Aeneid. in diuersa tamen declinatione vocum: *Hinc atq; hinc glomerantur.*

*c Synecdoche est membri pro integro equo emisso ex apertis carceribus, qui præditus est vngulis solidis ac perpetuis, quas Græci μωνύχας appellant.

*d Synecdoche est altera, sed generis, pro arculis literarijs, quæ Græcè dicuntur βιβλιοθήκας ἢ βιβλιοτάφια ab Agellio *librariæ*.

*e Nota est metaphora e versu superiore: *Ne te compilent fugientes* &c. a rebus furtiuis ad doctrinam surreptitiam notandam.

SATYRA SECVNDA.

Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.

1. *Ambubaiarum collegia, Pharmacopolæ,*
Mendici, Mimæ, Balatrones, hoc genus omne
Mæstum ac sollicitum est cantoris morte Tigelli.
2 *Quippe* a *benignus erat.* 3 *Contra hic, ne prodigus*
Dicatur, metuens, inopi dare nolit amico: (*esse*
Frigus quo b *duramq; famem depellere possit.*
4 c *Hunc si* d *perconteris aui cur atq; parentis*
Præclaram ingratâ e *stringat malus ingluuie* f *rem,*
Omnia conductis coemens opsonia nummis:
g *Sordidus, atq; animi parui, quòd nolit haberi,*
Respondet: h *laudatur ab his, culpatur ab illis.*
5 *Fufidius* i *vappæ famam timet ac nebulonis,*
Diues agris, diues positis in k *fœnore nummis.*
Quinas hic l *capiti mercedes exsecat: atque*
Quantò perditior quisq; est · tantò acriùs vrget.
m *Nomina sectatur, modò sumtâ* n *veste virili,*
Sub patribus o *duris tironum. Maxime,* p *quis non*
Iuppiter, exclamet, simul atq; audiuit? q 6 *at in se*
Pro quæstu sumtum facit. r *Hic, vix credere* s *possis,*
Quàm sibi non sit amicus: ita vt t *pater ille, Terentî*
Fabula quem miserum nato vixisse fugato
Inducit, non se pœnis cruciauerit, atq; hic.
u *Si quis nunc quærat, quò res hæc pertinet? illuc:*
Dum x *vitant stulti vitia, in contraria currunt.*
7. y *Malthinus tunicis demissis ambulat: est, qui*
Inguen ad obscænum subductis vsque facetus:
Pastillos Rufillus olet: Gorgonius z *hircum.*
Nil medium est: sunt qui nolint tetigisse, nisi illas,
Quarum subsutâ talos tegat instita veste:
Contrà, alius nullâ, nisi olenti in aa *fornice stantem.*
Quidam notus homo, quũ exiret fornice, bb *macte*
Virtute esto, inquit, cc *sententia dia Catonis.*
Nam simul, ac venas inflauit tetra libido,
Huc iuuenes æquum est descedere, non alienas
dd *Permollere vxores. Nolim lauderier, inquit,*
Sic me, mirator cunni Cupiennius ee *albi.*
8 *Audire est operæ pretium,* ff *procedere rectè*
Qui mœchis non vultis, vt omni parte laborent:
Vtq; illis multo corrupta dolore voluptas,
Atque hæc rara cadat dura inter sæpè pericla.
gg *Hic se præcipitem tecto dedit: ille flagellis*
Ad mortem cæsus: fugiens hic decidit acrem
Prædonum in turbã: dedit hic pro corpore nummos:
Hunc perminxerunt calones: quinetiam illud
Accidit, vt cuidam testes, hh *caudamq; salacem*
ii *Demeteret* kk *ferrũ.* 9. *Iure, omnes: Galba negabat.*
10 *Tutior at quantò merx est in* ll *classe secunda!*
Libertinarum dico, Sallustius in quas
Nõminùs insanit, quã qui mœchatur. 11 mm *At hic si*
10 nn *Quà res, quà ratio suaderet, quaq; modestè*
Munifico esse licet, vellet bonus, atq; benignus
Esse: daret quantum satis esset, nec sibi damno,
Dedecoriq; foret. Verùm nn *hoc se amplectitur uno,*
Hoc amat, hoc laudat: matronam nullam ego tango,
Vt quondam Marsæus amator Originis, ille
Qui patrium Mimæ donat fundumq;, oo *Laremq;:*
pp *Nil fuerit mî, inquit,* qq *cum vxoribus unquam*
alienis.
20 12 *Verùm est cum Mimis: est cum meretricibus: unde*
Fama malum grauius, quam res, trahit, 13. *An tibi abundè*
Personam satis est, non illud, quicquid vbiq;
Officit, euitare? Bonam deperdere famam,
Rẽ patris rr *oblimare, malũ est, vbicũq;.* 14. ss *Quid*
Est in matrona, ancilla, peccésne togata? (*inter-*
15. *Villius in Fausta Syllæ* tt *gener (hoc miser vno*
Nomine deceptus) pœnas dedit vsq; superq;,
30 *Quàm satis est: pugnis cæsus, ferroq; petitus,*
Exclusus uu *fore, quum Longarenus foret intus.*
16. *Huic simutonis verbis, mala tanta videntis,*
Diceret hæc animus: xx *Quid vis tibi? nũquid ego te*
Magno prognatum deposco Consule cunnum,
Velatumq; stolâ, mea quum conferbuit ira?
Quid responderet? yy *magno patre nata puella est.*
At quantò meliora monet pugnantiaq; istis
Diues opis natura suæ? si tu modò rectè
40 *Dispensare velis: ac non fugienda petendis*
Immiscere. Tuo vitio rerumne labores,
zz *Nil referre putas?* 17. *Quare, ne pœniteat te,*
Desine matronas sectarier, vnde laboris
Plus *a *haurire mali est, quã ex re decerpere fructus.*
Nec magis huic inter niueos, viridesq; *b *lapillos,*
(*c *Sit licet hoc Cerinthe tuũ) tenerum est femur aut*
Rectius: 18 *d *atq; etiam melius persæpè togatæ* (*crus*
50 19 *Adde huc, quod* *e *mercem sine fucis gestat, apertè,*
Quod venale habet, ostendit: nec, si quid honesti est,
Iactat, habetq; palàm: quærit, quo turpia celet.
20 *Regibus hic mos est: vbi equos mercantur, apertos*
Inspiciunt, ne, si facies (vt sæpè) decora,
Molli fulta pede est, emtorem inducat hiantem:
*f *Quòd pulcræ clunes, breue q̃ caput, ardua ceruix.*
21 *Hoc illi rectè, ne corporis optima* *g *lynceis*
Contemplere oculis, Hypseâ cæcior illa,
60 *Quæ mala sunt, spectes,* 22 *h *O crus, o brachia! verũ*
Depygis, nasuta, breui latere, ac pede longo est.
23 *Matronæ, præter faciem, nil cernere possis,*
Cætera, ni Catia est, demissâ veste tegentis.
24 *Si interdicta petes,* *i *vallo circumdata* (*nam te*

Hoc

Hoc facit insanum) multæ tibi tum officient res:
Custodes, lectica, ciniflones, parasitæ,
Ad talos stola demissa, & circumdata palla:
Plurima, quæ *k *inuideant purè apparere tibi rem.*
25. *Altera nil obstat,* *l *Coïs tibi, penè videre est,*
Vt nudam, ne crure malo, ne sit pede turpi.
*m *Metiri possis oculo latus.* 26. *An tibi mauis*
*n *Insidias fieri, pretiumq; auellier antè,*
Quàm mercem ostendi? 27. *o *Leporem venator vt*
In niue sectetur, positum sic tangere nolit: (alta
Cantat, & apponit: meus est amor huic similis. Nam
28. *p *Transuolat in medio posita, & fugiẽtia captat.*
29. *Hiscéne* *q *versiculis speras tibi posse* *r *dolores,*
Atq; *r *æstus,* *r *curasq; graues e pectore pelli?*
30. *Nónne* *s *cupidinib. statuit natura modũ, quem,*
Quid latura, sibi quid sit dolitura negatum,
Quærere plus prodest, & inane *t *abscindere soldo?*
31. *Num, tibi quum fauces vrit sitis, aurea quæris*
Pocula? num esuriens fastidis omnia, præter
Pauonẽ, rhombumq;? tumẽt tibi quũ inguina, num si
Ancilla, aut verna est præstò puer, impetus in quem
Continuò fiat, malis tentigine rumpi?
32 *Non ego: namq; parabilẽ amo Venerem facilemq;*
Illam, *u *post paullò: sed pluris, si exierit vir.*
*x *Gallis hãc, Philodemus ait:* 33 *sibi, quæ neq; magno*
Stet pretio, neq; cunctetur, quum est iussa venire.
Candida, rectaq; sit, munda hactenus, vt neq; longa,
Nec magis alba velit, quàm det natura, videri.
34. *Hæc vbi suppositit dextro corpus mihi læuum,*
*y *Ilia & Aegeria est: do nomen quodlibet illi.*
35. *Nec vereor, ne dum futuo,* *z *vir rure recurrat:*
Ianua frangatur: latret canis: vndiq; magno
Pulsa domus strepitu resonet: vel pallida lecto
Desiliat mulier, miseram se conscia clamet:
Cruribus hæc metuat, doti deprensa, egomet mi.
Discinctâ tunicâ fugiendum est, ac pede nudo:
Ne nummi pereant, aut pygi aut deniq; fama.
† *Deprendi miserum est: Fabio vel iudice vincam!*

Analysis Dialectica.

HÆc Satyra videtur appendicula superioris: vbi Poeta grauiter inuectus est in homines de sorte sua & professione conquerentes, vt ipsi compressâ & restinctâ pleonexiæ cupiditate auream mediocritatem vbique tenerẽt, ἀλλ' ἐτόξωσε πλινόμενοι, *neutrò ab ea declinantes.* In hac autem, quum virtus sit medium illud iam dictum vitiorum vtrinq; reductum, id est, definiatur ita, vt mediũ sit ab vtroq; vitioso extremo remotũ; docet homines maiori stultitiâ in utrãq; partem errare, sicut vtriusq; exemplũ nobis appositè statuit Terentius in Mened. Act. 3. Sc. 1. v. 31. Heaut. vbi Chremes ostendit Menedemum non seruare modũ:

Vehemens in vtramq; partem. Menedeme, es nimis,
Aut largitate nimiâ aut parsimoniâ:
In eandem fraudem (pœnam) *ex hac re incides.*

quali pœnâ triplici; iacturâ fortunarum, cruciatu corporis & notâ infamiæ vult Poeta deterrere Romanos cuiusque generis ac ordinis a vita intemperanter & flagitiosè transigenda. Sic Epistolâ præcipitur Pisonibus:

---- Decipimur specie recti,
Cum in vitium ducit culpæ fuga, si caret arte.

Idem Cicero reprehendit in Philosophis e Platone l. 1. de Offic. *Nam dum alterum iustitiæ genus assequuntur, in ferendâ ne cui noceant iniuriâ, in alterum incidunt. Discendi enim studio impediti, quos tueri debent, deserunt.* Ita sunt iusti una tantùm ex parte, non autem ex toto, dum nocent nemini: sed dum sinunt iniuriam alijs fieri, neq; impediunt, quum possent, iniusti habentur. Sunt autem hæc sumpta de virtute ex Ethicis Philostrati, qui τὴν πᾶσαν ἀρετὴν λέγει μεσότητα, de qua dicentur alibi plura, si Deus voluerit. Verùm dum hîc Poeta mores hominum notat, nonnulla quidem interijcit indigna lectione hominis Christiani: quorum tamen fuerit, ingenij casti ac pietate insignis, optima quæque sibi prudenter deligere, trutinâ sacræ doctrinæ singula examinante, & quæ sunt iniusti vel ponderis vel illaudabilis materiæ, repudiare. Non hîc quidem proponitur, sicut in Satyra præcedente, qua de re dicendum sit, cuius omissi posteà obliuio quædam subindicatur ad hunc versum:

Si quis nunc quærat, quò rẽ hæc pertinet.

atque tum Poeta fixit scopum, in quem & antecedens iam & consequens oratio dirigeretur, cursumq; suum teneret: quem nos inde translatũ statuimus in fronte sermonis: quippe quia videremus in eam disputationem rectè quadrare, siue spectes ad extrema liberalitatis, auaritiam & effusionem: siue ad longos & breues cultus: siue ad corpus iucundè, vel malè olens: siue denique ad discrimen scortationis & libidinis, vel in matrona, vel in libertina, vel in alia iam prostitura, lapsæ: quæ mihi videntur partes & capita huius quæstionis: ad duo tamen solùm illa referemus; ad extrema benignitatis, & ad illa Veneris.

2. Theticum declaratur primùm distributione quâdam eorum, a quibus peccatur in extremis liberalitatis: atque in primis Hermogenes Tigellius Musicus rerum suarum profusus fuit, *quum nimis largè & munificè hominibus perditis & dissolutis eas dederit, cuius mors illis fuit posteà valdè luctuosa & acerba magis desiderio quæstuosæ largitionis amissæ, quàm vi vllius veræ amicitiæ, aut Virtutis.* Hoc autem vitium parasiti & assentatores specie virtutis obtegunt: quod Poeta cautè indicat, dum prodigum miserum scribit a grege omnium aleatorum, impurorum, impudicorum, omnium denique nebulonũ lugeri, & benignitatis nomine prædicari. Huiusmodi autem dolor mercenarius est, qui non ex affinitate, aut beneuolentia, sed ex vna proueniat vtilitatis & commoditatis spe adempta. Quid enim flagitiosius ac indignius, quàm eum, qui sic doleat, fateri oportere, quum tantoperè alicuius morte crucietur, quòd aliquâ vtilitate priuatus sit, si nihil ex eius vita beneficij ac commodi se consecuturum sperauisset, nihil sibi omnino dolendum fuisse? quod explicatur e loco attributorum.

3. Alter peccat in alteram partem, & ex fine describitur διὰ τὴν ἀοριστίας, qui *vt semper habeat, quo se a frigore & fame defendat, rebus suis putat honestè parcere, consuleréque posse, & inopi amico studium, opem & operam negare.*

4. Potest hîc intelligi tertius aliquis, qui peccet, vt Tigellius, in hyperbole, quod minimè videtur intelligendum de Tigellio, quem, vt prædictum est, non iam cuiquam licet mortuum interrogare. Hic igitur tertius, vt imitator primi, reprehenditur e factis suis & fine & adiunctis, *quòd bona sua & paterna & auita specie recti dilapidet, & ita nomen auari pusilliq; animi deuitet:* in quo longè fallitur: quia laudatio quæ e tali

effusione proficiscitur, summa vituperatio est, & a parasitis tantùm celebrata, & illi attributa. Vera autem laus expetenda est ex honestis factis, & a laudatis & spectatis viris accipienda. Quæ enim laudatio potest esse, a non laudatis? Rectè quidem in Plaut. Epidico Act.3.Sc.4. Periphanes Senex militi sic insolêter glorianti. *Virtute in bello armatus promerui, vt mihi omnes mortales deceat agere gratias*, respondet:

Non reperisti adolescens, tranquillum locum,
Vbi tuas Virtutes explices, vt postulas?
Nam strenuiori deterior si prædicat
Suas pugnas, de illius ore fiunt sordidæ.

Idem Cic.epist.6.l.15.ad fam. & 4.Tusc. ex Næuio vsurpauit, *Iucunda laus, quæ ab ijs proficiscitur, qui ipsi in laude viuerunt.*

5. Quartus peccat in ellipsi similiter atque secundus. Sed illius mores fusiùs notantur, primum specie honesti finis, *ne sibi cognomen vappæ & nebulonis ex hyperbole adipiscatur, iniquis artibus & fœnore minimè tolerando liberos adolescentes durorum parentum obligat per circũscriptionem: quorum nomina, vbi sumserunt togam virilem, sectatur*: quod parium collatione declaratur: *quia fœnerator ille, quò adolescens aliquis est effusiore & solutiore luxu, eò importuniùs instat, vrget, & eum insectatur ad nummos suos maximo & iniquissimo fœnore accipiendos, atq; adeò nomina sectatur posteà importunissimè, vbi cessit dies solutionis.*

6. Excusatio illius intolerabilis vsuræ prætexitur honestâ ratione liberaliter vivendi pro quæstu: sed refellitur parium, vt modò, comparatione: *quod Menedemus ille Terentianus non se miseriùs ac duriùs afflictârit de absentia Cliniæ filij sui, quàm hic χρυσὸς πιπρὸς, acerbissimus fœnerator se cõficit curis nomina sua exigendi & opes congerendi, tenuissimè, sordidissimeq; viuendi: hæc*, inquit Poeta, *spectant eò, vt doceam vitia cautè fugiẽda, ne qui auaritiæ fugâ fiat prodigus, aut contrà: ne fugâ morositatis fit lenis & nimiùm facilis: temeritatis declinatione timidus, & diffidentiæ vitio opprimatur incautus & Romanorum ope destitutus.*

7. Caput est hîc alterum de peccantibus in extremis cultus & ornatus & illicitæ Veneris, vbi exempla dissimilium morum apponuntur, quæ e loco disparatorũ tractantur: vbi primùm *in vestitu corporis & ornatu æquè peccaturus es, si per incuriam neglexeris, ac si eiusdem munditias elegantiasq; plus æquo affectâris: non minùs quoq; in vitio eris, si vnguenta olueris, quàm si hircum fœtidum spiraueris*: deinde scortatorum flagitia exponuntur: in cõmoda quoq; & pericula memorantur inde profecta: quorũ *vnus mauult petulans videri in aliqua matrona, quàm in aliqua venali meretrice*: contrà, *alter in hac, quàm in illa.* Posteriori autem libido lapsa in prostituta testimonio Vticensis Catonis approbatur e loco diuersorũ: *quòd ad ædes matronarum non eundum sit, sed ad ganea meretricum mulierum descendendum*: quamuis autem sententia Catonis ad lupunaria frequentâda cohortari videatur, prætermissa matronarum consectatione, ne tamẽ inde putes hoc approbari flagitium, sed vt leuius ac tolerabilius, quàm illud existimari ab alijs Philosophorum familijs contra Stoicos, in quorũ Hæresi Cato Vticensis erat, peccata esse æqualia: hocq; rursus illustratur altero eiusdem auctoris dissimili exemplo, *qui nunquam sibi ducendum laudi existimauit, si ipsius libido lapsa fuisset in generosa & nobili aliqua muliere.*

8. Præparatio est animorum, quibus res Mœchorum secundæ inusæ sunt: ad pericula & damna illorum attendenda & intelligenda, quò faciliùs Poeta perditos & dissolutos homines notet, & ab huiusmodi flagitijs reuocet. Locus autem est e distributione Mœchorum, eaque partim e factis, partim ex adiunctis periculis: *quòd ex his alij sese de tectis præcipitent: alij flagellis ad mortem vsq; torqeantur: alij fugâ lapsi in prædones decidant: alij corporis integritatem pecuniâ redimant: alij turpiter ac fœdè muliebria patiantur à calonibus: alijs testes & penis secentur*, quæ Iuuenalis sic breuius complexus est.

--- necat hic ferro: secat ille cruentis
Verberibus, quosdam mœchos & mugilis intrat.

9 E contradicentibus pœna postrema reprehendi-
10 tur, *quòd omnes vno ore dicerent iure testes & mentulam amputata fuisse, Galba autem Iureconsultus rectè & meritò factum negaret.*

10. Propositi sunt initiò tres mulierum ordines, in quibus libido scortatorum labi solet: qui nominatim etiam tres appellantur, Cupiennius, Salustius, Marsæus, quorum primus matronarum consectator fuit, secundus libertinarum, tertius meretricum: in primo quidem iam animaduertimus grauissima inesse & pericula & damna. Itaque quòd in secundo tutiùs ad-
20 mitti flagitium quidam putarent, Poeta refutat, & docet paribus, *hîc non minorem mœcho infamiam & periculũ creari, quàm illic*: idque confirmat exemplo C. Sallustij, qui Senatu motus ac detrusus est iussu Censoris: quòd se diceret non cum matronis, sed cum libertinis consuetudinem habuisse. Huius flagitij meminit Agell. l.17,c.18. e M. Varrone, qui *C. Sallustium scriptorem seriæ illius & seueræ orationis, in cuius historiæ notiones censoriæ fieri atq; exerceri videmus, in adulterio deprehensum ab Anno Milone loris cæsum dicit, & quum dedisset pecuniam, dimissũ.*
30 Nonnulli suspicantur ex ode.2. lib. 2. amicitiã nostro Poetæ intercessisse cum Salustio: Ideoque hunc iam e vita excessisse, quum hæc de ipso scripta sunt. Nõ equidem hîc dubitabo hanc reprehensionem referre ad consuetudinem Horatio vsitatam liberè reprehendenti vitia quorumlibet, qui pluris facere soleat virtutes, quàm amicitias hominum.

11. Flagitium Sallustij, cuius palpa dissimilitudine mulierum extenuari videbatur, ὑποθετικῶς e factis disputatur: *Si Sallustius suis libertinis pro re familiari & ratio-*
40 *ne daret munera, neq; damno, neq; dedecori sibi esset*: pro assumto, quod esse deberet, *atqui damnũ & in re, & in existimatione contrahit: non dat igitur moderatè & prudenter*, reponitur, inquam, loco assumtionis, *quòd reprehensus a Censore responderit non sine iactantia se integrum esse a matronis*: quam responsionem cõfirmat similitudine: *vt olim Marsæus sibi mirum in modum placebat, quòd rem non habuisset cum vxoribus alienis, sed cum prostitutis, quibus profundebat patria bona: talẽ se præstat Sallustius erga libertinas.*

12. Iactatio illa deuitati concubitus matronalis re-
50 futatur a Poeta maiorum collatione, *quòd iactura famæ & boni nominis grauior sit, quàm rei domestica.* Huius rei testis est Pindarus Πυθ' ία. εὐφημία πάντων πημάτων πρατίστη. i. *bonum & honestum nomen omnibus præstat opibus*: quod est depromtum e prouerbijs Salomonis, & ex Seiracidæ cap.41. Φρόντισον περὶ ὀνόματος· αὐτὸ γάρ σοι διαμενεῖ, ἢ χίλιοι μεγάλοι θησαυροὶ χρυσίου, ἀγαθῆς μὲν ζωῆς ἀριθμὸς ἡμερῶν, τὸ δ' ἀγαθὸν ὄνομα εἰς αἰῶνα διαμενεῖ. i. *curam quarẽdi bonum nomen habeto, hoc enim tibi longius permanebit, quàm mille thesauri ingentes auri, vitæ quidem bonæ dies nu-*
60 *merantur: sed nomen bonum in omnia permanebit sæcula*: cuius iactura fit in lustris, vnde *lustrones* nominantur, bonis tàm patritis, quàm auitis illic absumtis: meretrix enim in Truculent. Plauti confertur cum mari:

Meretricem ego idem esse reor,
Mare vt est: quod das, deuorat, nunquam abundat,
Des, quantum vis, nunquam apparet, neq; datori, neq; acceptrici.

13. Eadem

13. Eadem iactantia reprehenditur alteris Poetæ maioribus, *quòd non solùm euitare matronales personas, & illarum aliquam habere rationem metu pœnæ, ne cum ipsis adulterium committatur: sed etiam studiosissimum quémque integræ existimationis reique familiaris tuendæ minimè deceat libidinosum & intemperantem esse: quòd intemperantiæ omnis semper sit comes iactura vtriusque.* Famæ autem bonæ custodiam tanti fecit Poeta, vt eam prætulerit e sententia Salomonis omnibus bonis:

Omnia si perdas, famam seruare memento,
Quâ semel amissâ, posteà nullus eris.

Quinetiam Plato epistola 2. Dionysio Tyranno pretium boni nominis ita proposuit, παύτα δὴ ταῦτα λέγω, τόδε βουλόμενος ἐνδείξασθαι, ὅτι ὃν ἐπειδὰν ἡμεῖς τελευτήσωμεν, οἱ λόγοι οἱ περὶ ἡμῶν αὐτῶν σιγήσονται, ὡς ἐπιμελητέον αὐτῶν ἐστίν. αὐάγκη γὰρ ὡς ἔοικε, μέλειν ἡμῖν τῆς ἐπείτα χρόνου. 1. *Hæc quidem omnia ideo recenseo, volo hoc demonstrare, quod non, vbi e vita exierimus, fama nostri nominis in obscuro futura sit. Quare nobis eius habenda est ratio, atque futuris temporibus illis inseruiendum:* quò accedit consectarium non breue solùm & acutum, sed propè diuinitus prolatum: Ἐπειδὴ ἢ τυγχάνουσι κατά τινα φύσιν, οἱ μὲν ἀνδραπόδων δέσποτοι οὐδὲν φροντίζοντες αὐτῶν. οἱδ' ἐπιεικέστατοι πάντ' ποιοῦντες, ὅπως αὐξῆς τὸν ἔπειτα χρόνον ὦν ἀκούσωσιν. ὁ δὴ κἀγὼ τεκμήριον ποιοῦμαι, ὅτι ἔστιν αἴσθησις τοῖς τεθνεῶσι τῶν οὐδάδε. αἱ γὰρ βέλτιστα ψυχαὶ μαντεύονται ταῦτα οὕτως ἔχειν. αἱ δὲ μοχθηρόταται, ὅ φασι. 1. *enimuero naturâ sit, nescio quâ, vt vilissimi quique ac nequissimi nihil de ipso cogitent: contrà verò optimi quique ac honestissimi nihil non suscipiant atque subeant, vt bonam apud posteros famam consequantur: quo etiam argumento facile adducor, vt ego existimem earum rerum, quæ in hac vita quæruntur, aliquem in mortuis sensum inesse. Nam animi optimorum virorum hæc ita esse præsentiunt: improbissimorum autem, nequaquam.*

14. Stoica est sententia Poetæ e paribus: *quòd æquè turpiter labitur libido in tribus iam propositis mulierum generibus. Nam scortatores re & famâ vbique perclitantur:* Poeta tamen posteà descisceret a Stoicis ad Peripateticos. Hoc argumentum sic tractatur 3. paradoxo: *id, in quo peccatur, potest esse aliud alio grauius: ipsum tamen peccare, quoquè te verteris, vnum est. Lapsa est libido in muliere ignota, dolor ad pauciores pertinet, quam si petulans fuisset in aliqua generosa ac nobili virgine, peccauit verò nihilominus.*

15 Reliquum Satyrę cõsumitur in detestandis sectatoribus fœminarum nobiliorum, qui falsò credunt plus voluptatis ex illis capi, quàm ex ignotis. Itaque superiori atque proximè antecedenti comparationi illustrandæ exemplo est petulantia Villii cuiusdam adulteri in Fausta Cornelij Faustì Syllæ filia, & Antonij Milonis, vel, vt alij volunt, Titi Annij Milonis vxore: quale fuit anteà notatum in Sallustio & castigatum. Sed hæc libido fauorem, e nomine speratum, non consequuta, grauiter multata est, verberibus & ferro ab altero riuali Langareno, vel, si mauis, a marito Milonis.

16. Villius eleuabat dignitate mercis quæsitæ suum periculum & malum, quod subierat, voluptatémque faciebat maiorem e splendore subiecti: *quòd nihil non periculi negligendum sit in consectatione filiæ magno Consulis prognatæ & formosæ: cui* contra dicitur maiorum collatione, *quòd meliùs natura ei consuleret, si in consilium illam, non perturbationem, id est, nimios animi motus, rationi non obtemperantes, adhiberet. Illa enim moneret, facilè sibi posse qualibet muliere satisfieri, prurientisque libidinis ardorem restingui: quam dum non audit Villius, grauiter suo, rerumq; vitio laborat.*

17. E superioribus efficit, *amorem matronæ non esse ambitiosius fouendum*, idque ostendit maiorum collatione ex aduersis, *quòd talis matronarum consectatio plus mali afferat consectanti, quàm boni: plus negotij & molestiæ quam otij & tranquillitatis pariat.* Idem prætereà paribus amplificatur, *quòd perinde crus ac femur togatæ meretricis tenera sint, ac niteant, atque illa matronæ.*

18. Idem quoque maioribus dilatatur διὰ τῆς ἐπανορθώσεως, atque diuersis, *quòd femur togatæ, ὡς ἐπὶ πλεῖστον, melius sit, quàm stolatæ matronæ, quamuis longè sentiat aliter Cerinthus, tali ornatu captus perditè.*

19. Eadem matronæ consectatio dissimilium collatione improbatur: *non, tanquam mulier togata & venalis, sic matrona suam mercem sinceram, veram & naturalem exponit venditioni*: protasis autem huius contentionis constat primùm e factis togatæ, *quæ nihil gestet venale, quod fucatum sit & simulatum: nihil pulcri iactet occultum ac inuolutum, quod oculis cuiusque non pateat, nisi quod natura verecundè noluerit patefieri, id ex oculis hominum tollat.*

20. Eadem deinde protasis similibus augetur, *quòd Principes ita pro more iubeant phaleras & ornamenta equis detrahi, partesq; illorum nudas præcipue ostentari: quæ ad iudicium cursus expeditissimi citatissimique, ac roboris plurimum valeant, dum operti proponuntur ipsis venales*: quia phalerati equi ornatu pulcro sæpiùs emtores capiuntur vt amatores fucati candoris & ruboris medicamento in mulieribus: qualem fucum quomodo Phryne in conuiuio callidè detexerit alijs mulieribus, repete e notis Rhetoricis in Epod 14. Hunc autem locum quidam enuntiari volunt, tanquam esset argumentum a minori ad maius, si reges sunt adeo cauti in equis comparandis, nonne reliquos homines oportet cautiores esse in deligendis mulieribus merce multò periculosiori, ideoque negligentiam emptoris nec manente nec ferente? ego verò quia video partes similitudinis variè confirmari & continuari, atque adeo τὰ *more, mos*, vt *effigies, instar*, esse certas similitudinis notas, malo eundem locum similiter pronuntiare.

21. Poeta morem atque institutum regum confirmat loco priuantium, quæ sunt στερητικὰ Philosophis, ac præcipuè Aristot. vbi finis quidam latet, *ne phaleratæ corporis partes oculis perspicacibus & acutis considerentur: aliæ verò cæcutientibus spectentur, atque ita in fraudem, vt incautus emtor, inducaris.*

22. Consectator mulieris togatæ & ad genu succinctæ iudicium facit de ipsius forma e loco diuersorum: *quanquam hæc mulier gestat pulcra crura & brachia: laborat tamen exilitate clunium, longitudine nasi ac pedum, breuitateque laterum.*

23, Antapodosis est illius protaseos, quæ fuit ad hæc verba, *adde huc*, &c. enunciata ex attributis matronæ: *quòd omnes ipsius partes talari veste ita obductæ sint, vt præter vultum sæpius fucatum nihil cerni possit, contrà, atque fuit in togata, nisi fortè similis esset Catiæ matronæ, quæ præter morem aliarum imprudentissimè vteretur breuissimâ veste ad ostentationem crurum pulcriorum*: vbi quidem perbreuis similitudo & Satyrici dentis morsus latet.

24. Eadem antapodosis amplificatur loco sex efficientium, quæ vndique impediunt explorationem partium interdictarum in matrona: quâ difficultate consectator insanire solet ex illo Elegiaco.

Nitimur in vetitum semper, cupimusq; negata:
Sic interdictis imminet æger aqua.

25. Hæc ad protasin referenda sunt, quæ similiter dilatantur appositione contrariæ caussæ, breuique ii-

militudine: *Togata*, inquit, *vel meretrix subtilissimis vestibus tecta & succincta præbet se vsquequaq; spectandam, & latera ipsius, quasi nuda, breuiane, an longa sint, visu possunt iudicari.* Quod idem Stoicus scribit lib. 1. cap. 9. de beneficiis ætate suâ peruulgatum Romæ fuisse, *Rusticus, inhumanus, ac maleuolus & inter matronas abominandæ conditionis est, si quis coniugem in sella prostare vetuit, & vulgò admissis inspectoribus vehi vndique perspicuam.*

26. Reprehendit amatorem matronæ e loco maiorum, *quòd more incauti mercatoris malit circumueniri, pecuniamque amitti, quàm periculum fieri de mercis probitate.*

27. Reprehensioni resistit amator matronæ, & similitudine hanc ita cantat: *Vt venator libenter agitat acrem & citum leporem, sed lentum, remissum, primoq; venationis ingressu repertum præterit, vel in ferculo sibi appositum non tangit: non secus ego amator mulieres togatas & in medio positas prætereo, nec tango: expugnatu autem difficilis, vt matronas, quæ non, nisi magno pretio & labore parantur, appeto, & cupidè contector.* Hæc autem apodosis est illa amatoris appositio & additamentũ ad partem cantionis priorem: *positum hic tangere nolit, Cantat & appo.* &c.

28. Approbatio est ἀποδόσεως ex aduersis: *quòd ipsius animus præsentia & parata vitet: absentia vero & fugientia appetat & persequatur.* Idem Ouidius ferit,

Quod sequitur fugio: quod fugit, ipse sequor.

cui non est dissimile, quod Sciarchides præcipit, *aquæ furtiuæ sunt suauiores.*

29. Poeta retundit aciem superioris & similis cantilenæ, ex negata vi illius, *quæ non efficiat, vt per ipsam dolores amatoris mitigentur, æstus restinguantur, curæ graues abigantur.*

30. Eódem spectat hæc maiorum collatio: *quòd multò fuerat vtilius naturales cupiditates moderari: & regere rebus necessariis, parabilibusq; remediis, quã infinitis voluptates, minusq; necessarias consectari, quas non possit, nisi difficilibus remèdiis explere: sed rectè, facilè, honestèq; hu carere.* Natura enim certos suis desideriis terminos statuit, estque parabile, quod ipsa desiderat, & citò apponi cuiq; potest: frustra igitur pro superuacaneis laudatur, ait Seneca.

31. Eódem quoq; pertinet hæc parium collatio: *quum vehementer sitis vel esuru*, inquit, *e primo quoq; poculo bibis: primis quibusq; cibis vesceris: neque vas aureum, neque cibos delicatos quæris: Quum tu igitur tentaberis libidinis prurigine, idem facito, primâ quaque ancillâ, vel puero vernâ restinguere tuum ardorem: nec diutius matronam sectando & molestiùs exspectando tentiginem rumpatis.* O fœdam hominum pæderastiã iam diu in obscœnis Paganis damnatam!

32. Plurimùm quidem ad rei persuasionẽ valet, quòd se Poeta in exemplum proponit: sed pessimè consulit existimationi suæ, dum *se iactat facili & parabili Venere, eâque masculâ satis facere solere suæ libidini: difficilem autem & caram ijs relinquere, qui laborant impotentiâ animi & amoris:* quod dum ille proposuit aliis faciendum, ac sibi, vt minus laboriosum & carum sumsit, minimè cogitauit in se teterrimi, maximeque scelerosi flagitij exemplum nobis posteris statuere, qui præposteram Venerem, vt nefas vltimum, quomodo *Fabius* ipsam vocat, damnemus, grauissimisque suppliciis coerceamus.

33. Venus parabilis ex factis & attributis describitur: *quòd illa sui copiam paruo faciat: maturè veniat vocata: sit candida, recta, nec longa, naturali colore prædita, concubitui apta, non denique fucata.*

34. Vis quædam pariumhic includitur: *quòd hoc genere Veneris tam facilè contentus sit, quàm si Iliâ*, de qua fuit Ode 2. lib. 1. *vel Aegeriâ Nymphâ potiretur*

35. Laudatio est eiusmodi Veneris e variis adiunctis: *quòd ab omni metu interuenturi mariti, dotis amittendæ, dandæ pœnæ, perdendæ famæ ac pecuniæ sit libera*: cuius rei iacturam confirmat Satyricõs testimonio, vel potiùs iudicio Fabij Iurisconsulti, qui sæpè pericula & incommoda militiæ Venereæ, vt veteranus miles expertus, verissimè iudicabit, *miserrimum esse deprehendi in adulterio.* Insignis est descriptio furis atque adulteri sex postremis versibus cap. 6. prouerbiorũ per comparationem poenæ valde dissimilis: quam hi dependunt offensis, μάλιστα μὲν ἐπ' αὐτοφώρῳ ἁλισκόμενοι maximeque in furto deprehensi. Nam fur, dum furto inediæ suæ ac egestati consulit neq; vitâ, neque famâ periclitatur, vel eodem relapsus: longè alia est conditio adulteri, qui semel deprehensus plagam & ignominiam consequitur, nec probrum ipsius deletur sine vlla spe vitæ muneribus redimendæ.

Itaque *dum vitant stulti vitia, in contraria currunt*, vt fuit initiò positum.

Enarratio Grammatica.

Ambubaiarum.] Grammatici non mediocriter laborant de ratione huius vocis afferenda, quam ob rem ita nominetur. Quidam putant mulieres περιδρόμους, vagas & infames sic fuisse nominatas: quales in vita Syllæ a Plutarch sub fin. memoranrur. Alij malunt αὐλητρίδας sic notari, quod equidem malim propter originem. Nam Chaldæi fistulam & tibiam vocant *abuba*, quam Hebręi a cauo *cholil* & tibicines *cholelim.* Ex illo autem Syriaco interiecto τῶ μ fit τὸ *ambubaia.* Alij tamen deflectunt e particulis Latinis *amb*, pro *am*, præpositione loquelari, vt loquitur Festus, vt in his, *Ambarualis* & *Ambages*, & *Baia*, quòd mulieres essent impudicæ circum amœnissimam Baiarum regionem versantes, & calida lauacra: quâ voce Suetonius in Nerone capite 27. vsus est: *inter scortorum totius vrbis Ambubaiarumque ministeria.* Alij volunt dici ab herba de intubi erratici genere, quã Mathiol⁹ in Dioscor. l. 7. c. 125. vocat Ambubeiam vnius literę mutatione: Ruelli⁹ tamẽ non peregrinã vocem, sed Latinam putat esse. Hæc quidem certè herba fuit caussa, quum ex ea Pharmacopœi conficerẽt τὸ πάνχρηστον φάρμακον, *medicamentum ad omnes morbos vtile*, cur infiniti Agyrtæ, nugatores & impostores, quales iam diu in Gallia & Italia vocantur *Batelleurs, Balleurs de baies & Charlatans*, passim exstiterint. Vitiosè prætereà legitur in Plinio Ambugia. Teneamus igitur etymum huius vocis verisimiliùs esse, quòd a Chaldaica & Syriaca dictione inclinetur, & Ambubaias fuisse αὐλητρίδας ξενας, *tibicinas peregrinas*, genusque hominum vile ac famosum, alienæ libidinis administrum: qualis est illa nepotũ mollium & voluptariorum.

Collegia] Quidam existimant collegium esse idem, quod συνέδριον. Ego verò Latinum puto latiùs, quàm Græcum, patere: vt non solùm pro societate duorum vel complurium idem munus obeuntium, cuiusmodi fuit collegium Pontificum, Consulum, Augurum, Prætorum, Tribunorum & Decemvirorum, vsurpetur: sed etiam (qui, quòd vnà sint lecti, vocãtur, vt Varro 5 de Ling. Lat. notauit) ꝑ congregatione quorũlibet hominum accipiatur, sicut ex hoc loco satis cõstat, cui⁹ notionis videtur τὰ ἐκκλησία καὶ ἀγορά. i. *cœtus & concio.* Τὸ δὲ συνέδριον pertinet tantùm εἰς τὸ δικαστήριον καὶ βουλευτήριον, ad consessum iudicium & ad Senatorum concilium.

Pharmacopolæ.] Hæc vox e Græca ciuitate in Latinam ascita est, vbi pristinum ius suũ retinuit. Vt enim τὸ φάρμακον

τὸ φάρμακον μέσον ῥῆμά ἐστι, sicut *venenũ* Latinum ad salutare & lethale medicamentum, quemadmodum Eustath loquitur, τὸ μὲν διπτυλικῶδες, τὸ ᾗ ἀκεσῶδιωον in hunc vers. Odys. α. φάρμακον ἀνδραφόνον διζύμενος &c. καὶ πρὸς τὰ τῶν χρωμάτων ποικίλματα, *ad colorum varietates.* Sed multò apertiùs idem Schol. in vers. Iliad. δ.. Ἕλκος δ' ἰητὴρ ἐπιμάσσεται, ἠδ' ἐπιθήσει φαρμαχ' &c. *Hulcus tractabat medicus, & applicabat medicamenta.* hanc vocem sic notavit: τὸ φάρμακον δέ μέσον λέξις. ἐπί τε μὴ ἀγαθῶ λάμβανομεν παρὰ τὸ φέρειν ἄχος, καὶ ἐπὶ ἀγαθῶ παρὰ τὸ φερειν ἄκος: *pharmacum media dictio, in malum accepta dicitur ab afferendo dolorem: in bonum ab afferendo remedium:* quam ambiguitatem Homerus tollit addendo ἄκεα πάσσασιν ὀδυνάων, id est, ἤπια, *quæ mitigabunt dolores.* Ita Pharmacopola sumitur pro eo qui divendit salutaria & noxia medicamenta, unguenta simulata, pigmenta & fucum: quod vno verbo dicitur etiam μυροπώλης, genus hominis olim censoriæ castigationi subiectum, vt Plinius lib. 13. cap. 3. scribit: *Certum est P. Licinium Crassum, L. Iulium Cæs. Censores edixisse, ne quis venderet unguenta exotica*: quod etiam prius vetuerat Solon suis legibus, vt tincturam lanarum infectoribus: quia talis vnguentarius egregiè imponit emtoribus talium mercium. Hanc autem vocem Cic. pro Cluent. iungit cum circumforaneo: *Tum repentè Aconitanum quendam L. Clodium Pharmacopolam circumforaneum, qui casu tum Latium venisset, aggreditur.*

Mendici.]Græci hodie *mendicum* & *mendicare* dicũt διάκονον ἢ διακονεῖν καὶ διακονεῖν: nec equidem vnde hoc proferant, omnino prorsus scio: τὸ γυνὴ κάτω ἐστὶν, ὁποῖν διακονεῖ, *mulier est infrà quæ stipem petit.* Coniicio tamen, παρὰ τὸ διακόνιον, τὸ πλακοῦντος εἶδος, *à diaconio, quod est genus placenta*, vt Eustathius definit sub finem Iliad. ρ. Alii *mendicum* a *mendo*, quod est defectus, inclinant. Alii præterea inde dici putant, quod mendici obvium quemque precentur, vt vitæ suæ cibo & stipe medeantur, cum importunâ postulatione fatigantes: quales melius Græci appellant ἐπαίτας ἢ προσαίτας, qui subindè aliud atque aliud petant, vel alteram postulationem repetant, quod est proprie μεταιτεῖν, idque potest intelligi ex ἀποφθεγ. Λακω Plutarchi sub finem, ἐπαίτης ἤθησε Λάκωνα· ἀλλὰ σὺ δώδεκα σοι, ἔφη, μᾶλλον πῆχυς σύσεις· τῆς δ' ἀχριμοσύνης σὺ ταύτης ὁ πρῶτος μεταδιδοὺς, αἴτιος, ἄργον σε ποιήσας: Gallicè, *vn bellistre demanda quelq; fois l'aumone a un Laconien, qui luy dit: voire mais, si je te la donne, tu mendieras encores plus, & le premier, qui te la donna, a este cause de ta vilaine vie, que tu seras maintenant, t'ajant rendu paresseux & truand.* Non admodum abludit hæc sententia, vt mihi videtur, à versu Græco:

Δὸς ἄρτον πῆχυν, καὶ κόνδυλον ὄψον ἐπ' αὐτῶ.

Da panem mendico, & oposonii loco eidem pugnum impinge.

Ita ostendes esse humanitatis, panem petitum porrigere, sed prudentiæ, inertem ac desidiosum, dum ipsius vires sunt integræ, metu pœnæ deterrere ab hoc turpi genere vitæ tolerandæ. Non minus scite dictũ est ab Antisthene, vt Clemens Alexand. memorat σὺ προτρεπτικῶ, quum Μητραγύρται, qui stipem matris Deorum cogebant, ab ipso efflagitassent stipem, respondit, ἢ τρέφω τὴν Μήτρα τῶν Θεῶν, ἣν ὁ Θεοὶ τρέφουσι, *non alo matrem Deorum, quam Dii alunt.*

An verò τὸ πῆχυς rectâ notione τῶ *mendico* respondeat, valdè dubito, quum παρὰ τὸ αὐτὸν πῆχεσιν dictum sit, quia ille metu percellitur & contrahitur: cui etymo discrimen inter πῆχυν καὶ πυγμὴν videtur convenire apud Aristophanem in Pluto. sicut Ode 2. lib. 3. attigimus: πῆχυς μὲν γὰρ βίος, ὃν σὺ λέγεις· βίος ἐστὶν μηδὲν ἔχοντα. τῶ δὲ πόνητος βίος φειδόμενον, καὶ τοῖς ἔργοις προσέχοντα, περιγίνεσθαι δ' αὐτῶ μηδὲν μὴ μέν τοι μηδ' ἐπιλείπειν· *vita enim mendici, quam tu dicis, est ita vivere, vt nihil habeas: sed illa pauperis, sic vivere parcè opusque facere, vt nihil ipsi superfit, nihil desit:* quam quidem tenuitatem parit labor operis. quod facit ὁ πόνος ἀπὸ τῶ πόνειν, ab efficiendo dictus, vnde πόνος, quod vtrumque nunc sit apertius explicat Eustathius in vers. ιλιαδ. β.

Ἠμὶν ἢ πόνος ἐστὶν ἀνιηθέντα νέεσθαι.

Et certè molestum est, vt molestiâ quis affectus abeat.

Ἐπίπονος, τῶ ἀσυδαίως ἐνεργῶ, καθὰ ὁ πόνος, ἀντὶ τῆς πόνος διχῶς ἤτε πραγματικὰ ἐνέργεια ἢ ἁπλῶς, ὅθεν ἢ τὸ πονεῖσθαι ἢ γὴ πόνος ἢ γεωπόνος, οἱ περὶ γῆν πονούμενοι, πρόδηλον ἐστι. Item in vers. ιλιαδ. Α.

Αὐτὰρ ἐπεὶ παύσαντο πόνου, τετύκοντό τε δαῖτα.

Cæterum vbi cessarunt à labore, apparatum dapes.

Hæc annota, πόνος παρὰ τῶ ποιητῆ, ὡς σύνταυθοῖ ἢ ἐνέργεία ἐστὶν. ἐφεμιλεύνωνφησι, τετύκοντό τε δαῖτα. id est, *è verbo πόνω, quod est studiosè ac diligenter operi incumbo, deducuntur, vt πόνος, sic πόνος & bifariam usurpantur, vt πόνος sit actio laboriosa, idque simpliciter, vnde sunt hæc tria vocabula pro his, qui terram exercent.* Præterea in hoc altero versu, πόνος est tanquam diceret poeta, nunc πόνος significat instructionem dapum & apparatum in conviuium, in summa vtraque vox & πόνος & πόνος sumitur tam ἐνεργητικῶς, quam παθητικῶς, pro faciente opus & pro opera. Item pro calamitoso & ipsa calamitate, quam Græci κακοπάθειαν dicunt: Sed in voce similis συζυγίας πόνηρος, ἢ πονηρὸς, quæ sonat Suidæ & Eustachio μοχθηρὸν. id est, *Miserum & arumnosum* ad corpus relata, accentus hanc significatus differentiam tollit variis positus locis. Nam τὸ πονηρὸς iisdem sonat κακὸν, id est, improbum & scelestum ad animum relatum, quam certè differentiam sic Martialis notauit:

Non est pauperies, Nestor, habere nihil.

Quid ergo Martialis, si rogeris, Mendicitas est: nihil habere: in qua equidem vocis ratione non puto hic Poetam accipere mendicum tam timidum & omni victus quærendi arte destitutum: Pudor enim mendico est inutilis, vt Telemachus per subulcum denuntiauit Vlyssi mendicum simulanti & ipsis ignoto. Odys P.

Ἀιδῶς δ' οὐ γὰρ ἀγαθὸν φησ' ἔμμεναι ἀνδρὶ πρόιντι, id est.

Sed pudorem dicit (Telemachus) non esse bonum cuique mendico, ideoque ad voluptatem nostri nepotis inutilem. Itaque mihi videntur mendici potius accipiẽdi pro his, quos Græci περιοδεύτας, ὀχλαγωγοὺς, ἀγύρτας, ἀλήτας, ψεύστας vocant, id est, pro circulatoribus quibusdam & præstigiatoribus, fraudatoribus impudentibus, vagabundis & mendacibus, qui φαρμακοῖς θαυματοποιοῖς, *mirabilibus præstigiis* collectam hominum multitudinem fallunt, quemadmodum Fortuna mentes ipsorum prius fe fellit, vt alter eiusdem vocis notatio apud Festum præ se ferre putatur: quos Græci dicunt ex hac ratione τοὺς ἀγύρτας, quales fuerunt olim Galli, sic a flumine dicti sacerdotes matris Deûm, qui circumgestando Deæ simulacro, tympanis pulsandis, stipem de crumenis credularum muliercularum sibi corrogabant, Gallicè, *Batteleurs, Theryacleurs de Picardie, & Charlatans d'Italie, amasseurs de rogatons*, qui aptè conveniunt collegio Tigellii nostri nepotis.

Qui tales euaserunt inertissimo desidiosissimoque otio: vnde nomen Gallicum Bateleur putatur fluxisse, nam Batal sonat Hebræis otiare & cessare: ex quo Lotelim Batelanim vt Βάταλοι & βατελισμὸς sunt Hesychio, *nugatores & nugæ*: ad hunc autem hominum genus videtur accedere proxime, quod Agel-

lus lib.14.cap.1.ſcribit, *Sed id præſtigiarum & offuciarum genus commentos eſſe homines æruſcatores, & cibum & quæſtum ex mendaciis captantes, qui apriſco verbo æruſcare* nominantur Græcum ſonante χαλκολογεῖν ἢ ἀργυρολογεῖν, id eſt, *malis artibus nummos colligere*: quod Seneca lib.2.cap.6.de clementia vſurpauit, quum hanc meſericordiæ definitionem Stoicè ſtricto examine vrget: *Miſericordia eſt ægritudo animi ob alienarum miſeriarum ſpeciem: aut triſtitia ex alienis malis contracta, quæ accidere immerentibus credit. Ægritudo autem in ſapientem virum non cadit, & vultum quidem non deiiciet ſapiens Stoicus, nec animum ad æruſcantis ciuis aut pannoſi aridam faciem & obnixam baculo ſenectutem: cæterum omnibus dignis proderit & Deorum more calamitoſos propitius reſpiciet &c.*

Mimæ.] Philippus Macedonum rex non longè abfuit ab ingenio noſtri Tigellii, vt ſcribit Demoſth. 2. Olynthiaca: Εἰ δέ τις σάφρων ἢ δικαῖος ἄλλως, τλεῖν καθ' ἡμέραν ἀπραξίαν τὸν βίον καὶ μένειν, καὶ παρελπεσμοὺς ὁ δυνάμενος φέραν, παρεωρᾶσθαι, καὶ οὐ βουλευὸς εἶναι μέρει τῶν τοιούτων. λοιπὸς δὴ περὶ αὐτὸν εἶναι λυγὰς καὶ πόλακας, ἢ τοιούτους ἀνθρώπους, οἵους μεθυσθέντας ὀρχεῖσθαι τοιαῦτα, ὅτι ἐγὼ νυνὶ ὀνῶ πρὸς ὑμᾶς ὄνομ' ἄσαι. Δῆλον δ' ὅτι ταῦτ' ἐστὶν ἀληθῆ καὶ γὰρ ὃς ἐνθένδε μὲν φαύτες ἀπῆλαυνον (ὡς πολὺ τῶν θαυματοποιῶν ἀσελγεστέρους ὄντας) Καλλίαν ἐκεῖνον τὸν δημόσιον, ἢ τοιούτους ἀνθρώπους μιμεῖν γελοίων, καὶ ποικτὰς ἄλχρων σχημάτων, ὧν εἰς τοὺς σύνοντας ποιοῦν ἕνεκα τοῦ γελασθῆναι τοὺς ἀγαπῶ, ἢ περὶ αὐτὸν ἔχει: *Si quis verò modeſtus, aut alioqui, id eſt, naturâ, vir bonus, quotidianam vitæ intemperantiam & temulentiam, & impudicas ſaltationes* (πόρδακα ἢ πορδακισμὸς ἐστὶν ἢ ὄρχησις κωμικὴ, οὗ ἡ κινεῖται ἢ ὀσφὺς ἀσχρῶς, *eſt autem ſaltatio comica, in qua turpiter agitantur lumbi*) *non poſſit ferre, illum contemni, nulloque loco haberi: reliquos igitur, qui penitùs intrârunt in ipſius familiaritatem, eſſe latrones, aſſentatores, & huiuſmodi homines, qui ita ſaltant ebrii, vt me nunc pudeat pigetque vobis exprimere verbis. Hæc profectò vera ſunt: quos enim ex hac regia domeſtici omnes efficiebant (vt præſtigiatoribus laſciviores, & petulantiores multò) quales fuit Callias ille publicus miniſter, & huius generis alii homines, qui res ridiculas exprimebant & effingebant, & turpia carmina faciebant, (id eſt, multa ridicularia dicteria funditabant ad ſodalibus riſum mouendum) hos amat, & ſecum habet.* Tales ſunt paſſim mores complurium principum, ac diuitum, experientia omnibus peruulgata. Vox autem Græca μῖμος etiam donata eſt Latinitate, & tota ipſius συζυγία, coniugatio, *mimus, mimicus, mima, mimula, pantomimus.* Primigenium deflectitur παρὰ τὸ μιμεῖσθαι, *ab imitando* & effingendo mores aliorum, geſtus, dicta & facta: Lacones appellant Mimum λεπτολίπταν ἢ λεπτολίσαν, qui quotidianæ vitæ velut expreſſam imaginẽ in ſcena ſpectatoribus proponit, (vt Don. in Teren. vita ſcripſit, *ab imitatione diuturna viliũ rerũ & leuiũ perſonarũ*) *in quo vitandus eſt Oratori ſcurrilis iocus vel mimicus,* ait Cic. l.2.de Orat. & paullò pòſt, *vitanda eſt mimicorũ & Etheologorũ ſimilitudo, quæ nimia eſt imitatio*: vbi auctor monet adhibenda eſſe moderationẽ in ioco & riſu & pudore. Ariſtoteles in arte ſcribit, τὸ μιμεῖσθαι σύμφυτον τοῖς ἀνθρώποις ἐκ παίδων, καὶ τούτῳ διαφέρουσι τῶν ἄλλων ζώων, ὅτι μιμητικώτατόν ἐστι, *ſolertiam alios imitandi hominibus naturâ eſſe inſitam, iámq; inde à pueris, & hac re præſtare aliis animalibus: quòd ſint peritiſſimi imitationis*: in qua quidem excelluit Proteus, qui propteteà dictus eſt λιμητικὸς ἄνθρωπος, καὶ πρὸς πάντα σχηματίζεσθαι ἢ μεταβάλλεσθαι δυνάμενος, *peritus effingendi omnia, & in ipſa ſe tranſmutandi*: quod Lucian. lib. de ſaltatione facit quẽdam admirantem, quum hic quinque perſonas ad ſaltationem comparatas videret, & eas omnes ab vnico ſuſtineri, ſic dhunc alloquutus eſt: ἐλεεινόθεις, ὦ βέλτιστε, σῶμα μὲν τοῦτο ἓν, πολλὰς δ' τὰς ψυχὰς ἔχων, *Celauetas, vir optime, te quidem conſtare iſto vno corpore, ſed multis animis præditum eſſe.* ſubnectit poſteà Luc. οὐ ἀπεικότως δὲ οἱ Ἰταλιῶται τὸν ὀρχηστὴν παντόμιμον καλοῦσιν, ἀπὸ τοῦ δρωμένου χαλῶν. *Non immeritò Itali ſaltatorem vocant pantomimum appoſitè ad effectum.* Vnde dicitur Oct. Auguſtus primus è Græcia pantomimos Romam evocaſſe, & inter cæteros Pyladem ex Aſia, vt Lucianus & Zoſimus ſcriptum reliquerunt, qui nutu, manibúſque, clauſo ore, facit, vt intelligantur, quæ vix linguâ vel Scripturæ textu poſſint agnoſci. Fuerunt quoquè mulieres mimæ in talibus deliciis adhibitæ, quarum Tullius 2.Phil. meminit, *Inter quos aperta lecticâ mima portabatur*: & paulò pòſt, *veniſti Brunduſium in ſinum quidem & complexum tuæ mimulæ.* Ita Cic. Phil. 13. tales obiicit delicias Antonio: *Quum in gremio mimarum mentum & mentem depneres.* quas Græci vocant μιμαλλόνας, ab imitatione virorum: quam vocem Latini etiam retinuerunt. Formâ autem patronymicâ Ovid. de art. l.1.

Ecce Mimallonides ſparſis in terga capillis:
Ecce leues Satyri præmia turba Dei.

vbi Poeta deſcribit comitatum Bacchi proficiſcentis ad Cnoſſidem amicam talibus mimis ſtipati. Eâdem quoque formâ deriuat Perſ. Sat.1.

Torua Mimalloneis implêrunt cornua bombis.

Balathrones.] Varro li. 2.cap. 5. hac voce vſus eſt pro homine nihili, & ad fruges conſumendas tantùm nati, quem Galli *Belithronem* ſuâ linguâ vocant vaniloquum & futilem, qualis eſt Græcis λαβραγόρης, πέρ μόλογος. *Quum videbo iam vos* (inquit) *Balatrones & huc afferam mihi coriam & flagella.* Feſtus tamen definit Balathrones & Blitheas eſſe bullas luti, ex itineribus collectas, vel quod de calceamentorum ſoleis eraditur: alii volunt dici, quaſi Barathrones, à Barathro immenſæ altitudinis loco in agro Attico, qui eſt ὄρυγμα γῆς παρὰ τὸ βαθὺ, *foſſa terræ profunda*, vel locus præceps & profundus, vnde emergi non poteſt: de quo vide 8.Aen. v.244. & Lucret. lib. 6. ſed pro *barathrones* ſonus linguæ blæſæ retulit *balathrones*, vt pro *Brabylo* Mitio Terentianus dicitur *Babylo* propter immodicam in Aeſchinum benignitatem, aut hic ob prodigentiam. Non enim ſatis conſtat, vter intelligendus ſit Act. 3. Sc. 7. v. 17. Adel. ductum quidem cognomen παρὰ τὰ βράβυλα, ἤγουν σύνοιλιὰ μῦλα, *à malis aluum ſoluentibus.* Itaque profuſi balathrones ſunt gurgites & heluones bonorum, tantùm ſuo abdomini, non gloriæ, nati: vnde Seruilius cognominatus eſt, quia ſic naturâ comparatus erat, vt modò definitum eſt: qualis Mænius decoctor dicitur, non Balathro, aut Barathro, ſed Barathrum ipſum macelli. Epiſt. 15.

Maſtum.] Hæc duo epitheta ſcitè geminantur, tum vt ægritudo flebilis de iactura perditi fructus ſignificetur, tum vt illi perditi ac diſſoluti homines ab eadem cogantur de altero quærendo nepote cogitare. Grammatici deflectunt *mæreo* à *marceſco*, ideoque malunt ſcribere per æ. Huius autem ratio eſt, quòd homines mærore & triſtitiâ tandem marceſcant & tabeſcant.

Sollicitum.] Gemino *ll*, ſcribitur ἐπιτάσεως χάριν, *productionis cauſſâ. Solum* enim, ex quo & *cito* fit *ſolicito*, priorem corripit, vt ſolicitus dicatur motus de ſuo loco & ſolo, vi perturbationis.

Cantoris.] Si nomen cantoris inuidioſum fuit apud Rom. vt eſt iampridem apud Gallos, hîc contemtus cauſsâ fuit adhibitum. Plato 7. Legum ſic ſcribit: *Decretum hoc ſit, præter publicos & ſacros cantus, & omnem iuuenum choream nemo ſonos edat, neq; in ſaltatione motus faciat.*

Tigelli.] Apòcope est alterius i vel crasis duorum in vnum, vt in, *cura peculi*: atque omnes interpretes vno ore & consensu ferunt, M. Tigellium Hermogenem, qui etiam Sardus appellatur Satyrà proximè sequenti, & mores illius plenius explicantur, fuisse cantandi peritissimum: eamque ob rem summos Principes illius Musicà mirabiliter delectatos: Primum Cæsarem Dictatorem, deinde Augustum, postremò Cleopatram. Ferunt præterea carmina huius Poetæ non admodum ab eo probata, quòd non satis numerosè & modulatè sonarent. Quàm autem intemperanter & libidinose vixerit, satis perspicitur è collegio illius suprà descripto. Ad historiam tamen Tigellii addam, quod de ipso scribit Cic. l. 7. Epist. 24. ad *Gallum: Phameæ caussam susceperam Tigellii quidem caussa: erat enim mihi sane familiaris. Is ad me venit, dixit iudicem sibi operam dare constituisse eo ipse die, quo de P. Sextio in consilium iri necesse erat, & respondi, nullo modo me facere posse, quum vellem: alium diem si sumsisset me ei non defuturum. Ille autem, qui sciret se nepotem bellum tibicinem* Tigellium *habere & sat bonum cantorem, discessit à me, vt mihi videbatur iratior. Habes Sardos venales, alium alio nequiorem. Cognôsti meam caussam & istius Salaconis iniquitatem*: hæc repetuntur lib. 13. Ad Att. Epist. 47. cuius initium est, *Laudationem Porciæ*, & ad verba, *de Tigellio si quid noui: qui quidem, vt Gallus Fabius mihi scripsit, μέμψιν ἀναφέρει mihi quandam iniquissimam, me Phameæ defuisse.* Ex his intelligis ingenium aui Phameæ, & Tigellii nepotis vehementer bonis in visum: quorum patria Sardinia abiit in proverbium, *Sardi venales.* Nam vt Liuius scribit lib. 41. & in lib. de viris illustribus, post Sardiniam à Tit. Sempronio ditioni Romanæ subactam innumera mancipia Romam aduecta sunt, & ex eorum vilitate, vt scribit P. Manutius, adagium superius est natum: quod Cicero ioci loco & fortasse probri obiicit Phameæ & Tigellio nepoti, nepoti, inquam, & natalibus & moribus, cuius natura magis arguitur nomine Salaconis. *ἐγὼ δὲ σαλάκων προσαγορευόμενος πλούσιος εἶναι πένης ὤν, καὶ σαλακωνία, ἀλαζονία ὑπὲρ τὸ δέον, καὶ σαλακωνίσαι, ἀλαζονεύεσθαι, ἀλάζονας δὲ ἔλεγον τοὺς ψευδεῖς καὶ μεγαλαύχους, est autem Salacon, qui quum pauper sit, simulat se diuitem esse, & Salaconia suprà, quàm deceat, & verba sonant, iactare & superbire: arrogantes autem dicebant mendaces & superbos.* Præterea Theophrastus definit Salaconem esse, qui sumtum facit, vbi non sit opus.

Quippe benignus.] Imò iudicio aliorũ, qui minimè sunt eruditi ad assentationem, fuit hic Hermogenes rerum suarum profusus maximè.

Inopi amico.] Hic *quo*, potest vel referre suppletum antecedens, *dare quicquam*, vel esse coniunctio pro, *vt possit.* Quæ est ista tam ingrata immanitas, amico negare opem? ecquid potest exspectare ab eo alienus?

Duramq; famem] Sic Cic. 1. de finib. *depulsa fames & sitis cibo & potione.*

Hunc si perconteris.] Monet me notatio huius verbi ita scribendum. A conto enim oblonga pertica ad explorandum locum in mari nauibus opportunum deflectitur, quum autem altitudo maris exploratur, id διὰ τῆς βολίδος καὶ κατὰ πειρατηρίας fieri dicitur, id est fune & perpendiculo, cui alligatum est plumbum. Adde, quòd significandi ratione pugnat cum *cunctor, aris*, id est, moror, differo, quã facilè & optimè perspicies è versu: *stet pretio, neque cunctetur, quum est iussa*, ad finem huius Satyræ: quanquam huius iunctum *percunctor* Donatus scribit ex eo dici, quòd à cunctis inquiratur: percontor tamen malo scribere, quod est inquiro & interrogo. Hęc duo, *percontari* & *interrogari* Donat. in Heaut. Act. 1. Sc. 1. ad vers. *vel me monere hoc, vel percontari puta*, videtur distinguere diuerso ex fine, vt dicat *prius suapte naturâ ad finem spectare coarguendi: interrogare autem noscendi gratiâ vsurpari*: sed hanc distinctionem corrigit postea, *quamuis tamen útroque indifferenter vtamur*, cuius syntaxis est varia: quia dicitur, *quem percontor?* & *doctos percontari*, item *ab aliquo & ex aliquo percontari de re aliqua.* Omittebam monere, κόντον esse vocabulum Græcum pro ξυστῷ genere hastilis & instrumenti naualis, vnde πλοῖα κοντωτὰ, quæ contis impelluntur, non remis, vt minora & actuaria.

Stringat rem.] Hanc sententiam videtur Horatius è verbis Nicomachi apud Athenæum lib. 2. expressisse: *βόιδιον γὰρ κατέλειπόν μοι τοῦ πατρὸς ὅτως συνεστρογγύλισα καὶ ἐξεκόνισα οὐ μικροῖς ὀλίγοις, ὥσπερ ὠόν τι ῥοφῶν, bona mihi à patre relicta perinde constrinxi in globum, & granum è siliquis paucis mensibus exemi. ac si aliquod ouum fuisset mihi absorbendum.* Verba autẽ nostri Poetæ sic fecit Græca H. Stephanus, τὴν παππῶαν καὶ πατρῶον οὐσίαν σφαῖραν ποιεῖ καὶ συστρογγύλλει. Hæ phrases Græcæ solent dici εἰς τοὺς κόσκινα καὶ ἀπολάστους, *in perditissimos homines, nequissimos, intemperantissimos*, consuetudine pharmacopœorum, quid medicamenta conglobant in pillulas, vt facilius & celeriùs deuorentur. Hanc autem sententiam *rem vniuersam luxu perdere* dilatavit lib. 1. puto, de copia verborum Erasmus partim variis possessionum generibus à quàm plurimis dominis relictarum, partim viis illius perdendæ multis explicatis.

Malus stringat rem praclaram.] Id est amplissimas maiorum fortunas ita diminuat, & circumcidat voracissimâ gulâ, vt has ad assem redigat, & illos gloriâ honestè, iustèque partarum privet: vbi ingratus animus heredis nequitiâ & intemperantiâ significatur ex his epithetis: *malus & ingratâ.*

Ingluuiem] A *Gula* Grammatici flectunt, significante τὸν οἰσοφάγον, qui definitur ab Aristotele lib. 3. cap. 3. de part. animal. *δι' ἣ τροφὴ πορεύεται εἰς τὴν κοιλίαν. ὥστε ὅσα μὴ ἔχει αὐχένα, δι' οἰσοφάγου ἔχουσιν ἐπιδήλως*, id est, *per quem cibus defertur in ventriculum. Itaque quacuuq; collum non habent, hæc neque gulam habent manifestò.* Hæc quidem definitio Oesophagi vocis etiam etymon notat. *οἰνωδὴ λέγεται, ὅτι τὰ φαγήματα οἴσει εἰς κοιλίαν*, id est, tanquam diceretur, *quod esculenta in ventriculum delaturus sit.* Quæ mihi ratio probabilior videtur alterâ, quæ est lib. 1. cap. 16. Histor animal. *ὅτι ἔχει τὴν ἐπωνυμίαν ἀπὸ μήκους καὶ τῆς στενότητος*, id est, *quod à longitudine & angustia cognomen reportarit.* Atque hæc de voce Græca: de Latina porrò è lib. 8. cap. 5. Columel. profertur *si vacua non est ingluuies, eruditatem significat*, quum loquitur de Gallinis, intelligens primum ventris sinum, qui est Eustachio ἀπολαυστικὸς τόπος τῷ ζώῳ κατ' ἔτυμον τοῦ λαιμοῦ, id est, *Locus afferens oblectamentum animali iuxta etymon vocis significantis gulam & guttur.* Hic autem sumitur ἀντὶ τῆς λαιμαργίας, id est, pro insatiabili & voraci edacitate, qualem dicit Terentius Eunuchi, Act. 5. Sc. 4. meretricibus esse, quum domi solæ cænant.

Harum videre ingluuiem, sordes, inopiam,
Quàm inhonestæ solæ sint domi, atque auidæ cibi.
Quo pacto ex iure hesterno panem atrum vorent.

Quidam tamen non planè reiiciunt alteram lectionem *illuuiem* pro squalore & immunditie, quod à *non lauando* dici volunt, vt Græcum ἀλουσίαν: quo spectare videtur illud Curtii lib. 4. *ablue corpus illuuie externisq; sordibus squalidum.* Malo equidem priorem.

Coemens opsonia.] A Græcis mutuati sunt Latini hanc vocem, & totam ipsius coniugationem opsonor

&opsonator. Definiam primùm, quod opsonium sit, deinde notabo, vnde flexum: postremò exempla apponam Scholiastæ Homeri in ll. λ παῦ τὸ μετὰ ἄρτου ἐσθιόμενον ὄψον καλεῖται, cui potest addi ἢ τὸ συνίαμα ἢ τὸ ἥδυσμα νιτίων. Hic prior pars iuncturæ definitur, *quicquid cum pane comeditur, opsoni vocatur & sapor & iucundum cibi condimentum*, cuiusmodi sunt τὰ πρέα, ἰχθῦς, ζωμοὶ, πέμματα, τραγήματα, ὑποτέμματα καὶ ὁμοίαι τῶν ὄψων παραθέσεις, *Carnes, pisces, iura, placentæ, bellaria & intrita, & similia horum fercula.* Tolosates videntur hoc interpretari suâ linguâ *Companage*. Græci προσφάγιον. Quidam notant τὸ ὄψον παρὰ τὸ ὀπτᾶσθαι, ἢ παρὰ τὸ ἕψειν *ab assando, vel coquendo*: sed Eustathio magis probatur flexio, παρὰ τὸ ὄψε, diuersi spiritus caussâ. Posterioris notationis ratio est, quòd veteres tenuis ac simplicis victus genere vsi serò tales cibos mensis apposuerint, atque posteà coemtos & adhibitos, non nisi vespere comederint. Qui autem tales cibos emebat & condiebat, ὀψώνης dicebatur, quem noster Poeta circumloquitur hîc *coemens obsonia*, & Ath. li. 4. ita definit, ἐπάλουν δὲ καὶ ἀγοραστὴν τὸν τὰ ὄψα ὠνούμενον, νῦν δὲ ὀψωνώτερα, *vocabant etiam mercatorem eum, qui tales cibos emebat, nunc vero opsonatorem*, quem Latini retinuerunt. Martial. l. 14. fine, inducit opsonatorem sic è conuiua percontantem:

Dic quotus es, quanti cupias cœnare, nec vnum
Addideris verbum: cœna parata tibi est.

Item Plautus in Milite glorioso:

Vel hilarissimum conuiuam hinc indidem expromam tibi,
Vel primarium parasitum, vel opsonatorem optimum.

Atque, vt Græci τὸ ὀψωνεῖν, sic Latini dicunt *opsonari, & opsonare* pro *emere opsonia*, quorum passim exstant exempla: vnde Cicero. 5. Tusc. *Socratem ferunt, quum vsque ad vesperum contentius ambularet, quæsitum que esset ex eo, quare id faceret, respondisse se, quo melius cœnaret, opsonare ambulando famem*, ἀνιττόμενος, Eustathius annotat, ὄψον δεῖπνῳ τὸ γυμνάσιον παρασκευάζον ἡδεῖαν τῇ τροφῇ, id est, *occultè significans exercitationem esse opsonium ipsi cœnæ, præparans alimento suauitatem*: quod Gallicè interpreteris, *ex mè promenant tachette des appotis*. Opsonium quoque ab eadem ratione coniunctionis ἐν τῷ ὄψῳ καὶ ὠνεῖσθαι & notionis σὺν ὄψῳ deflecti. Addam tamen sumi etiam pro stipendio & auctoramento militiæ, quod olim constabat ex annona menstrua vel annua, id est, re frumentaria & aliis ad victum necessariis in mensem vel annum suppeditatis, non autem è nummis. Sic enim Lucas cap. 3. ἀρκεῖσθε τοῖς ὀψωνίοις ὑμῶν, *contenti estote stipendiis vestris*, dicebat militibus D. Ioannes Baptista. Hunc autem Poetæ versum sic Gallicè exprimas: *Qui prend argent agros interests pour acheter toute sorte de viande pour faire grand chere.*

Dives agris.] Simili syntaxi dicit Virg. Aeneid. 7.

Qui fuit, Ausoniisque olim ditissimus aruis.

vbi Seruius annotat dictum *secundùm antiquum morem* & citat versum Satyræ. 3. lib. 2. *antiquo censu dives*, eiusdem syntaxeωs.

Quum vterque alibi dicat, *quàm dives pecoris? & rerum multarum dives* hic versus iterabitur sub finem epist. 3. lib. 2. de re Poetica in descriptione inertis diuitisque poetæ.

Quinas hic] *Exigit* vel *exsecat capiti* Poeticè dicitur, pro quo Oratoriè, deducit & exsecat de capite ac de sorte & de principali summa. Grauissima autem est vsura, si vnoquoque mense de sorte principis summę mercedes quinæ exiguntur. Hæ enim, si vsuræ sint semisses; æquabunt quadragesimo mense sortem: si quinæ centesimæ; vigesimo: quales improbant leges tam diuinæ, quàm humanæ. Itaque non est verisimile, vt Fusidius potuerit impunè quintuplam vsuram exercere, vnde videtur τὸ *quina* sic intelligendum, sicut Xylander peritè interpretatus est: quum Fusidius nummos fœnori locabat, de sorte deducebat vsuram primorum quinque mensium: verbi gratiâ, quum 200. coronatos; minùs decem coronatis numerabat: quos sibi tantum initiò persolui volebat pro vsuris quinque mensium futuris. Ita debitor solvebat, quod nondum debebat, atque quanquam non integram sortem acciperet à fœneratore; pendebat tamen ipsi deinceps vsuras tanquam pro integra sorte: quod est *capiti exigere*. Nominatim prohibetur Exodi 22. Leuit. 25. & Deut. 23. exigi à popularibus vsura siue de re pecuniaria, siue esculenta, siue de qualibet alia. Ex Appiani l. 1. c. 7. è Plutarcho quoque lib. de vitanda vsura, ex Aristot. Politi. l. 1. cap. 7. discimus interdictum, & acerbissimas fœnoratorum damnationes accusatione quadruplatoris & Censoris iudicio. Eámque ob rem Solonem Atheniensem ad immortalem nominis sui gloriam & memoriam illa σεισαχθείας, ἢ τῶν χρεῶν ἀποποιὴ, id est, *nouarum tabularum & æris alieni decisio* sublata consecrauit, vt Plutar. & Laert. referunt in ipsius vita, Ideoque Aristophani σὺν ιφέλ. comœd. act. 4. Sc. 3. Solon dicitur ὁ παλαιὸς ἦν φιλόδημος τῇ φύσει, id est, *antiquus ille Solon fuit naturâ populi perstudiosus*; qualis Romæ cognominabatur P. Valerius Bublicola: Plutarchus refert, ὅτι τὸν δῆμον ἐθεράπευσε, i. *quod populum coleret ac diligeret* cõtra iniurias ditiorũ & potentiorũ, μάλιστα δὲ πρὸς τοὺς χρύσας πικρὸς, i. *aduersus creditores acerbos*: quõ imitatus est Cæsar, vt scribit Plutar. in ipsius vita, καὶ σεισαχθείᾳ τινὶ ἐκούφισε τοὺς ὀφειλέτας, *debitores obæratos leuabat onere æris alieni* dicere solitus, *fœnorare idem esse, atque iugulare*. Humanæ tamen leges capite non damnabant fœnoratorem, vt Cato his verbis iudicauit: *Maiores nostri*, inquit, *sic habuêre & ita in legibus posuêre, furem dupli condemnare, fœnoratorem quadrupli.* Hi in fœnore improbando priùs caussam eius, quæ est inexplebilis auaritia & pecuniæ cupiditas: deinde damna, quæ rebus tum priuatis, tum publicis fœnoratio dat, perpenderunt: & certè descriptio Cæsarianæ fœnorationis accedere proximè & alludere videtur ad Hebraicam eiusdem appellationem, sicut nomina Græcum & Latinum, τόκος & fœnus. Nam Leuiticis 25. versu 36.

Vetharbith neschec meitho thicach al
& accessionem fœnus ab eo accipias ne

Vox *Neschec* à radice *Naschac*, mordere, significat acrem morsum, qui tandem fœnore conducenti nummos exitium affert: quo videtur D. Paulus Epistolarum ad Galatas capite quinto versu 15. respexisse, εἰ δὲ ἀλλήλους δάκνετε καὶ κατεσθίετε, βλέπετε μὴ ὑπὸ ἀλλήλων ἀναλωθῆτε, id est, *quod si alii alios mordetis & deuoratis, videte, ne vicissim alii ab aliis consumamini*: hic Christianos apostolus exhortatur ad mutua charitatis officia: quæ inter alios homines deserunt omniũ maximè acerbi fœnoratores: qui tamen locus de qualibet iniuria & contentione intelligi videtur: vox autem σεισάχθεια ἐτυμολογεῖται παρὰ τὸ ἀποσείεσθαι τὸ ἄχθος, id est ab onere excutiendo, ac definitur λύτρωσις σωμάτων τε καὶ κτημάτων, id est, *redemptio corporum & possessionum*: Eódem spectat vox Chaldæa *thabboli*, φθορὰ βιαία καὶ ὀδυνηρὰ, *violenta corruptio & afferens dolorem perditio.* Vox autem altera *Tharbith* à radice *Rabah*, ab augendo, quòd vsura, vt partus quidam & fœtura gregem, sic sortẽ & caput suppleat & æquet. Hoc autem fœturæ genus perpulchrè D. Ambrosius explicat

explicat in Lib. Tobiæ cap. 12. *vnde etiam τόκος*, ait, *Græci appellauerunt vsuras, eò quòd dolores partes animæ debitoris exercitare videantur. Veniunt Kalendæ: parit sors centesimam. Veniunt menses singuli: generantur vsuræ. Creuit centesima: petitur, nec soluitur. applicatur ad sortem (quam vsuræ anniuersariam renouationem Cicero verbo Græco vocat ἀνατοκισμὸν epistolâ vltimâ Lib. 5 ad Atticum) Itaque non iam centesima incipit esse, sed summa, hoc est, non fœnoris centesima, sed fœnus centesimæ & hoc est, quod T. Liuius dicit, Mergentibus* (vide, nũ Legendum sit *super sortem*) *semper sortem vsuris fœnore obrutum esse. Ibidem* ille D. Theologus comparat vsuram cum Echidua, id est, cum vipera, quæ, vt hæc, tanta mala parturit. Sortem autem Donatus in hunc vers. Adelph. Act. 2. Sce. 2. *hei mihi etiam de sorte nunc venio in dubium miser!* id est, *in periculum. Sors est summa, cui extrinsecus acquiritur fœnus:* quæ Græcis dicitur *τὸ ἀρχαῖον καὶ τὸ κεφάλαιον*, Gallicè *le principal.*

Hæc certè sortis definitio suppeditare videtur genus vsuræ, quam Iureconsulti sic definiunt, vt sit, *quicquid vltra sortem mutuatum, percipitur*, vel vt clarius P. Beroaldus in epitome Philosophiæ moralis definiuit, *vsura est lucrum ex mutuo exactum.* Hoc tamen interest inter vocem Hebraicam *Neschec*, & Græcam *τόκος*, quam ab animatis rebus sumtam, Aristot. Polit. 1. cap. 7. videtur restringere ad pecuniam, *ὅλως τόκος αὐτὸ, ἀπλονότι τὸ νόμισμα ποιεῖ πλέον, πλέον τ' ἀργύριον ἀεὶ γίγνεται ὑποῤῥέοντος τοῦ χρόνου, vnoquòque mense ac die semper magis ac magis argentum crescit progressu temporis*, eámque ob rem Aristophanes in Nubib. Comœd. fœnus comparat cum bellua, quæ progressu temporis argentum numerosiore semper fœturâ progeneret. *Neschec* autem latiùs funditur, quod septuaginta sic interpretati sunt Deut. 23. *οὐκ ἐκτοκιεῖς τῷ ἀδελφῷ σου τόκον ἀργυρίου, καὶ τόκον βρωμάτων, καὶ τόκον παντὸς πράγματος, οὗ ἐὰν ἐκδανείσῃς· τῷ δ' ἀλλοτρίῳ ἐκτοκιεῖς. Fratri tuo non dabis fœnori, nec pecuniam, nec esculenta, nec quicquam aliud quòd si fœnoras, alienigenæ fœnorabis.* Non quælibet tamen vsura damnanda est, præsertim quum illam vtilitatum comparationes facere solent, id est, quum eandem possumus metiri mutuâ dantis & accipientis vtilitate, ac perinde proximo nostro cupimus, ac nobis ipsis, benè consultum. Itaque legumlatores, istâ æquabilitate fructus seruatâ, certas & definitas permiserunt vsuras, atque in primis Iustinianus Imperator in Cod. legum ciuilium titulo de vsuris, permisit in traiectitiis contractibus stipulari vsuram centesimam, hoc est, de centum aureis in singulos menses vnum: quo pacto sors centesimo mense à fœnore æquatur. In aliis autem licitis negotiationibus bessem centesimæ, hoc est, de centum in singulos menses octò partes aurei, & in annum aureos octo. Illustribus tamen quolibet contractu non supra tertiam partem centesimæ, id est, in mensem quartam aurei partem, & in annum aureos 6. Si ad normam harum legum fœnus exigitur; nihil est, quod homines reprehendant & culpent: vnde equidem coniicio locum Ciceronis ad finem lib. 2. de officiis de hoc fœnoris genere intelligendum: *Sed de quærenda, de collocanda pecunia, etiam de vtenda commodius à quibusdam optimus viris ad medium Ianum sedentibus, quàm ab vllis philosophis vlla in schola disputatur.* Veruntamen, si quid fortè frater & proximus detrimenti indè acceperit; Christiani fuerit ad Dei mandatum talem casum examinare, quo ille iubetur commodis proximi æquè seruire debere, atque propriis. Iam redeo ad Fusidium danistam intolerandum; ideóque longè grauiorem Censoris reprehensionem & castigationem, quàm nostri Poetæ præsentem, non debuit ille effugisse: cuius certè culpam illud etiam adauget maximè: quòd tironibus ac filiisfamiliâs quinque ac viginti annis, minoribus contra leges & Senatusconsulta fœnorauit: qualis fuit lex Lætoria contra circumscriptionem adolescentum, cuius meminit Cicero lib. 3. de Officiis, & lib. 3. de nat. Deo: meminit quoque Plautus in Pseudolo: quâ vetabatur pecuniam fœnori dari adolescentibus ante quintum & vicesimum annum: ibi Callidorus adolescens ita loquitur: *Nummum nusquam reperire queo. Ita miser & amore pereo, & inopiâ argentariâ. Perii, an non tum me lex perdit quina vicenaria. Metuunt credere omnes.* Tacitus refert libro secundo, Claudium legem tulisse contra creditorum acerbitatem, quâ quidem cauebatur, ne pecuniæ in mortem parentum fœnori darentur filiisfamiliâs: quam progressu temporis spretam. Vespasianus seruari iussit, vt Suetonius memorat in ipsius vita cap. 11. *Neue filiorum familiâs fœnoratoribus exigendi crediti ius vnquam esset*, hoc est, ne post patrum quidem mortem. Vide colloquium Getæ cum Demiphone de Phædria, omnes ineunte vias & rationes conficiendæ pecuniæ in Phorm. Act. 2. Sce. 1. quod quidam accidisse putant ante, quàm Macedonicum Senatusconsultum factum fuerit, vt qui filiofamiliâs viuo patre credidissent, repetitionem jure ciuili parte mortuo non haberent: Ex hac autem ironia Getæ ad senem Demiph. *siquidem quisquam crederet, id est pecuniam committeret, te viuo.* apparet vulgò semper dici solitum non licere credi filiofamiliâs. Addam postremò *τὸν τόκον καὶ τὸ δανείσμον*, è Scholiaste Aristotelis inter se differre *οὐ τῇ δανείᾳ χάριν, ἀλλὰ τοῦ τόκου ἐνεχυράσασθαι ἀπειλοῦσι, non sortis & capitis caussâ, sed fœnoris pignus accipere minantur*: vbi *τὸ δανείσμον* valet *τὸ ἀρχαῖον καὶ κεφάλαιον. τόκος δὲ* per metaphoram ab animatis rebus dicitur, vt fœnus à fœtura animalium, vt alibi notatum est. A *τόκος* deflectitur *ὑποτοκιστικὸς τοκύλλιον* fœnusculum, & hinc tocylliones, pro fœnoratoribus minutis (vel vno verbo fœnoratorculis) per geminum λλ, vt est natura *ὑποτοκιστικῶν, ἐδιδύλλιον, ἐπύλλιον*, versiculus, quo vtitur Cicero lib. ad Attic. 2. ad extremum Epist. 1. *Neque te in Tocyllionibus habebam.*

Mercedes exsecat.] Id est, quum fœnorator locat argentum suum fœnori, de sorte demit præ manu prouentum primi mensis nondum incepti: tantum abest, vt finem fecerit: verbi gratiâ: si centum aureos Fusidius fœnorat ad rationem quinarum centesimarum in singulos menses; in ipsa stipulatione tantùm numerat conducenti nonaginta quinque, & ita quinque aureos, tanquam fructum nondum in gemma plantæ micantem, decerpit. Ita merces apud Ciceronem significat prouentum 2. de finibus bon. & mal. *Vides igitur si amicitiam suâ caritate metiaris; nihil esse præstantius: sin emolumento; summas familiaritates prædiorum fructuosorum mercede superari*: quam Græci *τὴν ἐπικαρπίαν καὶ πρόσοδον* dicunt, Gallice, *rente & revenu.* Merces autem Grammatici ex eo dicitur, quòd æs mereatur quiuis suo labore, Græce *μισθὸς*. Sed de variis vsurarum generibus lege orationes Demosthenis forenses.

Vrget.] Quò magis adolescens luxu diffluit: tantò maiori fœnore Fusidius cogit illum nummos suos conducere, & obseruat maximè eum, qui nuper

& modò prætextâ positâ sumsit togam virilem anno circiter 17. & sub patre præparco & præduro viuit: de quo Cicero pater scribit ad Att. lib. 10. Ep, 23. *Ego meo Ciceroni, quoniam Româ caremus. Arpini potissimùm togam puram dedi.* item ad eundem lib. 5. Ep. 20. *Ego, quum Laodicem venero, Quintio sororis tuæ filio togam puram iubeor dare.* De qua etiam Apul. lib. de Magia. *Eruditissimi iuuenes laudis gratiâ candidati, primum hoc forensis operæ legendi principales libros & epistolas in senatu rudimentum subibant, vt aliquo insigni indicio ciuibus sui noscerentur, qui mos incipientibus adolescentulis ad illustrandum ingenii florem apud antiquos fuerat concessus.* Togam autem candidam, qui hoc facerent, tirones induebantur ipso tirocinii die. Sic enim appellabant, quum eloquentiam auspicarentur in foro: aliàs intelliguntur νεοπόλεμοι, militaris disciplinæ rudes.

Quis non Iuppiter exclamet] *Cur, o Iuppiter maxime, non depellis è patria istum Fufidium, pestem ac perniciem adolescentum, & omnis humanitatis hostem?*

Pro quæstu.] Ita eleganter vsurpatur hæc propositio in designanda modi & quantitatis conuenientia, quam possumus exponere *secundùm* vel *iuxta*: quorum priori vtitur Terent. in Eun. Act. 5. Sc. 9. *postquam eis mores ostendi tuos, & collaudaui secundum facta & virtutes tuas.* Posterius autem ἐπιρρηματικῶς sumtum pro ἐπίσης, æquè talem modum significat, vt apud Sallust. in jugur. *iuxtà boni ac mali obtruncati sunt*, i. pari supplicio affecti: sic Cic. pro domo sua, *nemo fuit, qui non me pro suis opibus in illa tempestate defenderit*: sic Quintil. dicit. *pro modo, pro nostræ facultate & viribus.*

Hic vix.] Intellige: *hiccine auarus sumtum faciet pro ratione turpis lucri?* & subiice, *vix quisquam credat, quàm malè fraudet genium suum incredibili parsimoniâ.* Quidam hîc mirantur, quo modo sumtum facere sit idem, quod impensam agere in rem aliquam, quum sumtus videatur potius ex illo Teren. Adelph. Act 5, Sc. 9. v. 20. *postremò à me argentum, quanti est sumito*, nomen esse fructus & acquisitionis, quàm dispendii: sed desinent mirari, si attenderint, *sumtum facere* ad categoriam τῶν πρός τι attinere, quorum ex vno posito facilè potest alterum intelligi, vt ex eo quod sumtum est priùs aut è crumena, aut è cella penuaria, aut ex horreo, aut aliunde, agatur impensa: sic ex accepto, datum intelligitur: ex depromto, conditum & cætera huiusmodi.

Pater ille.] Miseria & cruciatus Menedemi ex his verbis Chremetis intelligitur initio Heautont. *Nunquam tam manè egredior, neque tàm vesperi domum reuertor, quin te in fundo conspicer fodere aut arare, aut aliquid ferre, denique nullum remitis tempus, neque te respicis.* Deinde paulò pòst: *an cuiquam est vsus homini, se vt cruciet? Gall, vient il quelque profit al' homme de se tourmenier?* tandem Menedemus indicat Chremeti caussam angoris sui esse absentiam Cliniæ, qui sæpè iurgia patris grauiter audiendo in Asiam ad regem militatum coactus est abire: hoc modo se excruciat semper auarus, quum audit aut aliquid vicino sublatum furto fuisse, aut se procul à thesauro abesse, aut dormientem, rem malè custodire. Hîc notandum *atque* subiici comparatiuo pro *quàm*, atque tum non connectit, sed est aduerbium eligendi, vt annotatum est Ode 5. lib. 3. ex Agellio, sicut etiam 12. Epodis fuit: *minus ac me.*

Si quis.] Videtur rectus Latini sermonis vsus, quem Poeta hic sequitur: non minus tamen rectè sic Cic. hoc enunciaret, *si quis rem quærat, quò nunc pertinet?* vt Ep. 1. l. 4. ad fam. *rem vides, quomodo se habeat*, pro, *vides, quomodo res habeat*: sic Ep. 8. l. 8. *nôsti Marcellum, quàm tardus sit*: ad Attic. Ep. 11. l. 14. *nôsti virum, quàm rectus sit.* Terent. in And. *illum vt viuat, optant*, item Plaut. in Aul. *tu me, & ego te, qualis sim scio*: Cæsar denique lib. 1. belli Gall. *rem frumentariam, vt satis commodè supportari posset, timebant*, de quo semel iam in his commentariis, ni memoria fallit, nos monuimus. Ita Græci loquuntur, ὁ γινώσκω σε τίς εἶ, *non te noui, quis sis*, pro, *non equidem noui, quis tu sis*, Ita Isocrates in Helen. encomio, ὅστις δὴ οἶδε Πρωταγόραν, ὅ, τι κατέλιπον, *qui nescit Protagoram quod reliquit*, pro, qui ignorat, quod Protagoras reliquit. Ita quoq; Hom. Iliad. ε. sub init.

Τυδείδην δ' οὐκ ἂν γνοίης, ποτέροισι μετείη.

Sed Tydidem non agnosceres, vtris interesset,

pro, non agnosceres, vtris Tydides interesset, Græcisne an Troianis. Ita denique reliqui scriptores Græci tam strictæ, quàm liberæ orationis passim loquuntur.

Malthinus.] Equidem facilè patior me adduci hoc epitheto moribus ac naturæ Mæcenatis accommodato, & versu Satyræ, 1. Iuuenal.

Et multum referens de Mæcenate supino.

Itidem altero eiusdem Satyr. 12.

Purpuream teneris quoque Mæcenatibus aptam. ac illo Satyr. 4. huius lib. *non hic cuiquam parcet amico.* vt Albio Tibullo, ac multò magis illo epigr. quod habes in vita Poetæ post præfationem, vbi Mæcenas appellat Poetam suum sodalem: his adducor, inquam, vt credam mollitiem Mæcenatis hîc notari, vt planum fecimus ex multis historiis in Oden. 1. lib. 1. quibus maior fides habenda est, quàm interpretibus quibusdam in Voltejum Menam, vel, vt alii malunt, Demetrium Pompeii libertum hoc mollitiei flagitium, vel aliò, transferentibus, de quo abundè dictum est in prima Ode lib. 1. & testimonio Persii: atque dum hoc persuasum habeo, magnam constantiæ & virtutis laudem tribuo nostro Poetæ, qui vitia hominum nullo discrimine liberè & audacter coarguat. Similem animi constantiam Theognis iactavit:

Οὐδένα τῶν ἐχθρῶν μωμήσομαι ἐσθλὸν ἐόντα,
Οὐδὲ μὲν αἰνήσω δειλὸν ἐόντα φίλον.

Nullum inimicum vituperabo, si bonus est aliis,
Neque laudabo amicum, si est malus.

Neque Mæcenas hac reprehensione, si Isocratem ad Nicoclem audiisset, à Poeta se debuit abalienare. Πιστοὺς ἡγοῦ μὴ τοὺς παῦ, ὅτε αὐ λέγῃς, ἢ ποίῃς ἐπαινοῦντας, ἀλλὰ τοὺς τοῖς ἁμαρτανομένοις ἐπιτιμῶντας. *Fideles existima eos, non qui quicquid aut dicas aut facias, laudent: sed eos, qui delicta liberè accusent.* Non desunt tamen, quibus Poeta videtur ingratus in bene de se merentem, & animo barbaro & seruili præditus, quòd minimè potuerit à demissis Mæcenatis tunicis notandis abstinere. Arbitror equidem, si Poeta rediret in vitam, eum more Diogenis talibus responsurum: ὅτι οἱ μὲν ἄλλοι κύνες τοὺς ἐχθροὺς δάκνουσιν, ἐγὼ δὲ τοὺς φίλους, ἵνα σώσω, *alios quidem canes mordere inimicos, se verò amicos, vt incolumes seruet: δεῖ γὰρ τὸν λόγον τοῦ φιλοσόφου τὸ γλυκοδακτικὸν ἔχειν τῶν κλωμώνων, oportet enim orationem Philosophi eâ praditam esse suauitate, qua mordeat exulceratos.* Hanc autem vocem *Malthinus* Grammatici quidam flectunt παρὰ τὸ μαλθακὸς, quod idem valet, quod μαλακὸς, *mollis*: ita geminatur à Luciano, οὗτος ὁ θηλυδρίας, ὁ μαλθακὸς, *hic effeminatus & mollis est.* Ad huius formam, τὸ Trimalcio, onis, notionis intentioris factum est, tanquam diceres, τρισμάλακος, *summè mollis.* Erat præterea delicatorum & mol-

& mollium hominum, capite palliolato incedere, vt in Curcul. Plaut. ad Sc. *Date viam. Pallio coccino adrasum incluserat caput*, quod Seneca scripsit de Mæcenate hoc nostro. *Hunc esse, qui in Tribunali, in Rostris, in omni publico cœtu sic apparuerit, vt pallio velaretur caput, exclusis vtrinque auribus, non aliter, quàm in mimo diuite fugitiui solent*, Alii malunt deriuare παρὰ τὸ μάλθη, interpretantes κῆρον μεμαλλαγμένον, *ceram emollitam*, quâ illinebantur tabellæ, & iustrumenta iudicialia, πινάκια καὶ σπύρι καὶ γραμματεῖα διπαγικά, cuius rei verus est testis Demosthenes in oratione 2. contra falsum testem Stephanum: καὶ τοὶ τὰς μὲν τὰ πεπραγμένα μαρτυροῦντας προσήκει οἴκοθεν τὰς μαρτυρίας κατεσκευασμένας. Τοὺς δὲ τὰς προκλήσεις μαρτυροῦντας τοὺς ἀπὸ ταυτομάτου προσιόντας, καὶ εἰ μάλθῃ γεγραμμένους τλὶν μαρτυρίαν· ἵνα εἴτι προσγράψαι ἢ ἀπολείψει βουλήθῃ, ῥᾴδιον λῖν. Verũ eos, qui reb. *factis testimonia tribuunt, illa domo decet efferre cõfecta. Sed qui prouocationib. testificãtur, & casu astiterũt, eos decet inscribere testimonia ceratis tabellis, vt si quid vel addere vel expungere velit, facile sit.* Ex hac notione τὸ μάλθη transfertur ad mollitiem, μαλακίαν, indicandam, vt docet Hesychius: vnde malo nostrum Malthinum deflectere.

Tunicis demissis.] P. Africanus Paulli filius non admodum dissimili mollitie amictus delicati & myrobrechi D. Sulpicium Gallum notauit, vt scribit Agel. l. 7. c. 12. *Qui in conuiuiis adolescentulus cum amatore, cum chirodota tunica inferior accubuerit, qui non modò vinosus, sed virosus quoque sit: eúmne quisquam dubitet quin idem fecerit quod cinædi facere solent?* Videtur autem Poeta genus illud vestis, cuiusmodi quidam afferunt ex Apuleio, poderem tunicam significare, quod Græci χιτῶνα ποδήρη ἢ ποδηνέκη σύνδεδυκὼς, *indutus tunicâ vsque ad pedes promissâ* dicunt, vt ποδήρης πώγων κεῖται, *barba dependet ad pedes demissa*, quæ tunica fæminis, non viris, conueniebat, in quos licet iactare illud Tibulli Eleg. *Semper vt inducas*, lib. 1.

Tunc procul abfitis, quisquis colit arte capillos:
Effluit effuso cui toga laxa sinu.

Huiusmodi autem tunica, non solùm habuit luxum in talari longitudine, sed in extensione manicarum vltra extremos digitos, vnde Græcè dicebatur χιτὼν χειριδωτὸς, *tunica manucleata*, Plauto. Vterque excessus notatur ab Herodiano libro quinto, προήειτε σχήματι βαρβάρῳ χιτῶνας χρυσουφεῖς, ἀλυργεῖς, χειριδωτοὺς καὶ ποδήρεις ἀνεῳωσμένος. *Atque procedebat habitu peregrino, indutus tunicis aureis, purpureis, manucleatis & ad pedes vsque demissis*, qui mos fuit Phœnicum, vt ibidem dicitur, sed Romæ indecorus & probrosus, sicut è loco Agellii citato perspicitur, ac præterea ex eiusdem auctoris libro primo capite 5. vbi κόμψη illa χλανὶς καὶ μαλακοὶ χιτωνίσκοι, Demosthenì ab æmulis aduersariisque probro dati sunt, vt etiam spectè, compositéque indutus & vestitus esset, qualis luxus cernitur hodie in nostra Gallia circa collaria indusiorum & interularum fimbriis & laciniis luxuriantium, & omne genus subinde mutandi varios amictus. Quis non eâ re ad laborem ferendum remollescere homines, & effæminari arbitretur?

Inguen ad obscœnum.] Quod Græcè ὀσφὺς εἰς βουβῶνας, dicitur. Est autem inguen locus corporis ad vtrúmque pubis latus glandulis refertus facilè intumescentibus, humore illuc defluente. Præterea Grammatici variè notant vocem *obscœnum*: quidem à cœno, alii à scena: quòd turpia in scenam, vt coarguantur, produci soleant: alios præterea minus probabiles. Sententia est: *Alius est ridiculus & facetus tunicis vsque ad clunes sublatis*, quæ dicuntur Græcè χιτωνισκάρια, τοῦτ' ἐστι, βραχεῖς χιτῶνες, *qui ne lui vient, que iusques aux fesses?* Hic autem *subductis* opponitur priori *demissis*, vt illud valeat curtam & breuem vestem: hoc demissam & talarem.

Facetus.] Donatus in Heaut. Act. 3. Sc. 2. sic hanc vocem definitione declarat: *facetus est, qui facit verbis quod vult*, dum narrat fabellas, resque ludicras & iocosas recitat ad molestias abstergendum & ad curas abigendum. *Potest etiam referri ad formam corporis, vt significatio vocabuli indicat*, & hoc est quod Fab. Quintil. l. 6. c. 3. scribit, *facetum non tantùm consistere circa ridicula.* Gallicè, *recreatis, & qui à bonne grace à rencontrer.*

Pastillos.] Pastillus est massa & globulus cuiusque rei in formam panis redactus, vnde Grammatici docent nomen reperisse, sicut τροχίσκος παρὰ τὸν σφαιροειδῆ τὸν τροχίσκον, ὀξύτονον, *à rotunda figura rota*, ideóque etiam κυκλίσκος aliquando dicitur. Hic locus intelligitur de odorato pastillo, & pilula vnguentaria, quam Galli dicunt *pommers de senteurs*, non de illo medicinali, de quo Celsus lib. 5. capite 2. Mos autem vtendi vnguentis è Græcia Romam deductus est; cuius tantus dicitur breui luxus fuisse, vt τὸ μύρωμα, id est, vnguentum è cera oleo subacta, quo luctaturi illiniebantur, venderetur octingentis sestertiis. Sed vt olere est hominis delicatuli ac molliusculi; sic hircum olere spurci & immundi.

Hircum olet.] Id vno verbo Plautus, *alius est hircosus*, vt Græcè, τράγων ἢ δυσοσμος, *qui tætrum odorem spirat*, de quo Epod. 10. qualem ὁ τράγος. Hoc tamen nomen habet παρὰ τὸ τραχὺ τῆς δέρματος, *ab asperitate hirsuta pelli.* Seneca protulit hunc locum Epist. 87. l. 13. *Descripturus infamem & nimiis notabilem deliciis Horatius Flaccus, quid ait? Pastillos Rufus olet. Dares nunc Rufillum, perinde esset, ac si hircum oleret & Gorgonii loco esset, quem idem Horatius Rufillo opposuit*: vbi tamen ter legitur *Rucillus* pro hoc, *Rufillo.*

Instita veste.] Instita est, quod altero nomine dicitur Limbus, sicut constat è vers. 4. Aen.

Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo.

Vbi à Seruio definitur fascia, quæ ambit extremitates vestium: secundùm antiquum morem: item in vers. Aeneid. 2. *insedit, nimbo effulgens*, alii *limbo legunt: est autem pars vestis extrema, quæ instita dicitur* & hic locus profertur, quâ voce vsus est Ovidius lib. 1. de Arte.

Este procul vittæ tenues insignes pudoris,
Quæq; tegis medios instita longa pedes.

Ita volunt Græci τὸ πρόσπελον notari τὸ κρεμάμενον εἰς τὸ πέδον, *ora vestis in terram dependens.* Ita τὸ λῶμα ῥαφὴ εἰς τὸ κατώτερον τοῦ ἱματίου, ἢ ἀνάκλασις τοῦ σύδυματος περὶ πέραν, *quod ima vestis ora assuitur & attexitur vel quasi replicatur circa extremam indumenti oram.* Huiusmodi autem limbi & fimbriæ & stolæ, & pallæ, quæ sunt matronarum vestes, assuebantur. Quod dicit *veste subsuta*, puto idem valere, atque πρόφασμά τι λεπτὸν καὶ πολυτελὲς, *tenuis & exquisitus pannus prætextus*, ex quo texta erat instita: nisi malles ita, quod mihi quidem probatur, mutatâ syntaxi explicare quorum instita subsuta vesti tegat talos: quæ sanè interpretatio quadrabit maximè ad Græcam & Latinam definitionem suprà notatam.

Contrà alius.] Repete à communi, alius nullam velit tetigisse, nisi prostitutam: quod multò Lati-

niùs dicitur, quàm illud C. Suet. in Domitio c. 21. *Ad horam ſomni nihil aliud, quàm ſecretò ſolus deambulabat.* Nam boni Latinitatis auctores ſubtexunt ferè particulam *niſi* his vocibus: *nihil aliud nullum alium*, vt Cic. de Amic. *amare autem nihil aliud eſt, niſi eum ipſum deligere, quem ames, nullâ indigentiâ, nulla vtilitate quaſitâ*, & Liv. 3. ab Vrbe, *nihil aliud actum, niſi vigilatum eſt.* Cic. ap. 10. l. 16. Fam. *ne quid aliud cures hoc tempore, niſi vt quàm commodiſſime conualeſcas.*

Olenti fornice.] Quia *oleo* verbum eſt μέσον iucundi, vel iniucundi odoris, diſtinguitur ſæpiùs odoris genus aduerbiis *benè* aut *malè*, vel aliis: quòd quum minimè ſit, tæter eſt intelligendus, vt hic & 10. Epod. *Ferens olentem Meuium.* *S. antem in fornice* idem valet, quod proſtitutam eſſe, & in Lupanari verſari, vt Juuenalis Sat. 3.

—— *Et ſedeant hic*
Lenonum pueri quocúnque in fornice nati.

Macte virtute.] Hæc phraſis locum præcipuè habet in approbatione facti, laudatione & cohortatione ad incrementum virtutis, quâ dum Cato dicitur hîc abuſus, σατυρικῶς mordetur.] Hoc quidem Græci videntur reddere per verbum optandi, ὄνημι, vt eſt l. 14. c. 6. Agellii ὄναιό σε τούτης τῆς πολυμαθείας, *fruere tuâ iſtâ multiplici doctrinâ*: hoc tamen εἰρωνικῶς interdum obnunciatur in eum, quem εἰς κόρακας ἀπελθεῖν κελεύομεν, *ad coruos abiiſſe iubemus*: ſic hic locus poteſt reddi, ὄναιο τῆς ἀρετῆς, & explicari per τύχοις. vt illud Epigra. ὄναιο τάφου *faxit Deus, vt virtutem & ſepulcrum conſequaris. Mactus* autem Grammaticis videtur per contractionem à *mactatus*, fieri, & hoc à verbo ſacrorum *macto*, id eſt, *magis auctio*: quomodo autem augeſceret victima, ſic docent: priuſquam illam immolarẽt, ſparsâ molâ ac thure & vino eam aſpergebant. Itaque iuuencam & hoſtiam ſic mactam dicebant cumulatam & magis auctam, quod Seru. ita interpretatur in hunc verſ. 641. lib. 9. Aeneid.

Macte nouâ virtute puer ſic itur ad aſtra. i.
magis aucta affectatâ gloriâ, & eſt ſermo tractus à ſacris: quoties enim aut thus aut vinũ ſuper victimam fundebatur, dicebant, mactus eſt taurus vino vel thure, hoc eſt cumulata eſt hoſtia & magis aucta. Nec ferè, *mactus*, vtimur in aliis caſibus, niſi in caſu vocandi, quem tamen nonnulli διὰ τῆς ἀντιπτώσεως poſitum putant pro, *mactus*. Eius autem ſyntaxis eſt duplex. Nam Martial. cum gignendi caſu poſuit l. 12. Epig. 7.

Macte animi, quem rarus habet, morúmq; tuorum,
Quos Numa, quos hilaris poſſet habere Cato.

Sæpiùs cum auferendi caſu reperitur, vt ipſemet:

Macte eſto tædis, o Hymenæe, tuis.

Macte virtute, Cicero, & *bonis* Statius. Varro tamen ſcribit lib. 4. de ling. Lat. magmentum, quod daps erat, quæ à ruſticis Iano, Sylvano, Marti, Iovi Dapali proponebatur, dici à *magu*. Qui autem id Deo pollucebant, *macti* dicebant, vt I. Scaliger annotauit in eum locum, quod ſuperius etymum videtur confirmare.

Sententia Catonis Dia.] Epithetum *Dia* trahit orinem à Δῖος contracto in *dios* productâ penultimâ, vt iam notatum fuit Od. 3. li. 2. ad verb. *ſub Dio moreris*, & ſonat idem, quod θεῖος, σύγενής, σύντιμος, ἢ ἀπὸ Διὸς ἔχων τὸ γένος, id eſt, *diuinus, nobilis, honorabilis, aut ab Joue genus ducens*, & quaſi jouialis, & θεῖος γνώμη ἢ κρίσις σύντιμος.

Tætra libido.] *Tæter* arbitror ex eo conuenire notione cum *fœdus*, quòd vtrúmque reperimus dici de turpitudine & crudelitate. Cic. in Piſonem, *immaniſſimum & fœdiſſimum monſtrum.* & 4. Tuſc. *Tætra & immanis bellua.* Item. *fœdus odor, & tæter odor, & fœdus tætérque ſapor, & tæter ſpiritus*, Od. 11. l. 1. Item *impurè & tætrè facere aliquid* lib. 1. de Divin. Item pro domo ſua, *religionem impuriſſimè, tæterrimèque violare.* Videntur tamen Ciceroni opponi *clarus* & *tæter*, Epiſt. 12. l. 4. fam. *ita vir clariſſimus Marcellus ab homine tæterrimo acerbiſſimâ morte eſt affectus.*

Mirator cunni.] Sic Propert. Eleg. 14. l. 2.

Non ego ſum formæ tantùm mirator honeſtæ.

De hoc Cupiennio nihil præter id, quod hîc dicitur, vſquam reperi: niſi quòd Porphyrioni eſt dictus C. Cupenius vel Cupennius vel Cupiennius Libo Cumanus Auguſti familiaris. Deſcribitur Cunnus à Medicis τὸ μόριον καὶ τὸ ἀιδοῖον γυναικεῖον σὺν τῷ κατωτάτῳ τοῦ ὑπογαστρίου κείμενον. Latinè pecten & aqualiculus dicitur & Græcè το ἐπίσειον, καὶ ἐφήβαιον, πτέις. Hanc autem partem quæ præbet adulteris tundendam, μοιχοτυπὴ Græcè vocatur.

Operæ pretium.] Ita loquutus anteà fuerat Ennius:

Audire eſt operæ pretium procedere rectè,
Qui rem Romanam Latiúmque augeſcere vultis.

Quid autem ſit *operæ pretium*, licet è Donato diſcere. *Hoc*, inquit, *dicitur de mirificis & laudabilibus: quæ etiamſi mala ſunt, tamen miramur & libenter audimus.* Valet igitur idem, quod magni faciendum eſt; quomodo vſurpatur à Liuio in operis præfatione. *facturúſne ſim operæ pretium, ſi à primordio Vrbis res Romanas ſcripſero.* Interdum pro eo, quod fructum affert & vtilitatem, vt hîc. Neque mihi placet opinio Grammaticorum, qui putant id aliquando per Tmeſin enunciari, dum citant illud Plinii: *id vero audire pretium operæ ſit.* Ego verò vbique duas eſſe voces exiſtimo, non iuncturam, quas Græci ſic exprimunt. Platò de Repub. libro ſecundo, Ἐγώγε προσδοκῶ πρόοργον εἶναι εἰς τοῦτο τοῦτο τὸν σκέψιν· *Equidem ſpero hanc diſquiſitionem ad hoc vtilem eſſe*: quod etiam per diſiunctionem aliquando dicitur Ariſtot. libro 6. Metaph. ἔσται γὰρ πρὸ ἔργου πρὸς τὸν παρόντα σκέψιν· *Erit vtile præſenti conſultationi.*

Procedere rectè.] Propria & legitima huius verbi notio eſt in Palæmone.

Parcite oues nimiùm procedere.

Sed cum adverbiis iunctum notat ſucceſſum & eventum. Terent. Act. 5. Sc. 6. Adel. *Meditor eſſe affabilis, & benè procedit.* Cicero l. 12. Epiſt. *Caſio omnia, vt ſpero, proſperè procedent*, & parùm proceſſit.

Mœchis.] De his vide annotationem in Gram. 25. Od. l. 1.

Vt omni parte laborent.] Id eſt, quomodo premantur vndique adulteri, quia ſunt πλεψίνυμφοι, *fures alieni ſponſæ.*

Dedit hic pro corpore.] Id eſt, ne penis & ſcrotum ſibi cultro abſcindantur. Simili multâ Mars condemnatus eſt à cæteris Diis: quòd in adulteriis cum Venere deprehenſus fuiſſet, & vinculis à Vulcano irretitus. Sententia Deorum eſt eiuſmodi Odyſs. θ.

Οὐκ ἀρετᾷ κακὰ ἔργα· κιχάνει τοι βραδὺς ὠκύν,
Ὡς καὶ νῦν Ἡφαιστος ἐὼν βραδὺς εἷλεν Ἄρηα
Ὠκύτατόν περ ἐόντα θεῶν, οἱ Ὀλυμπον ἔχουσι,
Χωλὸς ἐὼν τέχνῃσι· τὸ καὶ μοιχάγρι' ὀφέλλει·

Non rectè (procedunt) mala opera: aſſequitur tardus celerem, vt etiam nunc Vulcanus tardus cepit Martem velociſſimum Deorum, qui cælum tenent, licet claudus ſit, technis: ob id Mars multam adulterii debet: cuius multæ Vulcano ſoluendæ ſe ſponſorem præſtitit Neptunus. Quæ, quia eſt velut captura mœchi per indaginẽ, dicitur μοιχάγρια,

γεια, quę pœna erat adulteri diuitis: alia erat pauperis, vt notatum est in Gram. Od. 25. lib. 1. & vis vocis μοιχὸς ἑτύμως explicata.

Perminxerunt calones.] Id est, militum serui coegerunt hunc pati muliebria, quod Græcè potest dici, γυναικίζεσθαι, quod etiam Martialis dicit, præciderunt & pædicarunt. Flagitium sanè non solùm contra Dei legem, sed etiam contra ipsius naturæ ius & normam fœdissimè admissum. *Calones* autem deflectitur à Græco τὸ κᾶλον, *lignum*: vnde Græcè *calones* dicuntur, καλοφόροι, & à Seruio, qui militibus ligna ferunt, à Festo, qui clauas militum ligneas gestant, Vasconicè, *goujats*.

Accidit, vt cuidam. Donat. in And. Act. 2. Sc. 3. *Intereà aliquid acciderit boni. nota*, inquit, *acciderit etiam pro bono & ab hoc, & apud veteres frequentatum.* Hîc tamen & Epod. 5. vers. *Quid accidit?* de malo successu dicitur.

Testes.] Qui Græci dicuntur οἱ ὄρχεις καὶ πεῖνεοι, vt etiam Latinè Colei, vnde Gallicè per cognationem quandam *couillons*. Hebraicè *beitsim* ab oui forma & haschedoth, id est effusione: sed heschec est scrotum, & testis dicitur etiam Maboſch, cuius pluralis est Mebuschim, à radice Bosch, erubuit, sicut Græcum τὸ αἰδοῖον παρὰ τὸ αἰδεῖσθαι, à verecundendo.

Caudámq.] Intelligit τὸν παυλὸν ἢ τὴν ὀρόβραν ἀνατεταμοῦν καὶ λάγνευν, καὶ πρὸς τὰ ἀφροδίσια καταφερῆ: vtraq; enim vox Græca definitur τὸ τῷ αἰδοίῳ τὸ πρόμμης κοίλωμα, εἰς ὃ σπέρμα καὶ τὸ οὖρον ἀποπέμπεται.

Demeteret ferrum.] Quod Græci dicunt, ὄρχεις τε καὶ τὸ πέος λάγνευν, καὶ ἀφροδισιαστικὸν διαμᾶσθαι καὶ θερίζειν, τοῦτ' ἐστι διακοπτεῖν. Hæc pœna honestè & periphrasticè obiicetur in Eun. Act. 5. Sc. 5. *nunc minatur, porrò sese id, quod mœchis solet*, nempe frater puellæ vitiatæ minatur se factuum, vt virilia mœcho Chæreæ amputentur.

Iure omnes.] Exple sensum. *factum iudicabant.*

Galba.] Hic Seruius Galba fuit & Iurisconsultus & adulter. Itaque quum cauda salax alterius adulteri demeteretur, res ipsius agi quodammodo videbatur, illiusque patrocinium meritò suscipi ab ipso.

In secunda.] Ita primùm populus Romanus in quinque classes fuerat tributus à Seruio Tullio, vt scribit Liuius lib. 1. quas etiam Græci τιμήματα dicunt, πρῶτον, δεύτερον, τέλιον τίμημα, vt diceretur homo primi vel secundi vel tertii census. Ad hunc modum Poeta hîc facit tres ordines mulierum: matronarum vel stolatarum: Libertinarum, vel ancillarum: togatarum: quarum prima indicat matrem familiâs: secunda concubinam patroni, quæ ipsi ministrabat, tertia meretricem, cuius ordinis & nominis vxores repudiatæ propter adulterium fiebant, mutatâ stolâ albâ in albam togam infamiæ caussâ. Romanis autem pœna coniugis adulteratæ videtur fuisse in potestate mariti, qui illam acerbiùs, quàm iuberet lex, sæpiùs exigebat: vnde Iuuenal.

Interdum ille dolor plus, quàm lex vlla dolori,
Concessit: necat hic ferro: secat ille cruentis
Verberibus, quosdam mœchos & mugilis intrat.

Eiusdem quoque ordinis erant prostitutæ, sed distinctæ ab illis togâ pullâ. *Classis* autem siue nauale exercitum, siue nauem notet, inde trahit originem, vnde superius *calones*. Nam Seruius initio 6. Aen. *Maiores*, inquit, *nostri calas dicebant fustes, quos serui militum gestabant, & è quibus vallum & naues fiebant, quum res ferebat*, vnde Lucillius, *scinde calam, vt caleat*, id est, frange fustes, & focum his instrue. Similis est notatio huius vocis lib. 1. Aeneid. ad hunc locum: *Pallásne exurere classem Argiuûm, &c.* vbi inquit Seruius: *Classis dicta est à κάλων: à lignis, vnde & calones dicuntur, qui militibus ligna portant* & καλοπόδια, ligneæ pedum formæ, quibus calceolarii vtuntur. Non tam verisimiliter Fab. Quint. à *calando* notauit.

Qui mœchatur.] Hoc verbum è Græco factum est μοιχεύω, & hoc à μοιχὸς, de cuius etymo repete, quod est annotatum in Od. 25. l. 1. sed hoc interest, quod hoc absolutè & transitivè possit sumi. Lucas c. 16. πᾶς ὁ ἀπολύων τὴν γυναῖκα αὐτοῦ καὶ γαμῶν ἑτέραν, μοιχεύει. *Quisquis relictâ suâ vxore duxeris alteram, adulter est.* Dicitur quidem μετά τινος μοιχεύειν *rem cum aliqua habere*, vel adulterum esse alicuius: sed transitiuè Plato 2. de Rep. τὴν γυναῖκα αὐτοῦ μοιχεύσαντα: id est, *mulieri ipsius stuprum intulisse, vel illum adulterasse.* Mœchor apud Catul. Epidr. 89. ponitur absolutè, *mentula mœchatur*, potest tamen huic addi, *cum aliqua.* De Sallustio repete, quod est annotatum in Oden. 2. lib. 2. ad quod poteris addere, quod Seneca scribit de ipsius stylo Epistol. 115. sub finem. Item quod Agellius lib. 4. cap. 15.

Quares.] In *qua* est perpetua ellipsis *ratione.*

Hoc se amplectitur.] Id est, hac re vnâ sibi placet, vel ob vnum hoc se vehementer amat & miratur, & prædicat beatum.

Amator Originis.] Hæc Origo fuit mima quædam & meretrix tempore Ciceronis, quo etiam floruerunt duo alia nobilia scorta; Cytheris Volumnii liberta, quæ relicto Cornelio Gallo Poeta sequuta est Antonium in castra: qua de re insolabiliter dolentem Gallum Virgil. consolatur Eclog. 10. de ipsius nomine, vbi Cytheris dicitur Lycoris. Tertia meretrix fuit Arbuscula: de qua dicetur Sat. 10.

Fundumq.] De fundo sic Donat. videtur ἐτυμολογεῖν in Eunu. Act. 1. Sc. 1. ad verba: *Quin te in fundo conspicer fodere.* Fundus ab agro continetur, de quo Cic. in quodam ioculari libello:

Fundum Varro vocat, quem possis mittere fundâ
Ni lapis excideret, quà caua funda patet.

An tibi abundè.] Grammatici tradunt, rectè hæc quantitatis adverbia *satis*, *abundanter* ἀσυνδέτως posse geminari: *satis abundè* non item, nisi per copulam: *satis abundéq.*: id factum puto, quia non legerant hunc locum, aut certè non meminerant.

Officit.] Hîc ponitur absolutè, sed Georg. 1. cum dandi casu, *herbæ officiunt frugibus*, vt hîc mox & pro Sexto Roscio geminatur: *Cur mihi te offers ac meis commodis officio simulato officis & obstas?* τὸ *ob* in iunctura ferè valet, *contrà*, vt in *obloquor, obnitor* & similibus.

Rem paris oblimare.] Id est, consumere paterna bona. Qui putant verbum *oblimare* à *lima* deflecti, nonnullâ rationis similitudine ducuntur. Lima enim ad scabra & aspera solet adhiberi, vt illa fiant ad vsus humanos aptiora & pulcriora poliendo, quod dum fit aliquid rei limatæ deterendo deperditur: quamvis alibi vix reperias testimonium Scriptoris Latini ad vim & naturam huius originis. Simplex tamen *limare* pro attenuare & imminuere sumitur Epi. 14. l. 1. *oculo obliquo limare commoda alterius*: vnde posset etymũ retineri. Posses etiam fortasse deflectere à *limo*, vt *oblimo* sit *limo aliquid obduco & repleo, corrumpo, obruo*, quo significandi modo Virg. est vsus in describendis segetum vitiis 1. Georg.

Præsertim incertis si mensibus amnis abundans
Exit & obducto latè tenet omnia limo.

Quod Græce dicitur vno verbo κατιλυοδέντα, qualis eluuies sata & culta corrumpit. Similiter idem in 3.

Georg. in vitiis & impedimentis admiſſuræ, ſed per allegoriam ab agricultura & felici ſemente:

Hæc faciunt, nimio ne luxu obtuſior vſus
Sit genitali aruo, & ſulcos oblimet inertes.

id eſt, ne obeſitas vaccæ εἰλύοι id eſt *obſtruat* orificia uteri, aliòſq; meatus conceptionis. Macilentæ enim boues facilius concipiunt, quam obeſæ, ideòq; pabulũ illis deducunt aliquot diebus ante admiſſurã. Sed de cauſſis τῆς ἀγονίας lege lib. 2. de gene. anim. Ariſt. Hinc *rem oblimare* poteſt bonâ ratione ſignificare *eam perdere, conſumere & obligurire*, vt *rem ſtringere* paullo antè: quod Salluſtius dicit in coniuratione: *poſtremò omnibus modis pecuniam trahunt, vexant: tamen ſummâ libidine diuitias ſuas vincere nequeunt*: pro quib. Teren. & Cice. dicunt: *minas & publicam pecuniam dilapidare, diſpergere & diſsipare*, vt Homer. Odyſs. ξ. κτήματα διαρπάζειν. *bona & facultates deuorare & dilacerare.*

Peccesne.] Rectè Lambinus hîc legit *ne* pro vulgari *ve*, vt ea ſit ſyntaxeωs reſolutio: *Quid intereſt, vbicunque peccès, in matronáne & in ancilla, an in togata?*

In Fauſta.] Titus Annius Milo, qui nomine Langareni videtur hîc appellari, duxerat Fauſtam Syllæ filiam in vxorem. Qui ſubdiſtingũt vocem *Syllæ*, ſupplent dictionem regẽtem *filia*, ut in hac Elliptica Terent. ſententia: *ad Dianæ venit.* templum. Vt etiã Græcè εἰς ἄδου κατῆλθε, οἶκον ὁπωρ. Qui verò ſubdiſtinguunt *Fauſta*, καταχρηστικῶς intelligunt *generum Syllæ* pro *Stupratore Fauſtæ.*

Hoc nomine.] Id eſt, *Fauſtæ*, vnde tanquam ex omine fauſto, ſperabat ſe facilius re cupitâ potiturum Villius: ſed deceptus dedit pœnas tentati ſtupri.

Si mutonu.] Hac voce primus dicitur Lucillius vſus li. 8. pro mentula genitali & ſalaci caudâ.

Læſo iam lacrymas mutoni abſterget amica.

Velatumq; ſtolâ.] Hæc vox è fonte Græco manauit, dicta παρὰ τὸ στέλλειν ὅπερ ἐστὶν ὑμόνου τὸ πέμπειν, ἢ καταπυνάζειν, ἀλλὰ καὶ τὸ κοσμεῖν, *quod eſt non mittere ſolũ*, vt ſæpius ſolet, *nec inſtruere, ſed etiã ornare & veſtire*: vt Lucianus ἐσταλμένες τοῖς ὀθόναις, *amictus amiculis ſubtilibus*, ſicut Cicero loquitur 2. de Diuin. idque ſimili polyptoto. Hinc Plato de legib. ἐσταλμένοι στολῇ *exornata veſtitu.* Fuit autem veſtis genus talare & barbarũ, id eſt Medicum, vt ex 8. pæd. Xenophon. conſtat. τότε Πέρσαι πρῶτον Μηδικὴν στολὴν ἐνέδυσαν. *Tunc primum Perſæ Medicum cultum induerunt.* Ibidem: ἐχρῶντο τῇ Μήδων στολῇ καὶ ἁβρότητι *vtebantur amictu Medorum ac deliciis*, tam viri, quam fœminæ: ſed apud Latinos mulieres tantum, niſi fortè probri loco dicatur vir aliquis vti ſtolâ, ſicut à Cicerone Anton 2. Phil. *ſumſiſti virilem, quam ſtatim muliebrem ſtolam reddidiſti*: quæ ſe Curioni turpiter proſtituerat. *Nemo vnquam*, obiicit, *puer emtus libidinis cauſſa tàm fuit in Domine poteſtate, quàm tu in Curionis. Non ſe ita Vlyſſes ſtolauit*, dicitur à Suetonio in Caligula cap. 23. *Sed quod Liuia Auguſta Caligulæ proauia propter ſummam ingenii calliditatem ab ipſo pronepote Vlyſſes ſtolatus appellaretur.* Habuit autem hoc genus indumenti τὰς στολίδας καὶ ἐπιπτυχὰς, i. *rugas & plicas*, quas Plinius ſcribit Chæremonem in veniſſe, vnde Plautus in Caſina. *vide palliolum, vt rugat.* & Martialis:

Rugoſiorem quum ſtolâ geras frontem,
Et aranearum caſſibus pares mammas.

Locus eſt ſub finem lib. 3. in quandam Vetuſtinam, quæ ætate decrepitâ quærebat maritum.

Diues opis natura.] Si illam ſequaris ducem, &, quæ tibi ſuppeditabit, rectè diſpenſes, diſponas & adminiſtres, facilẽ tibi monſtrabit viam, vt illi ſatisfacias.

Tuo vitio rerùm ne labores.] Villius. quod Venerẽ ſupervacaneam conſectarotur & faſtidiret in promtu poſitam, vt parum ornatam & ſplendidam, ſuo vitio laborabat: quod autẽ Venus neceſſaria ipſi deeſſet, vitio rerum laborabat.

Nec magis.] Structura verborum eſt: *Nec magis crus aut femur eſt tenerum huic ſtolatæ & matronæ nobili, quàm togatæ, quaſillariæq;, & huic ſæpè melius ſit.*

Licet hoc.] Nempe conſectari gemmatas & ſplendidè ornatas conueniat Cerintho, qui hac pulcritudine ornatus iam captus ſit. Poſſet hic locus etiam exponi, vt *licet* ſit verbum: *Per me tibi licet ô Cerinthe ſectari pulcrè ornatas*, nedum per diſcretivas conuinctiones, *quamuis & licet*, &c. Qui autem *tuum* referunt ad *femur.* videntur notare Cerinthum fuiſſe cinædũ; ſed malo intelligere de amatore matronarum, quarum hic Cerinthus quibuſdam fuit cupidus amator, vnionibus, ſmaragdis & gemmis collucentium: aliis verò eſt poſtibulum & ſcortum formoſum, vel puer cinædus ſic, vt fæmina, ornatus: cuius, aut certè alterius eodem nomine vocati, meminit Tibul. li. 4.

Eſt ne tibi, Cerinthe tuæ placiture puellæ,
Qui mea nunc vexat corpora feſſa calor? δήλως καὶ διαῤῥήδην ἐπιδείκνυσι. *Clarè & apertè oſtendit.*

Quærit.] Ante hoc verbum à præcedenti repete, *nec togata quærit, quo*, &c.

Regibus hic.] Xenophon in libello περὶ τῆς ἱππικῆς dat hoc conſilium: πρῶτον δὲ γράψομεν ὡς κοῦτις ἥκιστα ἐξαπατῷ τὸ σὺν ἱππωνείᾳ. Πρῶτον μὲν τοὺς ὄνυχας σκοπῶν. Οἱ γὰρ παχεῖς πολὺ τῶν λεπτῶν διαφέρουσιν εἰς εὐποδίαν: *primùm quidem ſcribemus, quomodo quis minimè in fraudem inducatur, quum mercabitur equos. In primis perpendat vngulas pedũ: craſſæ enim longè præſtant tenuibus, ad bonitatem & firmitatem pedũ*, &c. vnde diſces, cur ab hac ima parte iudicium ſit inſtituendum contra mollitiem illius.

Opertos.] Quia pluribus in libris hæc vox legitur, quàm *apertos*, & ſenſus obſcurior videtur, malo illam ſubſtruere verbo *mercantur*, & ſubdiſtinguere: quod rectè à Cruquio ſubnotatum fuit: ſententia tamen eſt clarior è lectione, *apertos inſpiciunt.*

Equos mercantur.] Hoc verbum mutuati ſunt Latini ab Hebræo *Marcar, venaidit, & emit*, & Gallicum Iudæi commorati Lenonem Maquerellum vocant.

Facies decora.] Hinc perſpicimus, opinionem Plinii valdè infirmam, qui l. 11. c. 37. ſcribit faciem tribui tãtùm homini, cæteris os aut roſtra: quem errorẽ prudenter animaduertit Agellus li. 13. Cap. 28. *Quidam*, inquit, *faciem eſſe tantùm hominis putant, os & oculos, & genas, quod Græci τὸ πρόσωπον dicunt, quando facies ſit forma omnis & factura quædam totius corporis* (Gall. *apparence & ſtature*) *à faciendo dicta, vt ab aſpectu ſpecies, à fingendo figura. Non ſolùm autem in hominum corporibus, ſed etiam rerum cuiuſq; modi aliarum facies dicitur. Nam montis ac cæli, mariſq; facies, ſi tempeſtiuè dicatur, probè dicitur.*

Emtorem.] i. Cupiditate habendi equi, moro piſcis hiantis hamo, captũ pulcritudine capitis ac cluniũ.

Clunes.] Quas Græci vocant γλουτοὺς καὶ πυγάς, vnde καλλίπυγος ἵππος, cuius pleniorem vide deſcriptionẽ lib. 1. Oppiani, ac præcipuè admiſſarii pecori equino futuri, 3. Georg. vbi pro *breve caput* dicitur *argutum caput*, quod Servius interpretatur per hoc Horatii: vide & apud Xenoph. modò citatum. Pro *pulcræ clunes* Iuuen. Sat. 11. dicit in maſc.

Ad terram tremulo deſcendunt clune puellæ.

quam vocem Iſidorus declinat ab eo, quòd propè ſit inteſtinum, κῶλον, medium inter rectum & cæcum, vt alibi notauimus.

Hoc illi.] Ellipſis eſt verbi, *reges rectè faciunt.*

Lynceis oculis.] Lynceus Apharei filius & Idæ frater creditur nomen repetiſſe à fera Lynce, quadrupede

varie

drupede varia & maculosa, & oculatissima omnium quadrupedum, vt Aristot. Oppian, Cyneg. l. 2. Plin. l. 28. c. 8. scribunt. Nam ὁ ἡ ἡ λύγξ gignit τὸ καὶ τῆς λυγκὸς, vnde λυγκὸς, *homo incredibili oculorum acie*, ὃς διὰ δρυὸς ὁρᾷ, *qui quercum visu penetraret.* Hinc etiam λυγκοῦν βλέπειν, *perspicacissimè cernere* in βατραχομ. Homeri. Item Aristoph. in Pluto, βλέπουσ' ἀποδείξω σ' ὀξύτερον τῆς λυγκέως, *ostendam te acutiùs Lynceo videre.* Præterea Lucia. Dialog. Hermotinus, σὺ δ' ὥσπερ τὸν λυγκέα ἡμῖν δέδορκας, Gallia. *Quant toi, tu nous as une veuë, qui surpasse celle de Lynceus.* Hunc Varro scribit centum triginta millia passuum prospexisse, vt classem Punicam portu Carthaginis solventem numero ex Libytana specula notaret. Hinc quoque adiectiuum Lynceus, quo vtitur Cicero lib. 9. ad Varronem: *Quis est tam Lynceus, qui in tantis tenebris nihil offendat?*

Hypsæâ.] Non satis constat, quænam fuerit hæc Hypsæa. Quòd autem sit Plautia, vt Hypsæus est cognomen Plautii e 40. lib. Dionis, nihilo est planius. Facilis tamen est coniectura ex instituto Satyræ, famosam quandam fuisse mulierem τυχοῦσαν τῆς τυφλώσεως ἀπὸ νοσήματός τινος δυσπλεξίας ἀκρᾶς τε τῆς γενομένης, *cui hæc cæcitas illata est ex morbo aliquo infami ac turpi*, alioqui non esset vitio danda, nec morsui Satyrici dentis subiicienda. Qualiscúnq; autem fuerit, cæcitas illius abiit in proverbium, *Hypsæâ cæcior*, in eum, qui imbecillitate mentis & iudicii inopiâ laborat.

Ocrus.] Seneca Epist. 33. ad Lucillum non dissimili huic vtitur argumento in dignoscendis hominum ingeniis ac dijudicandis: *Depone istam spem*, ait, *posse te summatim degustare ingenia maximarũ virorum. Tota tibi inspicienda sunt, tota tractanda. Non est formosa mulier, cuius crus laudatur, aut brachium, sed illa, cuius vniuersa facies admirationem singulis partibus attulit.* Hinc cognosce Senecam rectè vsum ac propriè vocabulo, *facies*, prout Aegell. docuit antè li. 15. c. 28.

Depygis.] Grammatici variè notant hanc vocem Modò enim dicunt particulam *de* in hac iunctura vim habere augendi, modò privandi, ac vtramque in vitio esse æquali. Non equidem in hac æqualitate vitii possum illis assentiri, quòd quum homo duobus tantùm pedibus, tanquam columnis fulciatur, illi certè sessione subinde opus est, non perinde quadrupedibus: quippe quæ, dum stant, semistratæ videntur ideóque diutissimè in sua statione possunt permanere. Ergo ad molem corporis humani commodiùs sustinendam, natura, vel potiùs Deus ipsius auctor, fecit partim nates hominis, πυγὰς παχυτέρας καὶ σύσαρκοτέρας τῶν ἄλλων μέρων, *torosiores & carnosiores aliis partibus*: vnde πυγὴ videtur mihi dici παρὰ τὴν πυκνότητα, *à crassitie densa & exuberante*: partim etiam sic easdem conglobauit, tam ad obtegandum anum expurgandæ fæci ventris caudæ loco destinatum, quàm ad molem corporis, molli velut pulvillo excipiendam, ne Trochanter exterior femoris nimium pressus pondere doleat: adde, quòd nates etiam dictæ sunt ab innittendo. Itaque non possunt nates nimiùm turgere homini ad hoc vtrùmque munus probè conficiendum. Huc adde, quòd inde nomen τῶν ἐφεδράνων καὶ καθισμάτων καὶ τῆς κάλλους nactæ sint. Etsi autem ipsis damus τὸ *de* vim habere vtrámque in coniungendis vocabulis, non est hìc tamen illi locus: contrà potiùs videtur hæc particula valere in hac voce coniuncta idem, quod in *deformis*. Nec putandum est illam esse conflatam ex vna parte Latina & altera Græca, more cuiusdam hybridæ. Sed ex πυγὴ factum priùs esse *puga* vel *puge* Latinum, quod vides hìc ad finem: vnde posteà conflatur depygis (sicut à forma deformis) quod interpretamur ἀπόγλυτον, exilitate natium laborantem, id est, molli illo puluio destitutum: γλυτὸς enim dicitur παρὰ τὸ γλοιὸν, *à teneritate & mollitie.* Dicitur etiam ab Aristophane, cui sunt graciles & macilentæ & depressæ nates, ἰσχνόλιαπος καὶ λιαπόπυγος: contrà cui sunt pulcræ & toroſæ, εὐπυγος, καὶ καλλίπυγος Ἀφροδίτη, *Venus callipyga*, pulcras nates habens de qua lege fin. l. 11. Athen. & historiam duarum sororum de pulcritudine natium inter se contendentium. Dicitur etiam Hesiodo in oper. & diebus. γυνὴ πυγόστολος, *quæ nates exornat*, pro meretrice.

Ex hoc etiam genere iunctura est μελάμπυγος, vnde prouerbium μὴ τῷ μελαμπύγῳ περιτύχοις, ne in Melampygum incidas, id est, caue, ne tui maleficii vindicem & vltorem reperias.

Nasuta.] Commendatur in puella nasus iustæ proportionis, quæ Græcè dicitur εὐθὺ ὑῤῥινῆ εὐθύῤῥις, μικροῤῥιν δὲ ἢ μικρόῤῥιν ψέγεται ὡς πολυῤῥόῤῥιν, *sed quæ est naso prælongo, vel perbreui vituperatur, vt quæ est præciso & mutilato.* Catullus sic ostendit, amicam Formiani nec pulcram nec venustam esse, dum remouet aliquot partes efficientes venustatis, vt concludat, totam puellam minimè formosam esse.

Salue nec minimo puella naso,
Nec bello pede, nec nigris ocellis,
Nec longis digitis, nec ore sicco,
Nec sanè nimis elegante linguâ,
Decoctoris amica Formiani.
Ten' prouincia narrat esse bellam?
Tecum Lesbia nostra comparatur?
O seclum insipiens & inficetum!

Pede longo.] Pro hoc Virg. dixit in Moreto de Scubale muliere rustica:

Cruribus exilis spatiosâ prodiga plantâ.

In Physiognomicis Aristotelis pes longus & latus præ se fert robur, vt breuis mollitiem, ideóque ille in viris, hic in mulieribus laudatior est. Sic Ouidius breuitatem pedis in puellis:

Pes erat exiguus, pedis hæc aptissima forma.

Cernere, &c.] Si hoc verbum à Græco κέκνειν fluxit, vestes matronæ ad talos defluentes iudicium spectantium impedierunt de forma crurum & pedum. Sed Varro illud deduci à *creare* tradit. Prius etymum videtur præstare. Sunt enim sensus mentis ministri.

Ni Catia.] Hanc Catiam ferunt eò impudicitiæ & libidinis progressam, vt in templo Veneris Pompeiani Theatri obducto velo commiserit adulterium cum Valerio quodam & Siculo colono.

Si interdicta.] Concubitus matronalis lege prohibitus erat, multisque periculis ac difficultatibus opportunus: vnde amator vtitur insaniori libidine, quæ solet illum furiare, vt loquitur Poeta Ode 25. lib. 1.

Vallo.] Ratio huius vocis exposita est Epod. 9. ad verba, *Romanus fert miles vallum*, vbi propriè sumitur, sed hic translatè.

Lectica.] Græcè potest dici τὸ φορεῖον. In hoc tamen Appiani loco ἐς φορεῖον ἐνθέμενοι τὸν Κικερῶνα, αὖθις ἐπὶ τὴν θάλασσαν ἤγον, *vbi Ciceronem in vehiculum indiderunt, iterum ad mare duxerunt*, sic vertitur, Quod equis vel mulis trahebatur. Sed magis hic convenit τὸ ἐξάφορον, quod Martial. coniunxit cum nostra lectica lib. 6. Epigrammate in quendam Afrum, quem grauiter reprehendit, quòd quum pauper, iuuenis & fortis esset, tamen à sex lecticariis servis gestari se curaret;

qualis gestatio solos divites, senes & imbecillos decebat. Satis erit postremum Epigrammatis distichon apponere,

Invidiosa tibi quam sit lectica, requiris?
Non debes ferri mortuus hexaphoro.

Ita quoque Cic. 7. ad M. Marium 1. Ep. *Tu modo istam imbecillitatem valetudinis tuæ sustenta & tuere, vt facis: vt nostras villas obire, & mecum simul lecticula circumcursare possis.*

Cinisiones.] Definiuntur ministri à calamistris mulierum, *βοστρυχόπλοκοι, capillorum conciinnatores, capillaturæ structores*, & quid non? qui possent, si innovare liceret, ad formam *φυσίγνατος*, dici vno verbo Græcè *φυσίασοδοι*, à sufflandis cineribus, *πρὸς τὸ θερμαίνειν τὰς καλαμίδας, καὶ τὰ καλλωπίσματα, ad calefaciendum calamistrum, comæ crispandæ gratia.* Seru. Aeneid. 12.

Caniciem immundo perfusam puluere turpans.

citat hunc locum ad quandam cineris distinctionem, *bene immundo addidit: quia etiam puluis ille quo vtuntur puellæ, cinis vocatur*: non equidem video magnam hic Seruio fuisse caussam citandi nostrum Poetam, quum in crispandis puellarum capillis non alius fuerit cineris vsus, nisi ad calamistrum moderatè calefaciendum.

Parasitæ.] E. Græco deflexa est hæc vox, idem ferè significans quod *ὁμόσιτος, καὶ ὁμοτράπεζος, conuictor*: qui cibum cum altero sumit, vel certe non procul ab eo, quales fuerunt initio ii, qui parte aliqua victimæ cum sacrificis vescebantur: sed postea ad assentationem eruditi cœperunt dici *κόλακες*, quorum ingeniũ disce ab Eupoli apud Atheneum l. 6. & à Terent. in Eun. Act. 2. Sc. 2. vnde duo Parasitorum genera, idque maxime ex hoc versu cognosces, *At ego infelix, neq; ridiculus esse, neq; plagos pati possum.*

Prius quidem dici Ridiculum, *γελωτοποιὸν*, quod facetiis, iocularibusque dictis risum conuiuis moueret, atque inde victum quæritaret, qualem legimus fuisse in Captiuis Plaut. ad Scen. *Miser homo est* &c. qualem etiam in conuiuio Xenophontis Philippum cuius verba sunt, *πρόσθεν μὲν γὰρ τοῦδε ἕνεκα ἐκαλούμην ἐπὶ τὰ δεῖπνα, ἵνα εὐφραίνοιντο οἱ συνόντες δι' ἐμὲ γελῶντες, antea huius rei gratia ad cõuiuia vocabar vt sodalitas risu per me quateretur.* Alterum genus Parasitorum fuisse flagrionum & plagi patidarum, qui mercede patiebantur flagris cædi.

Palla.] Definitur *ἱμάτιον γυναικεῖον, vestis muliebris* huic Poetæ honesta, quæ est velut tunicæ pallium, & sic dicta, quòd palam & foris extet ad vestigia vsque demissa, ait Varro: quod Seruius confirmat in vers. li. 11. Aeneid.

Pro crinali auro prælonga tegmine palla.

Palla, inquit, *propriè est muliebris vestis deducta vsque ad vestigia, vnde longa hic vocatur.* Alii tamen malunt flectere *παρὰ τὸ πάλλεσθαι, à quatiendo*, quod facilè, vt comæ humeris involitantes & pennæ pileis quatiatur & iactetur aura. E tertia tamen Philippica Ciceronis discimus etiam fuisse breve vestimentum viri, ad hunc locum: *nempe ille, qui eum palla*, &c. maximeque ex hoc versu Martial. l. 1. Ep. 93.

Dimidiasque nates Gallica palla tegit. = /. Mamurra

Vnde suspicor Gallicum *Palletoc* vetus fluxisse, quasi diceres pallæ tegmen.

Alteranil.] Vestes Coæ vel Cææ videntur intelligendæ hic Bombycinæ è li. 7. cap. 15. Pollucis: quæ confici è verme, vt Sericæ ex lana, si ita loqui licet, arborum, consueuerunt, sicut annotatum fuit Ode 12. lib. 1. Byssus autem, vt linum, è terra nasci solet: vnde vestes Bysinæ. Senec. l. 7. cap. 9. de Benef. in huiusmodi tenerrimam vestium subtilitatem invehitur: *Video sericas vestes, si vestes vocandæ sunt, in quibus nihil, quo defendi aut corpus, aut pudor denique possit: quibus sumtis mulier parùm liquidò nudam se non esse iurabit. Hæc ingenti summa ab ignotis etiam ad commercium accersuntur, vt matrona nostra ne adulteris quidem plus sui in cubiculo, quàm in publico ostendant.* Sensus est igitur altera mulier rogata & prostituta per Coas vestes, pellucidas & subtiles facile cognosci potest, quo habitu, qua forma & colore prædita sit. Itaque *Cois* auferendi casus est, significans caussam per quam, & in eo substantiuum, *vestibus* intelligendum: quod ita Tibull. expressit de Bombycina:

Ille gerat vestes tenues, quas fœmina Coa
Texuit, auratas disposuitque vias.

Hęc vestis tam subtilis texturæ non dissimilis videtur fuisse his, quas crepas vocamus, de quibus sic Martialis.

Fœmineum lucet super bombycina corpus.

Item Propert. lib. 1. Eleg. 2.

Quid iuuit tenues (Coa) veste mouere sinus?

quæ ab insula *Coos*, vel *Cæos* de qua Epod. 12. dictæ sunt, quod illic texerentur è filo subtilissimo, tenuissimo ac delicatissimo, vt instar vitri pellucerent, atque ita corporis partes sub aspectum facile subiicerent: eamque ob rem à Varrone vocantur togæ vitreæ, id est, occulatæ vel ocellatæ, à Græcis *τριβώνιαι πολύθυραι*: vnde Carion in Pluto Aristoph. ait se vidisse *διὰ τοῦ τριβωνίου*, per lacernulam detritam & vitream quod ideo Suidas *διαφανὲς χιτώνιον, τοῦτ' ἐστὶ τὸ ἰσχνὸν καὶ σύδλιοπλον, δι' οὗ διαφαίνεται σώματα τῶν γυναικῶν*, *tunicula interlucentem, & visa facile penetrabilem*, quale etiam fuit Græcis *τὸ σείριον*, per quod corpus mulieris perinde transparet & translucet acsi nuda esset: quod quam dedecuerit olim mulieres vel Barbaras & Ethnicas, Herodotus initio Clionis docet: vbi Candaules dicitur venustate vxoris suæ adeò captus, vt omnium fœminarum formosissimam vni è satellitibus suis nomine Gygi illam sæpe prædicarit: atque tantisper id fecerit, dum illum impulerit, quamuis inuitum, ad eam clanculum inspiciendam, sicut hæc vehemens ipsius exclamatio indicat. *Quem nam inquit Here, sermonem profers haud quaquam sanum, qui me iubeas inspicere Heram meam nudam? Mulier exutâ tunicâ pariter & verecundiam exuit.* Illam furtim tandem Gygi spectandam præbuit: quod vbi resciuit vxor, factum suasore ac impulsore marito, non conquieuit, donec eundem satellitem dira comminatione vitæ amittendæ impulerit ad iniuriam pudicitiæ tali spectaculo, velut prostitutæ, vlciscendum cæde facta mariti dexterâ Gygis. reliquum Historiæ ibidem legatur plenius. Tale fortassis integumentum fuit *θέριστρον* Septuaginta interpretum, quod alii interpretantur *τὸν πέπλον* ex Hebræo Tahhiph, quo Tamar se operuit, & meretricem simulauit ad Socerum suum fallendum Genes. Cap. 28. Prius D. Hieronymus in Esaiam interpretatur palliolum, quo Rebecca obuoluta est Genes. 24. & mulieres Arabicæ ac Mesopotamicæ etiam hodie teguntur præsertim æstate: quam ipsum nomen apertè præ se fert, sicut *θέριστον* Hesychius definit *λεπτὸν ὕφασμα, θερινὸν ἱμάτιον*, id est, *æstiuũ textura pertenuis palliolum*: quo velut matronæ Rebecæ & similibus vsitato se Tamar induit, exuto viduitatis integumento: denique vestis eadem est cum Bombycina, quæ e verme, vt Serica ex arborum lana, & Byssina è lino, vt notæ in oden 12. lib. 1. Iam indicarunt, conficiebatur. Huiusmodi ornamenta Esaias cap. 3. dicit esse impudicarum mulierum, *Tempore illo amouebit*

amouebit Dominus ornamentum istud periscelidum ocellatáque opera & lunulas. De Bombyce Coa lege Plin.l.11.c. 23. vnde vestes texebantur pertenues, *quas non puduit etiam viros vsurpare, leuitatem propter æstuamam tantum a lorica gerenda discessere mores, vt oneri sint etiam vestes.*

Insidias fieri.] Gall. *aimez vous mieux qu'on vous trompe cautelleusement en vous demandans le patement deuant que vous monstrer la marchandise?*

Alta in niue.] Id est, multa & profunda. Syntaxis autem verborum & sententia est: *Amator matronæ cantat, quomodo venator sectetur libenter leporem per niues, & nolit capere primum quemq; adhuc torpentem, vel in catino appositum tangere.* Deinde idem amator adiungit priori cantilenæ hanc: *Sic ego consector mulieres expugnatu difficiles.* Xilander autem rectè hîc castigauit Lambinũ, & exemplis confutauit: vt Od. 7. l 3. *Referi, vt mulier impulerit*: phrasin esse vsitatam, Virgil. Eclog. 6.

Namq; canebat, vti coacta semina, &c.

deinde ibidem:

---vt tener mundi concreuerit orbis.

ac sæpiùs deinceps: quibus ego adscribo, nihil dici posse aptius characteri Horatij, qui Hellenismis gaudet. Sic enim Apoll. lib. 1 Argon. de Orpheo:

Ἠείδεν δ' ὡς γαῖα, καὶ οὐρανὸς, ἠδὲ θάλασσα
Νείκεος ἐξ ὁλοοῖο διέκριθον.

Atque canebat Orpheus, *vt terra, & cælum & mare distincta essent ex perniciosa* elementorum *discordia.* Item *appono* pro *addo* est Od. 9. lib. 1. & 5. lib 2.

Positum sic.] Particula *sic* ἀειπτωτῶς refertur ad facilem adeptionem prostitutæ, quam amator dicit sibi non placere, vt solet venator feram nullo labore oblatam & appositam fastidire.

Natura modum.] Id est, *temperantiam & moderationẽ*: hæc enim pro illa vsurpatur a Cicerone lib. 1. de Off. & adhibetur in eiusdem definitione lib. 2. de Fin. & 3. Tusc. Nomine autem modi, vt temperantiæ significatur Aristoteli, cæterisque Philosophis perfecta virtus, quâ indomitas nimisque animo exsultantes libidines præcipiunt cohiberi & regi. Huius vocis veriloquium repete e notis Grammat. in Od. 16. lib. 1.

Plus prodest.] Expleuimus in Dialecticis ellipsin apodoseωs comparatæ, *quàm infinitas & inanes cupiditates consectari.*

Inane abscindere solido.] Id est, resecare superuacaneã, & minùs necessariam cupiditatem ab ea, quæ plena, solida, parabilis & necessaria est, qualis est esurienti panis ater & secundarius, suilla, bubula, & sitienti vinum cibarium. Inane autem minusque necessarium est vtrique appetere panem primarium, perdices, Indicas gallinas & vinum Græcum, vt inane sit, quo quisque possit carere: solidum, cuius, vt rei pernecessariæ, desiderio identidem tenemur. Donatus ita in Andr. Act. 4. Sc. 1. solidum gaudium interpretatur plenum, idoneum, integrum: & in Eunucho Act. 2. Sc. idẽ annotat *corpus solidum dici, quia non est vitiosum. Soldo* per syncopen dicitur pro *solido*, & naturæ congruente.

Pauonem.] Hæc auis Græcè dicitur τάως παρὰ τὴν τῶν πτερῶν τάσιν, *quòd alas expandat*: de quo sic Ouid. 1. de Arte:

Laudatas ostentat auis Iunonia pennas.
Si tacitus spectes, illa recondit opes.

Rhombumq;.] De hoc pisce, Gallicè, *Turbat*, dictum est 2. Epodis.

Est prastò.] Hæc vox est Grammaticis ἀπαξ, ac ferè cum verbo *sum* conuenit, atque tum ex notis Donati in Heauton. Act. 1. Sc 1. in fine idem est, quod adesse, nec aliter verbo ferè cohæret, nisi verbo subst. huicq; simplici: nam *prastò adsum*, magis est Poeticum. Ita Plautus in Epid. *tu quidem quod ames, domi prastò est. Verna puer est periphrasis* τοῦ παραπόγωνος καὶ κινάδου i. *pædiconis & rauci*: *rumpi autem temigine*, Græcè dixeris, ὑπὸ τῆς σωφάσεως καὶ σωφροσύνας, δηλονότι, τῆς κόλπου, διαῤῥηγνυσθαι, vel sine præpositione, vt hic Latinè.

Non ego.] Hîc supplendum est, *non ego Horatius volo tentigine rumpi, sed præsenti frui Venere*: quàm Græci dicunt, vt cætera in medio posita, τὸν σύνεγγυς καὶ σύνοντα. Seneca coniunxit sic hæc duo lib. de tranquillitate animi, *placet cibus parabilis, faciliq;*: vel supple, non ego consector illam, quæ solet remittere amatorem, dicens, *paulò post*, quales meretricæ matronæ mores Horatius hîc exprimit, tales Ouidius præscribit lib. 3. de arte, puellis difficiles erga amatores,

Sed neq; te facilem iuueni promitte roganti,
Nec tamen edurè, quod petit ille, nega.
Fac timeat, sperets; simul, quotiesq; remittes,
Spes magis huic veniet certa, minorq; metus.

Hanc Philod.] Explenda quoque hîc Ellipsis quædam, *Philodemus ait, hanc tam caram Gallis dandam & relinquendam, atque sibi eam, quæ neq; magno*, &c. De Philodemo autem satis constat ex Orat. Cicer. in Pison & e 2. de Finib. bon. & mal. quomodo fuerit Epicureus & Poeta L. Pisonis familiaris. Itaque præstat sic accipere, quàm, vt nonnulli putant disiunctè intelligendum, *O Philo, demus hanc mulierem nimis caram ac difficilem Gallis Cybeles sacerdotibus, qui, quia sunt eunuchi, facilius patiantur illius cunctationem.* Non dissimilem Martialis relinquebat Crasso Burdigallo, homini diuiti, in Epigr. 33. lib. 9. cuius initium est, *Hanc volo*, &c. vbi Domitius interpretatur τὸ *Burdigalli*, quasi *Galli stulti*, fortassis a *Bardus*, per metathesin prioris syllabæ a voce Græca βραδὺς facto: Ταύτην δὲ βραδύτητα, καὶ γλιχρότητα, multis iamprídem periculis compertum est apud omnes, neque ingenio, neque corpori huius gentis, quæ plurimùm valet vtroque in omni negotio ad illud acerrimè, promtissimè ac vehemẽtissimè agendum, posse vllo modo conuenire. De quo si vis præterea multò certior fieri, lege confutationem talis veri verbij in commentarijs Eliæ Vineti, viri probi, ac docti in vrbes Ausonij.

Hactenus.] Hæc vox propriè dicitur de re, loco ac termino, deque continuatione rei affectæ, nunquam de tempore, vt falsò multi putant, cuius quandam cõtinuationem adsignificat τὸ *adhuc*, vt præmonitum iam est Ode 10. lib. 4. Sententia igitur hîc est: Ea mulier, quam exopto, ad hunc vsque honesti terminum sit munda, vt neque velit, &c. qualem sententiam Cicero videtur sic exprimere Epist. 4. lib. 4. ad Famil. *Accipio excusationem tuam ex ea parte, quatenus aut negligentiâ, aut improbitate eorum, qui epistolas accipiant, fieri scribis, ne ad nos perferantur*: vbi τὰ ἐκ τῆς parte, valent, *eatenus* vel *hactenus.* Hoc igitur Ciceronis more pronuncietur sententia Horatij: Mulier ex ea parte vel eatenus sit candida rectaque, quatenus neque longa, nec magis alba velit, quam det natura, videri. Ita Cicero lib. 1. de Diuinatione subnectit τῷ *Hactenus* τὸ μέχρι, *vt*: *Qui hactenus aliquid egit, vt earum rationem rerum explicaret, quæ mari cœloq; fierent*: qualem quidem mundiciem corporis naturalem Ischomachus in Oeconomica Xenophontis probauit in vxore sua: *Repudiatis*, inquit, *crepidis, ad augendam corporis staturam, Cerussâ ad malas candefaciendas, Anchusâ ad inducendũ ijsdem rubórem*, &c. reliqua vide ad verba, Ἐγὼ δὲ ταῦτα ἔφη ἰδὼν.

Hæc vbi.] Quomodo animalia concumbant, idque intemperantissimè omnium homines faciant, vide Plin. lib. 10. cap. 63. De bestiarum autem coitu sic Virg. lib. 2. Georg. vers. 329.

Et Venerem certis repetunt armenta diebus.

quod videtur sumptum e lib. 5. Arist. histor. animal. ὧραι δὲ καὶ ἡλικίαι ἑκάστοις τῶν ἐχείας εἰσὶν ὡρισμένοι τῶν ζώων, *tempora & ætates*, Gallicè, *saisons, sunt cuiq; animantium ad admissuram definita & stata*, hominibus nulla. Ideoq; Græcè vocantur φίλοιφροι, minusque naturam sequentes, quàm bestiæ, vt videre licet lib. Plutarch. περὶ τῶν εἰς ἐγκράτειαν φιλοσοφίας.

Ilia.] De hac lege Gramm. in Oden 2. lib. 1.

Aegeria.] Αἰγερία. De hac quoque vide lib. 1. Tit. Liu. vnde disces Numam Pompil. cum illa Nympha cungressum & collocutum accepisse rationem sacrorum, quæ Romæ posteà instituit. De eadem quoque lege 15. Metamorph. & 3. Fast.

Illa Numæ coniunx, consiliumq; fuit.

Simili commento vsus est impostor ille Mahumetes sectarius ad persuadendum impiè miseris Turcis, suũ Alcoranum sibi ab angelo Gabriele dictatum. Non minùs est insana religio Anabaptistarum, qui suis cõmentis quotidianas Dei patris apocalypses prætexere solent.

Resonet.] Hoc Græci efferunt per verba κοναβεῖν ἢ κοναβίζειν, ὡς κόναβος ἐστὶν ἦχος τῶν σωμάτων ξυρῶν, *sonitum edere ac strepitum, qualis est sonitus & fragor durorum corporum.*

Recurvat.] Ἀσυνδέτως & dissolutum.

Vel pallida.] Melius hic coniunctè legeretur *vepallida*, pro *valdè pallida*, vt *vegrandis* & *vehemens*, vbi τὸ ve est ἐπιτατικόν. Interdum in simili iunctura est σωρευτικόν, vt *vesanus* & *vecors, insanus* & *amens.*

Conscia.] Ancilla herilis culpæ conscia metuit cruribus suis, ne vinciantur.

Egomet.] Id est, *ego amator metuam mihi.* Hic autem amator iam suo vitio videtur superiori libertate abdicatus. Modò enim dixerat, *nec vereor, ne dum*, &c. quod verbum Donato est hominis liberi Act. 3 Scen. 2. Andr. nunc verò dicit, *Egomet mihi metuam* more serui, cuius proprium est metuere, quòd ipsius herus habeat in eum potestatem vitæ ac necis: quod certè discrimen facilè cognoscas e Catone maiore, *metuebant Appium serui: verebantur liberi: carum omnes habebant*: quod Gaza vertit per verba τὸ δέδιεν καὶ καταδεῖσθαι.

Discincta.] Quod moribus Romanis indecorè fiebat vtrumque, & inter flagitia Balbi minoris Gaditani numeratur Epist. 32. lib. 10. *quum quidem pransus, nudis pedibus, tunicâ solutâ, manibus ad tergum reiectis, inambularet in publico: magnaq; hominum frequentia, personam Quæstoris sustinens*: vnde lasciuia quædam hominis & superbia manifestè arguebatur, Cingi enim Tunicam moris erat honesti apud Romanos, præsertim in publico, magnaque populi celebritate, qualis solet conuenire ad spectacula Gladiatorum.

Pyga.] Legitur etiam *Pyge* in vetustis exemplaribus, quæ certè scriptura non est reijcienda, non secùs atque Ode, vsu tam trita, quàm Oda. Nates autem, vt Clunes, numero ferè multitudinis Latinè pronunciantur. Ratio huius vocis *Pygæ* fuit paullò suprà in cõiuncta *Depygis* enodata.

Explicatio Rhetorica.

IRonia est, tropus certè ad Satyricè cauillandum aptissimus, vnde Tigellius intelligitur perditus ac profusus nepos, qui hominibus inhonestis largè & profusè sua donaret.

b Metaphora est a solido corporis tactu, pro, misera & immiti, sacra & vesana fame.

c *Hic* & *hunc* variè cadunt per polyptoton, obscurè tamen, pro *vnus* & *alterum*, vel *hic* & *illum.*

d Altera metaphora a nautis, qui conto & bolide maris altitudinem explorant, pro *interrogare, diligenterq; inquirere.*

e Translatum est, meo iudicio, a messoribus, qui demessas segetes in manipulos & fasciculos strictim colligãt, quod Græci dicunt σφίγγειν, maximeq; Milon Theocriti ad Battum εἰδυλ. 1. inscripto δρεπάνιον.

Σφίγγετ' ἀμαλλοδέται τὰ δρέπανα· μή τις παρέλθων τις
Εἴποι, σύμμυοι ἄνδρες, ἀπωλόλετο χ' ὅτος ὁ μίσθος.

Vos qui colligitis, stringite demessos manipulos, ne quis
Prætereiens dictet, o siculnei homines, hæc merces perijt.

Ita propriè sumitur vox σφιγγία, *strictæ tenacitas* ex eodẽ verbo flexa cap. 11. Ecclesiastici: ἔστι πλουτῶν ἀπὸ προσοχῆς καὶ σφιγγίας αὐτοῦ, καὶ αὕτη ἡ μερὶς αὐτοῦ ἀπὸ τῶν μισθῶν αὐτοῦ: *Est qui ditescit, nimis ad rem attentus, atq; illius tenax & hæc est strictissima mercedis suæ portiuncula* quòd curâ congerendi tenacissimè seruandi, vanaq; cogitatione perfruendi se conficiat. Inde igitur rem stringere, est illã anteà diffusam & amplissimam sic amputare, contrahere, & in angustum adducere, vt ad assem tandem, vt in fasciculum minutum, redigatur.

f Synecdoche est generis pro fortunis & bonis.

g Metaphora est ab immunditie corporis ad animum cupiditate auaritiaque fœdatum & maculatum. Prætereà est imperfecta & obliqua prosopopœia & paradigi & auari.

h Symploce est in eodem sono ad initia & clausulas vtriusq; sententiæ, sicut & in diues, anaphora,

i Hoc tropi duplicis genus explicatum est 1. Satyr. lib huius.

k Metaphora a pecoribus pro fructu & prouentu vsurario.

l Hæc vox variè transfertur e loco omnibus noto: sed hîc ad sortem & principalem pecunię locatę summam: quomodo Græci τὸ ἀρχεῖον καὶ τὸ κεφάλαιον vsurpant Plato l. 1 de legib. κεφάλαιον δὴ πόλεώς λέγομεν τὴν ὀρθὴν τροφὴν *præcipuum ac summum in institutione dicimus esse rectam educationem.*

m Metonymia est adiuncti pro debitoribus futuris, a quibus quærunt fœnoratores, an velint nummos cõducere fœnore & nomina facere. Equidem malo ita *sectari nomina* interpretari, quàm *exigere nomina*, quæ nondum adolescenti licebat facere fœnoratori, nec huic locare illi in ptexta. Sic Columella dicit nomina pro debitorib. & illa interpellare pro exigere, atq; subinde ab ipsis reposcere creditæ pecuniæ fœnus debitum, quũ vsurpat hoc Alphij fœnoratoris dictũ, *bona nomina nonnunquam fiunt mala, si nũquam interpelles*, i. debitum reposcas a debitoribus: quos, vt nomina, *Pomponius* l. C. dicit interpellari, Gall. *estre sonné de parier une deste, ourente, ou interest.* Sic quoq; Seneca loquitur l. 1. c. 1. de beneficijs, *nomina facturi diligenter in patrimonium & vasa debitoris inquirimus: semina in solum effœtum & sterile non spargimus: beneficia sine vllo delectu magis proijcimus, quàm damus.* Itaq; nomina facere est pecuniam fœnorari, Gall. *bailler ou prandre argent a vsure, interest, ou proufit.*

n Duplex tropus: prior est synecdoche generis pro togã: posterior est metonymia adiuncti pro adolescentibus, qui nunc primum 17. annos attigerunt.

o Similis est metaphora superiori, *duã famẽ*: sed hic sumitur pro patribus austeris, vt præparcis Demeis.

p Hîc obliquè inducitur quidam, qui commotus intolerabili fœnoratione deuocat Iouem contra iniquitatem fœnoris.

q Procatalepsis est, in qua fœnorator extenuat magnitudi-

gnitudinem vsuræ suæ moderatione sumtus: vbi breuiter etiam Poeta illius personam sustinet.

r Exclamatio est μετὰ ἀποσιωπήσεως indignantis.

s Synecd. est speciei, pro, *vix quisquam possit credere.*

t Similis est tropus, sed generis pro Menedemo, qualis est in *nato fugato* pro Clinia filio.

u Altera est procatalepsis, vbi Poeta, quod ab aliquo obijceretur de omissa initiò quæstione, ad quam sequentia pertinent, prudenter occupat, ne illius obliuione & prætermissione per devia oratio aberrare videretur, atque lectores dubij, quid ipsis inde exspectãdum esset, suspensi tenerentur.

x Ego hîc puto esse polyptoton, quum ex altero alterum variè cadere manifestò videatur, quale est illud Plauti in Curc. in præcedenti Sat. notatum: *Seruus sermonem serit.*

y Synecdoche est generis pro Mæcenate: tropus valdè appositus ad clanculum, & Satyricè aliquem mordendum.

z Metonymia est subiecti pro tætro illius bestiæ fætore, quem qui spirat dicitur τραγομάχαλος vno verbo, quod sic noster Poeta circumloquitur 12. Ep.

An grauis hirsutis cubet hircus in alis.

aa Agnosco hîc synecdochen generis pro lupanari & prostibulo, aut magis propriè pro ganeo, cuius etymum repete ex Gramm. & Rhet. Odes 5. lib. 1. Fornix enim est quodvis opus & ædificium concameratum.

bb Metaphora est a mactantibus victimas, qui præter hostiam alijs etiam rebus aras cumulabant, quod erat magis auctas facere: ex quo hæc annotaui, admonitus sum a Seneca epistola 66. sub finem, hoc aliunde transferri, quum scribit, *Eadem ratione fit, scio, vt aliquis felicitatem bene & calamitatem fortiter ferat. Aequè fortis esse potest, qui pro vallo securus excubuit, nullis hostibus castra tentantibus: ac si quis, succisis poplitibus in genua se excepit, nec arma dimisit. Macte virtute esto, sanguinolentis & ex acie redemitibus dicitur*, &c. vbi est imperfecta prosopopœia Catonis, cuius hîc sermo leuiter representatur ad exeuntem e fornice.

cc Metonymia est adiuncti pro diuino Catone Censore ac virtute diuinâ prædito: quali Lucillius prior vsus fuit: *Valerî sententia dia*: & post vtrumque Sulpicia Romana Poetria in Satyr. de Domitiani edicto: vt Græcè βίη Ἡρακλείη pro ipso Hercule dicitur.

dd Metaphora est a molitoribus, pro *mœchari & subagitare.* Sic Scholiastes Theoc. in hos ver. Eidyl. α.

Εἶπ' ἄγε μοι Κορύδων τὸ γηρόβοσκον ἢρ' ἔτι μύλλα
Τήνων τὰν ἠωαυόφρων ὀρῶσιδα, τὰς πόθ' ἑνίθα:

Dic age mihi o Corydon, senecio ille adhuc subagitat illud scortillum nigris supercilijs, quo olim vrebatur, vel *velut pruritu afficiebatur*, τὸ μύλλειν, ὠθεῖν, ἀπὸ τῆς ἀλέσεως, *subigere, impellere a comminuentibus*: quod Poeta imitatus est & priùs Lucillius:

Hunc molere, illum autem, vt frumentum vannere, tu vis.

tali tropo Ausonius vtitur in Crispam Epigr. 70.

Illa molitur per vtramq; cauernam.

Legitur similis tropus Iob. cap. 31. vers. 10. *Si pellectus fuit animus meus ad mulierem, aut ad ostium proximi mei insidiatus sum: molat alteri vxor mea, & super eam incurrent se alij.* radix verbi est Tachan molere, contundere.

ee Synecdoche est membri pro integra & ingenua matrona, quæ ob stuprum legibus dabat pœnas & per vicos incedebat vestitu albo induta: vt Libertina atro, in quam non erat lege constituta pœna, si tale flagitium admisisset: vnde illa albata, hæc atrata vulgò nominata est.

ff Metaphora est a viatoribus, pro, qui non vultis, nec optatis bonum eventum adulteris,

gg Polyptoton in *hic, hunc, ille, illud.* Synecdoche est specie, pro vilissimo quoque hominum genere ad maiorem ignominiam.

hh Metaphora est a bestijs ad homines pro mentula. Simili tropo etiam vsurpatur Græcè ἡ πέρνος teste Hesychio. Quum cauda definitur αὐλῆρειον ἀλόγου, cuius propriæ notionis habemus exemplum Ode 19. l. 2. de Cerbero *lenter caudam atterente*, sed paulum immutatæ Satyr. 3. lib. 2. ad vers. *Qui te deridet, caudam trahat* &c. & hîc eiusdem apertius translatæ, vt in Scholijs Eustathij Ὀδυσσ. ω. sub finem ad vers.

Ἐν δ' αὖρα Λαερτῆς Δολίος τ' ἐς τοῦχε' ἴδωον,
Καὶ πολιοί περ ἐόντες, ἀναγκαῖοι πολεμίζειν. i.

Interea ergo Laertes & Dolius in arma ruerunt,
Et quamuis essent cani, bellatores tamen violenti.

Hîc τὸ οὐρὰ dicitur sumi ad has notas, σύνταξιν ἢ ἰσέον, ὅτι τε παρὰ τοῖς παλαιοῖς ὁ πολιὸς σύρηται ἀλωπεκόχρους πολέμιος, διὰ ὅτι ἀναγκαῖον δίχα τῶν ἄλλων αὐτῷ σημαινομένων σύνεισιν, διὰ τὸ ἀδόλον πολέμιον, ὡς τινος ἀνάγκης σύμβολον. ἀλλαχῇ ἢ διὰ οὐρὰ τὸ αὐτὸ ἐφαύη λέγεσθαι. δηλοῖ δ' αὐτὸ διὰ ὁ εἰπὼν, ὡς τῶν γηρόντων οὐρὰ μὲν ἀπήμβλυνται, θυμὸς ἢ μενοινᾷ. i. *Hic autem animaduertendum est, & quod apud veteres τὸ canus inueniatur dici, qui exactè canescit, & quòd τὸ ἀναγκαῖον etiam inueniatur dici præter alias ipsius significationes, pudendum, tanquam cuiusdam necessitatis symbolum, alibi quoque cauda videtur dici ipsum virile membrum. Hoc autem ipsum declarat, qui dicit, quòd cauda quidem senum relanguerunt, animus tamen concupiscit.* Idem obseruatum fuit Epod. 9. in Eunuchis & Spadonibus, præterea notandum in his scholijs τὸ ἀπαμβλύνεσθαι τὰς οὐρὰς opponi τῷ τὰς αὐτὰς παραφορεῖς εἶναι πρὸς τὰ ἀφροδίσια διὰ λαγνείαν.

ii Idem est tropus a messoribus pro exsecaret: simili tropo vtitur Hesiod. Theog.

--- Φίλα ἢ ἀπὸ μήδεα πατρὸς
Εὐνομίως ἤμησε, id est, *cari patris pudenda demessuit properè.* Paullò aliter transfert in oper. & diebus.

Ἀλλότριον πόνον σφετέρῃσι γαστρὶ δόμωνται.

alieni laboris fructu ventrem replent suum.

kk Metonymia materiæ, pro cultello inde facto.

ll Sumptum est a nautica disciplina, vbi sunt multi nauium ordines.

mm Est hîc epanorthosis quædam, *sermonis antecedentis correctio*, & exclamatio meliùs consulentis.

nn Epanaphora est initiò incisi & duplicis membri: sicut in *hoc* ter ibidem repetito. Quum matrona definiatur, quæ cum marito in manum conuenit. Hîc σωνεκδοχικῶς poni videtur pro nobilissima quaque fœmina.

oo Metonymia est adiuncti idoli pro domo, qualis est *paruo sub Lare*, ac simul synecdochica periphrasis patrimonij, qualis erit Epist. 2. lib. 2.

Inopemq; paterni & Laris & fundi.

pp Breuis inductio Marsæi suam scortationem iactantis.

qq Epanaphora est altera.

rr Metaphora est ab aquis stagnantibus, vnde gignitur limus, cuius humore nimio segetes senescunt, ac tandem intereunt.

ss Verba sunt Marsæi dogma Stoicorum de peccatorum æqualitate tuentis per quandam prosopopœiam.

tt Ironia est, vnde Villius fœnorator & adulter intelligitur genero longè dissimilis.

uu Synecdoche est partis, pro, exclusus domo & cubiculo.

xx Perfecta est hîc prosopopœia, vbi animus Villij mœchi, nomine mentulæ, sic conqueritur cum ipso

Villio, se non apperere difficilem Venerem.

yy Ἐπανόρθωσις est Poetæ contra responsionem Villij ad animum mutonis patronum.

zz Communicatio est Poetæ cum Villio, quamuis hic sententiam suam apertè non proferat, tamen perinde, ac si deliberasset, concludit Horatius, naturam in consilium adhibendam.

*a Ab aquis sumptum, pro accipere, vt decerpere a plantis. Sic Virgilius Aeneid. ad finem dicit, *haurire oculis monumenta & exuuias*, pro auidissimè illa intueri.

*b Synecdoche est generis pro, vniones, margaritas, smaragdos.

*c Procatalepsis est: vel, si *τὸ licet* est verbum; Concessio erit, vt Grammatica exposuerunt: simul & apostrophe est ad Cerinthum pulcerrimum.

*d Correctio argumenti proximi.

*e Allegoria est e continuatis metaphoris a mercatoribus, qui suas merces sæpiùs interpolatas fallaces & fucosas exponunt, vt meretrices sua corpora.

*f Anaphora est.

*g Metaphora a lynce, fera visus acutissimi.

*h Exclamatio est admirantis partes alias togatæ & alias improbantis.

*i Breuis est allegoria e metaphoris a castris promunita longo vestitu & famulitio multo: quod statim *κατὰ τὴν ἐξύγησιν* enumerat.

*k Metaphora ab animatis, quæ mouentur affectibus, ad inanima, pro, quæ tibi officiãt & obstent, quò minùs circumspiciendo possis membra stolatæ matronæ examinare.

*l Synecdoche speciei pro bombycinis & subtilissimis quibusq; indumentis.

*m Metaphora est a Geometris, qui magnitudines, altitudines & latitudines rerum & locorum decempedis & alijs instrumentis dimetiũtur, pro, *perspicere, visu certo designare, ad certam corporis quantitatem & qualitatem exactè dijudicare.*

*n Similiter resonant *τὰ insidias fieri & mercem ostendi* in clausulis sententiarum per epistrophen.

*o Est fortassis synecdoche speciei pro qualibet cynegetica fera.

*p Metaphora est ab auibus, pro, *contemnit* ac *praterit.*

*q Synecdoche est generis, pro *cautionibus amatorijs*, quibus alliciantur matronæ.

*r Idem tropus pro tætra libidine, quæ solet amatores furiare, atque pro tentigine, ropalismo & tetano, quibus ijdem rumpuntur.

*s Vtitur semper Poeta hac metonymiâ caussæ, vt lib. 2. Ode 16. notatum est, pro effectis cupiditatibus.

*t Hoc puto translatum ab his, qui plantas castrant sterilibus ramis, stolonibus ac sylueſcentibus surculis ad inanes minimeq; necessarias Veneris cupiditates: e ratione tamen corporis solidi, quod non solum superficie, velut quadam cute, constat, verum etiam plenum est atq; integrum, vt modò dictum est in Grammaticis e notis Donati, possumus dicere sumptum hoc esse a Geometris, qui soliditatem corporis definiunt, vt est videre lib. 1. Euclidis & lib. 1. cap. 20. Agellij: vnde disces solidum & inane, vt plenum & vacuum, opponi inter se: quali metaphorâ vsus est Curtius l. 9. *vanissima quoq; gloria, quum sit ex solido, plus tamen habet nominis, quam operis:* quali etiam Seneca lib. 1. cap. 1. de Clementia, *Quæ ex solido emanscuntur, tempore ipso in maius, meliusq; procedunt.*

*u Prosopopœia mulieris caræ, quæ inducitur respondens adultero, quærenti, quando ad eam sit aditurus.

*x Hic agnosco synecdochen speciei pro quibuslibet essedonibus ac elumbibus, qui talem possint remoram ferre & rem tam caram emere, qualia Philodemus inducitur optans inimicis.

*y Similis est tropus pro quibusuis fæminis formâ præstantibus.

*z Idem tropus, sed generis, ferè hîc perpetuus pro marito.

† Epiphonema est, vbi Poeta Philodemo acclamat, approbatque miserum esse in adulterio deprehendi a marito, vt & sibi meliùs consulatur, & ab eo Fabius I. C. ita fortassè deprehensus Satyrico dente mordeatur.

SATYRA TERTIA.

Quòd amicorum peccata ijsdem ponderibus examinanda sint, quibus propria, ad societatem humanam arctiori vinculo constringendam.

Omnibus hoc vitiũ est cantoribus, inter amicos
Vt nunquam inducant animum cantare, rogati:
Iniussi nunquam desistant. Sardus habebat
Ille Tigellius hoc. 2. a *Cæsar, qui cogere posset,*
b *Si peteret per amicitiam patris, atq; suam; non*
Quicquam proficeret. 3. Si collibuisset, ab c *ouo*
Vsq; ad mala citaret, iò Bacche, modò summâ
Voce, modò hac, resonat quæ chordis quattuor ima.
4. d *Nil æquale animi fuit illi: 5.* e *Sæpè velut qui*
Currebat fugiens hostem: persæpè velut qui
Iunonis sacra ferret. 6. Habebat sæpè ducentos,
Sæpè decem seruos: 7. modò f *Reges atq; Tetrarchas,*
Omnia magna loquens: g *modò: sit mihi mensa tripes*
Concha salis puri & toga, quæ defendere frigus, (&
Quamuis crassa queat. 8. h *Decies centena* i *dedisses*
k *Huic parco paucis contento, quinque diebus*
Nil erat in loculis: noctes vigilabat ad ipsum
Manè: diem totum stertebat: 9. nil fuit vnquam
Sic impar sibi: 10. l *Nunc aliquis dicat mihi, quid tu?*
Nullâne habes vitia? imò alia & fortassè minora.
Mænius absentem Neuiũ quum carperet: m *heus tu,*
Quidam ait, ignoras te? an, vt ignotum dare nobis
Verba putas? egomet mi ignosco, Mænius inquit.
11. n *Stultus & improbus hic amor est dignusq; notari*
Quũm tua perspicias oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitijs tam cernis acutum;
12. Quam aut aquila aut serpens Epidaurius? at tibi
Euenit, inquirant vitia vt tua rursus & illi. (contrà
13. Iracundior est paullò, minùs aptus acutis
o *Naribus horum hominum: rideri possit, eò quòd*
Rusticiùs tonso toga p *defluit, & malè laxus*
In pede calceus hæret: q *at est bonus, vt melior vir*
Nõ alius quisquam: at tibi amicus: at ingeniũ ingens
Inculto latet hoc sub corpore: 14. denique teipsum
r *Concute numqua tibi vitiorum inseuerit olim*
Natura,

Natura, aut etiam consuetudo mala. namq;
15. Neglectis vrenda filix innascitur agris.
16. s Illuc præuertamur: amatorem quòd amicæ
Turpia decipiunt cæcum vitia: aut etiam ipsa hæc
Delectant; veluti Balbinum Polypus Agnæ.
t Vellem in amicitia sic erraremus: & isti
Errori nomen virtus posuisset honestum.
At, pater vt nati; sic nos debemus amici.
Si quod sit vitium, non u fastidire. Strabonem
Appellat Pætum pater, & Pullum, malè paruus
Si cui filius est: vt abortiuus fuit olim
Sisyphus: hunc Varum distortis cruribus: illum
Balbutit Scaurum, prauis fultum malè talis.
x Parciùs hic viuit? frugi dicatur: ineptus
Et iactantior hic paullò est? concinnus amicis
Postulat, vt videatur: at est truculentior, atque
Plus æquo liber? simplex fortisq; habeatur:
Caldior est? acres inter numeretur. 17. Opinor,
Hæc res & iungit, iunctos & seruat amicos.
18. At nos virtutes ipsas inuertimus: atque
y Sincerum cupimus vas incrustare. Probus quis
Nobiscum viuit? multùm demissus homo, illi
Tardo cognomen pinguis damus: hic fugit omnes
Insidias, z nullique latus obdit apertum;
(Quam genus hoc inter vitæ versetur, aa vbi acris
Inuidia, atq; vigent vbi crimina) pro bene sano
Ac non incauto, fictum astutumq; vocamus.
Simplicior si quis (qualem me sæpè libenter
Obtulerim tibi bb Mæcenas) vt foriè legentem,
Aut tacitum appellet, quouis sermone molestus:
Communi sensu planè caret, inquimus. 19. cc Eheu
Quàm temerè in nosmet legem sancimus iniquam!
Nam vitijs nemo sine nascitur: optimus ille est,
Qui minimis vrgetur. 20. Amicus dulcis, vt æquum est,
dd Quum mea compenset vitijs bona, pluribus hisce,
(Si modò plura mihi bona sunt) inclinet, amari
Si volet: hac lege in trutina ponetur eadem.
21. Qui, ne ee tuberibus proprijs offendat amicum,
Postulat; ignoscat verrucis illius. Æquum est,
Peccatis veniam poscentem, reddere rursus.
22. Deniq;, quatinus excidi penitus vitium iræ,
Cætera item nequeunt stultis hærentia: cur non
ff Ponderibus, modulisq; suis ratio vtitur, ac res
Vt quæq; est, ita supplicijs delicta coercet?
Si quis eum seruum, patinam qui tollere iussus,
Semesos pisces, tepidumq; gg ligurierit ius,
In cruce suffigat: Labeone insanior inter
Sanos dicatur. 23. Quantò hoc furiosius, atq;
Maius peccatum est? Paullùm deliquit amicus:
Quod nisi concedas, habeare insuauis, acerbus:
Odisti, & fugis, 24. vt Drusonem debitor hh æris:
25. Qui, nisi, quum ii tristes misero venêre Calendæ,
Mercedem aut nummos vnde vnde kk extricat: amaras
Porrecto iugulo historias, captiuus vt, audit.
26. Comminxit lectum potus, mensáve catillum
Euandri manibus tritum deiecit: ob hanc rem,
Aut positum antè mea quia pullum in parte catini
Sustulit esuriens, minùs hoc iucundus amicus
Sit mihi? Quid faciam, si furtum fecerit, aut si
Prodiderit commissa fide, sponsúmve negârit?
27. Quinaria esse ferè placuit peccata, laborant,
Quum ventum ad verum est; sensus, moresq; repugnat,
10 Atque ipsa vtilitas, iusti propè ll mater & æqui.
28. Quum mm prorepserunt primis nn animalia terris,
Mutum & turpe oo pecus, glandem atque cubilia propter,
Vnguibus & pugnis, dein fustibus, atque ita porrò
Pugnabant armis, quæ post fabricauerat vsus:
29. Donec verba, quibus pp voces sensusq; notarent,
20 Nominaq; inuenêre: dehinc absistere bello,
Oppida cœperunt munire, & ponere leges,
Ne quis fur esset, neu latro, qq neu quis adulter.
Nam fuit ante Helenam rr cunnus teterrima belli
Caussa: sed ignotis perierunt mortibus illi:
30. Quos ss Venerem incertam rapientes, more ferarum,
Viribus editior cædebat, vt in grege taurus.
Iura inuenta metu iniusti fateare necesse est,
30 Tempora si, tt fastosq; velis euoluere mundi
31. Nec natura potest iusto secernere iniquum,
uu Diuidit vt bona diuersis, fugienda petendis:
32. Nec vincet ratio hoc, tantundem vt peccet, idēq;
Qui teneros xx caulis alieni fregerit horti,
Et qui nocturnus Diuûm sacra legerit. 33. Adsit
yy Regula, peccatis quæ pœnas irroget æquas,
Ne scutica dignum horribili sectere flagello.
40 34. Nam, vt ferulâ zz cædas meritùm maiora subire
Verbera, non vereor: quum dicas esse pares res
Furta latrocinijs; & magnis parua mineris
Falce recisurum simili te, si tibi regnum
Permittant homines. 35. Si diues, qui sapiens est,
Et sutor bonus, & solus formosus, & est rex,
Cur optas, quod habes? 36. Non *a nósti, quid *b pater, inquit,
Chrysippus dicat: sapiens crepidas sibi nunquam,
Nec soleas fecit: sutor tamen est sapiens. *c Quò?
50 Vt, *d quamuis tacet Hermogenes; cantor tamen, atque
Optimus est modulator: vt Alfenus vafer, omni
Abiecto instrumento artis, clausaque *e tabernâ,
Sutor erat. 38. sapiens operis sic optimus omnis
Est opifex solus: *f sic rex. 39. Vellunt tibi barbam
Lasciui pueri, quos tu nisi fuste coerces,
Vrgeris turbâ circum te stante, miseráq;
60 Rumperis & *g latras: Magnorum maximè regum!
Ne longum faciam: dum tu quadrante lauatum
Rex ibis, neq; te quisquam stipator, ineptum
Præter Crispinum, sectabitur: 40. & mihi dulces
Ignoscent, si quid peccauero stultus, amici:
Inq; vicem illorum patiar delicta libenter,
41. Priuatusq; magis viuam, te rege, beatus.

Analysis Dialectica.

NOn satis quidem fuit Poetę M. Tigellium iam semel notasse, nisi etiam alteram ei notam inusisset. Sed vtrum vindictæ caussâ hoc factũ sit, quòd hic contemsisset illius carmina: an, vt ita Satyræ priores affinitate argumenti cum hac colligarentur, relinquo prudentioribus iudicandum. Hîc tamen initiò Tigellium video cupiditatis effrænatæ vehementer insimulari, quâ communi notione Philosophi definiunt libidinem, quæ aduersus rationem incitatur vehementiùs & in omnibus stultis inuenitur: ad quos nunc Poeta cantores aggregat prorsus omnes, qualis insimulatio ex adiunctis sic disputatur: *Omnes cantores in defectu & exsuperantia professionis suæ peccant: Tigellius est cantor sic intemperatus: peccat igitur in sua professione.*

2. Prosyllogismus est assumptionis ex caussis iustissimis Augusto & ipsius patre, quibus tamen cantor obstinatus, nihil commouetur. Ad duritiem autem & pertinaciam cantoris notandam videtur mihi maior vis inesse in his efficientibus per se, quàm in hac maiorum comparatione: *Si Augustus, cui erat potestas quiduis a quouis impetrandi, nihil promouit per carissimum sibi quicque petens a Tigellio audiendæ Musicæ voluptatem, quid ab eodem debent alij exspectare?* quod posterius si ita redditum fuisset protasi, non dubitarem de comparatione hîc statuenda: fruatur tamen suo quisque iudicio de vi firmiori in vtrolibet arguendi genere, præsertim quum caussæ soleant sæpè συνεστηκότες enunciari.

3. Eiusdem approbatio e dissimili caussa prioribus, quæ gignit sic hyperboleu, vt illæ ellipsin: vt initium cantus sit concitatius, quàm naturæ lex, & sedata consuetudo ferat.

4. Complexio est: *peccat igitur omnino Tigellius in arte sua.*

5. Prosyllogismus quoque complexionis constat e gemina collatione similium ad inæqualitatis confirmationem: *quòd vt homo ab hoste pressus: sic ille sæpè curreret.* Item, *quòd vt sacerdos humeru gestans simulacrum Iunonis: sic ille lentè incederet.*

6. Altera complexionis approbatio ex genere aduersorum, quòd modò multis, modò paucis stiparetur seruis.

7. Ex eadem categoria est argumentum, *quòd modò regio sumptu, modò tenui viuere cuperet, ac vestiri.*

8. Simulata, rustica & inculta hominis parsimonia refellitur ipsius factis: *quod paucis diebus ingentem pecuniæ summam prodigè viuendo soleat profundere.*

9. Iteratur eadem complexio, sed comparatè.

10. Occupat Poeta sibi obijcienda, primùm parium collatione: *quòd iuxtà atque Tigellius, sit vitiosus Horatius:* deinde exemplo Mænij diuersè tractato, *qui ita clanculum alios morderet: sed suis vitijs intereà ignosceret:* quod Horatius nunc facere videtur.

11. Poeta damnat illam hominum Philautiam e loco priuantium, qui suis vitijs blandiantur, & alienis offendantur, id est, in proprijs iudicandis sint cæci, in alienis oculatissimi. Huius sententiæ hi Menandri senarij sunt:

Οὐδεὶς ἑῳ' αὑτῷ τὰ κακὰ σωφρῶν, Παμφίλε,
Σαφῶς, ἑτέρου δ' ἀχρειόνοος ὀξύτατα·

nemo in se, Pamphile, mala videt apertè, sed alterius se turpiter gerentis cernet. Cuius sententiæ ratio redditur a Lactant. l. 3. c. 4. *Quia nemo potest de se rectè iudicare, quòd nobilis Poeta testatur, ita comparatam esse hominum naturam omnium, vt aliena meliùs videant & dijudicent, quàm sua.* Terent. Heaut. Act. 3. Scen. 1. cui certè commendationi sese subijcit modestiæ caussâ & fidei maioris. Hic tamen locus Terentiani Menedemi de commodis, non de vitijs, vt præsens nostri Poetæ intelligendus est: quod perspicitur e sequenti versu secundo eiusdem Scenæ. *An eò sit, quia in re nostra aut gaudio sumus præpediti nimio, aut ægritudine? Hic mihi quanto nunc plus sapit, quàm egomet mihi.* Huic Donatus profert contrarium e lib. 1. de Offic. Ciceronis: *Est difficilis cura rerum alienarum: quanquam Terentianus ille Chremes, humani nihil a se alienum putet: sed tamen quia magis ea percipimus atq; sentimus, quæ nobis ipsis aut prospera, aut aduersa euenium, quàm illa, quæ cæteris, quæ quasi longo interuallo interiecto videmus, aliter de illis, ac de nobis, iudicamus.*

12. Pars altera huius oppositionis amplificatur pariũ comparatione: *quòd tam acriter & acutè Manius cernit in vitijs amicorum: quàm aquila & draco Epidaurius sunt aspectu perspicacissimo in præda ad lanienam designandã: propria non cernit, quum vicissim in hæc non inquirunt amici.*

13. Locus est e diuersis ad cautionem reprehensionis, *Reperitur quidem aliquis ingenio fortassis paullò iracundiori & ineptiori, quàm sales huius seculi ferant, qui licet gestet indecenter togam & rusticè tonsus sit, calceosq; maiores induat, & ab alijs irrideatur, vir bonus tamen est, amicus magno ingenio præditus:* quæ pars posterior diuersitatis augetur minorum collatione: *quòd illam bonitate nemo possit æquare.*

14. Reuocat reprehensorem aliorum ad inspiciendam vitæ suæ rationem, quâ explorarâ & perspectâ remissiùs agat posteà cum suis amicis delinquentibus: quod genus argumenti ponendum censeo inter argumenta ab arte remota. Affirmationis enim approbatio nititur hîc experientiâ, quadam & velut examine propriæ vitæ, quæ vel naturâ vel aliquâ consuetudine malâ in vitium delabi solet. Ratio explorandæ atq; perspiciendæ vitæ propriæ antequâ reprehendas vitam & mores alterius, præclarè redditur à Cicer. Act. 5. in Verrem: Postulatur ab omnibus, vt ab ijs se abstineant maximè vitijs, in quibus alterum reprehenderunt. Furem aliquem aut rapacem accusaris? vitanda tibi semper erit omnis auaritiæ suspicio. Maleficũ quempiam adduxeris, aut crudelem, cauendum erit semper, ne qua in re asperior, aut inhumanior fuisse videare. Corruptorem, adulterum? prouidendum erit diligenter, ne quod in vita vestigium libidinis appareat. Omnia postremo, quæ vindicaueris in altero, tibi ipsi vehementer fugienda sunt. Etenim non modo accusator, sed ne obiurgator quidam ferendus est is, qui quod in altero vitium reprehendit, in eo ipso reprehenditur.

15. Talis examinis ratio firmatur similitudine: *ut,* inquit, *filix facilè innascitur agris inculti ideoq; frequenter vrenda & exstirpanda est, si fertilem velis habere terram: sic animus hominis inculti, nullaq; disciplinâ expolitus vitia facilè contrahit. Itaq; nunquam culturâ debet carere.*

16. Vtitur hic similium inductione: *vt diligens cautio adhibeatur in vitijs amicorum notandis amatorum & parentum more, qui, vt illi amicarum & hi liberorum vitia solent eleuare verbis: sic nos amicorum delicta extenuare, dissimulare, & patienter ferre oportet.* Quod Cicero dicitur Dolabellæ genero suo præstitisse 16. Epist. lib. 2. ad Familiar. quum immoderatos ipsius sumptus appellatibi honesto nomine liberalitatem: *In communibus,* ait, *miseriis hac tantùm oblectabar speculâ, Dolabellam meum, vel potiùs nostrum fore ab ijs molestijs, quas liberalitate suâ contraxerat, liberum.* Protasis est gemina: prior de amatoribus illustrata singulari exemplo Balbini & Agnæ: posterior est de parentibus, multis confirmata dispara-

disparatis & vno exemplo Sisyphi. Apodosis autem vtrique protasi sigillatim sua fuit: priori quidem hoc redditum est: *Vellem in amicitia sic, &c.* Posteriori verò *sic nos debemus*: sed variis disparatis, tanquam exemplis, amplificata, & quinq; versibus producta inceptis ab his, *Parciùs hic*,

17. Huiusmodi extenuatio alienorum vitiorum ex effectis commendatur, *quòd ea amicitiam inter homines pariat & tueatur.*

18. Est hîc querela quasi ex antapodosi dissimilium minoribus pronunciata, vt adhuc fuit protasis eorundem variè comprobata: querela, inquam, est de prætermisso veri amici officio: *quòd homines tantum absint ab extenuandis amicorum vitijs & nomine virtutum cohonestandis, vt virtutes ipsorum dedecorent & deforment nominibus vitiorum*: verbi gratiâ, *quæ recta sunt amicorum facta ea dicuntur praua: quæ honesta, turpia: quæ cum virtute coniuncta, vitiosa.*

19. Hæc seuera temerè reprehendendi amicos leuiter peccãtes consuetudo damnatur parium collatione: *quòd quum nemo vitiis naturâ careat, par iudicij seueritas & animaduersio de nostris malis exspectanda sit ab amicis; peccauimus enim omnes, ait Seneca lib. 1. cap. 6. de clementia, alij grauia, alij leuiora, alij ex destinato, alij fortè impulsi, aut alienâ nequitiâ ablati, alij in bonis consiliis parum fortiter stetimus & innocentiam inuiti ac renitentes perdidimus: nec delinquimus tantum, sed vsque ad extremum aui delinquimus.* Idem lib. 2. cap. 7. de ira, *Quid singula persequor? quum videris forum multitudine refertum, & septa concursu omnis frequentiæ plena, & illum circum, in quo maximam sui partem populus ostendit, hoc scito, istic tantundẽ esse vitiorum, quantum hominum.* Idem lib. 3. c. 26. *omnes mali sumus. Quidquid in alio reprehenditur, id vnusquisque in suo sinu inueniet.* Idem auctor ibidem cap. 7. *Quod si Dij placabiles sunt, ac æquè delicta potentium non statim fulminibus persequuntur: quanto æquius est hominem hominibus præpositum miti animo exercere imperium?* Eodem mansuetudinis ac lenitatis Ouidius inuitat Augustum lib. 2. de Tristibus: non id tamen sine assentatione.

Si quoties peccant homines, sua fulmina mittat
Iuppiter, exiguo tempore inermis erit.
Num vbi detonuit, strepitusq; exterruit orbem,
Purum discussu aera reddet aquis.
Iure igitur genitorq; Deum, rectorq; vocatur.
Iure capax mundus nil IOVE *maius habet.*
Tu quoq; quum patriæ rector dicare paterq;,
Vtere more Dei numen habentis idem.

20. Præscribitur amicis ratio vitæ mutuò examinandæ, vt *quum alter ab altero volet bene & malè gesta æstimare & ponderare, trutinam finat in virtutes plures propendere, & sic tali pondere amici peccata eleuẽtur, & eâdem trutina alterius facta examinẽtur.* Hæc certè ratio petita est e loco parium, vt proximè antecedens.

21. Argumentum est ex maioribus, *quòd qui volet suis grauibus vitiis ab amico ignosci, leuibus ignoscat huius.*

22. Similium comparatione doctrinam Stoicorum examinat, *qui peccata statuerent æqualia, cuius æqualitatis est comes hæc seueritas cẽsuræ & pœnæ in amicos & in alienos: qualis pœna legibus Draconis Athenienſis legislatoris omnibus æqualiter constituebat olim ante Solonem, vt æquè segnitiei damnatus, atque sicarius & percussor: æquè fur olerum, atq; sacrilegus puniretur: quum illa peccata grauitate & leuitate distinguenda sint & vindicanda: &, vt res quæq; fuerit, in qua peccatum est, ita suppliciis delicta coerceantur*: quod exemplis singularibus demonstrat, primum: *serui delictum, qui pisces & ius tepidum ligurierat, vt leue erat, ita leuiter vindicandum*: vt æquitas naturæ requirit: *quod si grauius, insania est*, vt contra omnem rationem & humanitatem factum crudeliter. Ad hanc autem duram seruorum conditionem accedit illud Geræ Terentiani Act. 2. Sc. 1. Phorm. *Seruum hominem caussam orare leges non sinunt, neque testimonij dictio est.*

23. Alterum exemplum enunciatur minorum collatione: *quòd qui odit & fugit amicum, paullùm delinquentem, quolibet insano est furiosior, & graniùs peccat*: quò accedere videntur adversa, *quum, qui talem se præstat pro iucundo & suaui amico habeatur insuauis & acerbus.*

24. Idem confirmatur similitudine: *Vt debitor fugit & odit acerbum creditorem & fœneratorem, cui adeò sit obæratus, vt animam debere illi videatur: sic talis amicus amicum.*

25. Protasis amplificatur alterâ similitudine, *quòd debitor ad diem soluendæ vsuræ dictum fœneratori suo non satisfaciens ducitur, vt captiuus, quasi iugulandus ab eo, & cogitur ineptas eius historias audire, quod mortis instar putabatur*: vbi *Druso* mordetur dente Satyrici gemino, *& quòd miser auarus, & quòd imperitus historicus fuerit.*

26. Terna sequuntur alia exempla leuiter & grauiter peccãtium amicorum, quæ comparatè tractantur a minori ad maius, vt loquuntur: *si, quòd amicus comminxit meum lectum potus: quòd e mensa vetustum catinum Euandri*, vnde iactura minuitur, *fortè detrusit humi: quòd pullum mihi appositum e regione sumsit esuriẽs, mihi displicet: longè quidem certè mihi iniucundior futurus est ex eo, quòd furtum fecerit: arcana prodiderit: promissum negauerit.*

27. Æqualitas rectè factorũ & malè factorum, quam Stoici statuebant, refutatur naturâ rerum, sensu cuiusque, moribus, vtilitate & veritate, tanquam locupletissimis testibus. Nemo enim paribus ornabit præmiis conseruatorem sui, atque custodem suæ bouis. Item nemo æqualibus pœnis afficiet esurientem, qui fame pressus panem furatus fuerit, atque eum, qui satur ærarium vèl sacrum legerit.

28. Argumentatur hîc a caussis procreantibus & conseruantibus de origine iuris, vt Stoicam peccatorum æqualitatem inde refellat. Nam illi⁹ Zenonis Philosophi opinione vtilitas peperit ius & leges, & hæc distinctionem & discrimen rectè maleq; factorum, atq; incolumitatem humanæ societatis sanxerunt. Sequitur ergo ex hoc sorite multũ interesse non solùm inter rectè facta, sed etiã inter malè facta, quæ voluit Zeno vtramque exæquare. Vides hîc ortum iuris & legum repeti ab vtilitate, non a natura, sicut alij fecerũt. Nam initiò primi homines more ferarum viuebant, & vt accipitres aviculas imbelles, lupi oues infirmas, laceranr, vorant: sic ex hominibus, vt quisque celerrimus & valentissimus erat, tardiorem & imbecilliorẽ tum opprimebat. Verum natura, quod cum bona venia Poetæ dixerim, consultrix prouidaque vtilitatum opportunitatumque omnium suggessit rationem cuiq; conseruandi sui aduersus iniurias alterius, vt sępiendi, in oppidis muris cingendis: item sapiendi, in legibus condendis, quæ præmiis bonos ornarent, pœnas & supplicia in malos constituerent. Ita primum locum tenet natura, (quod Cic. l. 1. Off. confirmat ad hæc verba. *Principiò generi animãtium omni a natura tributum vt se, vitam, corpusq; tueatur*) vel potiùs Deus optimus maxim⁹ in hac constitutiõe societatis humanæ, quem hi scriptores prophani ignorârũt. Ex doctrina tamen sapientiorum inter hos natura est procreatrix humãæ conciliationis, & vtilitas & leges conseruatrices sunt politiarum & rerum publicarum.

29. Valdè cæcutierunt prophani Scriptores in cognitione principis caussæ rerũ. Deus enim est prim⁹, vt Mundi, sic legum conditor, atq; adeò πηγὴ καὶ ἀρχὴ τ ἀφθαρτωτάτης τῆς ψυχῆς, sicut Plat. in Phædone docet & in Cratyl. Hic tamen docet nomina rebus consilio

& arbitrio viri Dialectici data: Epicurus contrà, eiusque discipulus Lucretius illa instinctu naturæ & vtilitate scribunt imposita fuisse. Hic quidem l. 5.

At varios linguæ sonitus natura subegit
Mittere, & vtilitas expressit nomina rerum.

At idem paullò pòst:

Proinde putare aliquem tum nomina distribuisse
Rebus, & inde homines didicisse vocabula prima,
Desipere est.

Nos autem Christiani certò scimus e lib. Mosis de Generatione, τὴν ἀρχαιονομαθεσίαν Adamo attributam, dum integra, perfecta, sapientiæque plena illius natura staret, & illum animantibus, alijsque rebus (vt credibile est) conditis nomina imposuisse, Deumque hac sapientiæ facultate indendi nomina rebus inaugurasse illum dominum & principem animantium omnium.

30. Docet vagas fuisse primorum hominum libidines similium comparatione: *Vt acerrimus quisq; taurus in grege riuales suos petit & fugat, nonnunquam etiam cadit: sic ex illis hominibus fortissimus quisq; alios necabat.*

31. Docet item cõparatione dissimilium, *nihil esse iustum aut iniustum naturâ. Non, quemadmodũ,* inquit, *bona distingui possunt a malis, & expetenda a fugiendis solâ naturâ; sic iusta distinguuntur ab iniustis: sed hæc discernũtur vtilitate. Quòd si iusta & iniusta constarent naturâ; nihil esset iusto iustius, nihil iniusto iniustius: vnde relinqueretur, virtutes esse æquales & vitia æqualia.* Aristot. ita docet l. 2. de Morib. virtutes non esse naturales: quia, si tales essent; non quisquam e bono vnquam fieret malꝰ, nec e malo bonus: idque confirmat naturâ ignis, quâ sic est ipse præditus, vt sursum semper feratur & ferrũ deorsum, non contrà: vnde efficit, virtutes & vitia e more & consuetudine proficisci, quemadmodum nunc Poeta iustum & iniustum ab utilitate, ad tollendam illam peccatorum Stoicam æqualitatem.

32. Quàm autem rationi sit dissentanea illa æqualitas, demonstrat exemplo impariter comparato: *Non tantum peccat, qui teneros caules alieni horti fregerit, quantum sacrilegus nocturnus.*

33. Refutatâ æqualitate, sancit legem animaduersionis e paribus: *vt, si leuiter peccatum est, pœna sit leuis: si grauiter. supplicium de eo graue sumatur.* Eódem spectat illa mensuræ æqualitas Matthæi 7. Lucæ 6. in peruersos reprehensores: sed omnium aptissimè conuenit huic argumento locus Apoc. 18. v. 7. ὅσα ἐδόξασεν ἑαυτὴν, καὶ ἐστρηνίασε, τοσοῦτον δότε αὐτῇ βασανισμὸν καὶ πένθος. *Quantum extulit sese & immodestè gessit, tantum date ei cruciatum & luctum.*

34. Ex eodem argumenti loco diluit obiectum Stoici, cur Poeta non vetet eâdem lege, ne, qui grauiori supplicio dignus est, leuiori puniatur. *Nihil est opus hac sanctione apud te,* inquit, *qui, si rex esses, vtrumq; peccatum, & furtum & latrocinium, pari supplicio vindicares.*

35. E disparatis optationem regię potestatis, quę pugnat cum descriptione sapientis Stoici, carpit & irridet. Talem enim dominatum Sapiens Stoicus, quo iam erat ornatus, non debuit exoptare. *Si quidem,* vt ait Cato 3. de finib. *rectiùs appellabitur rex, quàm Tarquinius, qui nec se, nec suos regere potuit: rectiùs magister populi, quàm Sylla: rectiùs diues, quàm Crassus, qui, nisi eguisset, nunquam Euphratem nullâ belli caussâ, transire voluisset. Rectè etiam liber solus, rectè pulcer, rectè solus inuictus, rectè sutor bonus,* si non τῇ ἐνεργείᾳ, *vsu & functione,* certè τῇ δυνάμει, καὶ τῇ ἕξει *potestate & habitu.*

36. Ratio talis reprehensionis sumitur ex auctoritate Chrysippi Stoici, qui Sapientem sic potestate definiebat.

37. Hanc definitionem confirmat collatione similium, cuius protasis illustratur exemplis Hermogenis & Alfeni, tractatis per rationem diuersorum, *quorum ille, licet summum ageret silentium, erat tamen optimus cantor & modulator: Hic quoque, licèt extra sutrinam, & sine instrumentis sutoriis esset, bonus tamen sutor erat.*

38. Apodosis est comparationis duplex: *quòd sic Sapiens sit & optimus opifex cuiusq; operis & optimus rex populi.*

39. Refellitur vana Stoicorum persuasio de tàm lata Sapientis potestate e loco disparatorum: *quòd tantæ dominationi illius Sapientis repugnent hæc, si eum contumeliosè & impunè illudi a pueris, a multitudine & vulgo vrgeri, & neutrius importunitatem clamore & latratu arceri posse, & quadrante, more cuiusdam plebeij, lauari, & ab vno tantùm comite deduci: quum regis sit, facilè quaslibet iniurias & contumelias vindicare, balnea priuata habere, magno satellitio deduci ac reduci firmo præsidio stipari.*

Huic refutationi nostræ respondent notæ in Epod. 11. de distinctione iniuriæ & contumeliæ ex Seneca, cuius etiam illud est ex cap. 4. ad Serenum, *vt cælestia humanas manus effugiunt, & ab his, qui templa diruunt, aut simulacra constant, nihil diuinitati nocetur: ita quicquid fit in sapientem proteruè, petulanter, superbè, frustra tentatur.* Hæc autem quæstio, *quòd in sapientem neque iniuria cadat, neque contumelia,* sic disputatur a Socrate & in Apologia & lib. 1. de Rep. Platonis, nemo dicendus est accipere iniuriam, nisi qui ab alio læditur: Atqui sapiẽs lædi nequit: Quare consequitur eum extra iniuriam esse. Prosyllogis. assumtionis, is demum læditur, qui ad munus suum probè obeundum fit deterior, vt si equꝰ ad cursum, bos ad culturam agri deterior fiat: Hoc autem sapienti accidere non potest, nisi eidem sapientia, iustitia, cæteræque virtutes auferantur, quæ sunt bona longè firmiora & stabiliora, quàm vt eripi queãt: ex his ergo positis conficitur aliquem posse quidẽ conari multa, vt inferat iniuriam sapienti, sed hanc non posse illum pertingere.

40. Sublatâ peccatorum æqualitate, quæ sine discrimine pœnæ delicta hominum castigabat, & amicitias, leuiter etiam peccantes, dissoluebat, conficit tandem e loco parium, quibus theticum constat, *peccata amicorum æqualiter vtrinq; examinãda, patiẽterq; invicẽ ferenda.*

41. Confirmatur hæc facilis & mutua peccati alieni tolerantia loco minorũ: *quòd qui fuerit illâ præditus, etiam priuatus, viuet honestiùs atq; beatiùs, quàm rex ille Stoicus.* Huc spectat consilium Pythagoræ:

Μηδ' ἐχθαιρε φίλον σὸν ἁμαρτάδος εἵνεκα μικρῆς
Ὀφρα λιώῃ.

Neque amicum tuum leui de peccato oderis, quoad possis & liceat per honestatem.

Enarratio Grammatica.

Omnibus hoc vitium.] Vitium notatur a Grammaticis ex vi sui primigenij, quod vitandum sit. Ideo Cic. vtrumque, de Oratore copulauit: *in quo non magna est laus vitare vitium.* Idem fecit hic Poeta Sat. 2. li. huius, *dum vitant stulti vitia: &c.* & 2. lib. sequentis. *frustra vitium vitaueris.*

Inducant animum cantare.] Ita Terent. And. Act. 5. Scen. 1. v. 15. cum infinito construxit, *vt ne illos inducas credere.* Dicitur etiam a Plauto in Cistellaria, *Meum animum inducam tamen, vt illud consulam, quod tuam in rem bene conducat non consulere.* Aliter quoque ab eodem. *Hoc in animum scelesti inducunt suum:* quæ triplex syntaxis eandem retinet vim significandi; habere sibi persuasum, aut, vt Donat. interpretatur in Hecyr. Act. 2. Sc. 3.

Sc.3. *ita animum induxerunt viri, socrus omnes esse iniquas.* *Inducere animum*, inquit, *est ita tenere aliquid animo, vt non amittant*, id est, persuadere animo, Gallicè *mettre quelque chosse tellemẽt en sa phãtasie, quel n' et puisset sortir hors.* Ante *iniussi*, supplenda est ellipsis copulæ discretiuæ, *sed* aut similis pro merito sui ordinis

Sardus.] M. Tigellius Hermogenes laborabat hoc vitio, vt nunquam cantaret rogatus: sed nullum finem cantandi faceret iniussus: neq; ego id planè vitio verterim, præsertim quum homo subolfacit se ludum fieri ab alijs, vt a Franc. Rablesio audiuimus aliquando, qui quum intelligeret se ab hominib. ordinis superioris & splendidioris non tam ad cænandum, quàm ad scurrandum & iocandum accersitum, tantisper, dum accumberetur, deliciatoribus cibis deligendis solùm intentus & poculis, conticebat, facetijs omnib⁹, iocis, vrbanisque salibus, quos vltrò solebat aspergere, prætermissis. Non dissimile fuit apopthegma, quod Plutarchus scribit in vita Isocratis, ὃς μὲν ἐστίωμενος ἤ ποτε, παρὰ νικωπρέοντι τῷ Ζύπρῳ τυράννῳ πεοτρεπομενῶν αὐτὸν, τῶν παρόντων διαλεχθῆναι ἔφη, οἷς μὲν ἐγὼ δεινὸς, οὐχ ὁ νῦν καιρὸς: οἷς δὲ ὁ νῦν καιρὸς, οὐκ ἐγὼ δεινός. *i. qui quum aliquando apud Nicocreantem Cypri Regem epularetur, &, qui aderant, conuiuæ inuitarent ipsum ad quippiam differendum, respondit, quorum ego intelligentiam habeo, ijs non est commodus hic locus. sed eorum, quibus aptus est hic locus, sum planè ignarus.* Hæc interpretatio ex opportunitate temporis negata collegit etiam cõmoditatem loci incõcessam.

Per amicitiam.] Veteres solebant & iurare & obtestari nomen carissimi cuiusque sibi: quod è Sueton. in Claud. c. 11. discere licet: *Conuersus hinc ad officia pietatis, ius iurandum neq; sanctius sibi, neque crebrius instituit, quàm per Augustum.*

Ab ouo vsque ad mala.] Oui duplex est etymum Isidoro, vnum, vt a Græco fiat, quod est τὸ ὠὸν: alterum ab eo Latino, quòd sit vuidum, id est intrinsecus humore plenum. Ferunt autem veteres Romanos initium cænæ ab ouis duxisse, sicut apparet e Cic. 20. Epi. l. 9. ad Papirium Pætum, *Non cum habuisses virum, quem tu solitus es promulside conficere*, id est, satiatum hydromelide demittere) *integram famem ad ouũ affero*, quod erat initium, vt mala finis, cænarum. *Itaq; vsque ad assum vitulinum opera perducitur.* Est autem *promulsis*, quod Græci dicunt ὑδρόμελι, Gall. *breuuage confict de miel.* Item e libro 2. Athen. sed lib. etiam 14. eiusdem traditur mensis secundis oua consuêsse apponi cum turdis & carnibus leporinis, quæ omnia Græcè dicebantur τὰ ἐπιδορπίσματα καὶ μεταδόρπια.

Citaret.] Id est, acclamaret & inculcaret, & recitaret summâ vocis contentione Bacchicum carmen, cuius initium, *iò Bacche*: quam vocem ratio carminis postulat legi numero multitudinis, *iò Baccha*. Annotauimus ad hæc verba Ode 2. l. 4. *iò triumphe, iò* vocem esse ovantium & lætantium, quæ posteà 9. Epodis adhibetur. Vltima autem in *Bacche* breuis est pro longa. Ideoque quidam censent legendum *Bacchæ* per Diphthongum, vt dixi. Alij verò putant id factum a Poeta consultò, vt imperitia cantandi notaretur in Tigellio, qualis notata est Lutetiæ olim in quodã professore regio accinẽdi, *perimus, diutius, bonitatem* & alia infinita.

Modò summâ.] Sonorum tria sunt præcipua genera, φθόγγος ὕπατος, μέσος, νέατος, *summus, medius & imus*, qui sæpiùs enunciantur muliebri genere, ὑπάτη, μέση, νεάτη, vel per syncopen νήτη, vbi intelligitur χορδὴ in fidibus, vt hic in tetrachordo, quo, & voce simul, Tigellium probabile est cantasse. His autem tribus sonis Musici interijciunt alios: de quibus vide Vitruu. l. 5. cap. 4. & Martian. Capellã. l. 9. c. de Tonis, & Plut. de Musica, Definit ὑπάτη a Suida, χορδὴ Μουσικὴ βαρὺν φθόγγον ἀποτελοῦσα, *Chorda Musica grauem sonum edens.* Cui locus Plutarchi in libello de virtute morali respondet Γίνεται δ' μεσότης καὶ λέγεται μάλιστα τῇ περὶ φθόγγους καὶ ἁρμονίας ὁ μοίως· ἐκείνητε γὰρ ἐμμελοῦς οὖσα φωνὴ, παθάπερ ἡ νήτη καὶ ὑπάτη, τὴν μὲν τοῦ ὀξύτητα, τὴν δ' τοῦ βαρύτητα τὴν ἄγαν διαπέφυγεν, quem certè locũ fideliter reddidit interpres Gallicus: *Mais (la vertu) est plustost, & s' appelle milieu & moien selon la mediocritè, qui est aux sons e raccords des voix. Car il en a en la musicq, vne note & vne voix, qui s' appelle moienne, pourcè qu'elle est au milieu de la basse & de la haute, que l'on appelle Hypate et Nete se retirant de la hautesse de l'une, qui est tropaigue, & de la basseſſe de l'autre qui est trop grosse.* Itaque ima videtur quibusdam exprimere τοῦ ὑπάτου, & summa νήτου, id est, grauissimam & acutissimam. Alij interpretantur, & inter illos Cruquius per *summâ voce*, summam chordam tetrachordi dicatam Saturno Planetæ omnium supremo; & maximè idoneam cantioni concitatioti, qualis fuisse dicitur ποιμὴν & inde ποιμανίζειν, bellicum clamorem voce Stentoreâ edere, quâ cantilenæ vehementia Tigellius arguitur hîc perturbatus, quũ in more sit sedatoribus Musicis positum ab imo paullatim ad tonum summum progredi (vel potiùs æqualitatem toni perpetuam seruare) quod Græcis est μινυρίζειν, quod facit chorda ima, quæ Græcè νήτη dicitur, Lunæ Planetæ infimo destinata. Μουσικώτερος iudicet, qui dixerint rectiùs Sed his iocis iuuat illum admiscere, quem memorat Plutar. εὐ ἀποφθέγμ. Λακωνικ. de Archidamo Leuxidami filio: ἐπεὶ δέ τις αὐτῷ συνιστὰς ψάλτου, εἶπεν, οὗτος ἀγαθὸς ψάλτης ἐστίν πρὸς ἡμῖν δὲ γε ἀγαθὸς ῥωμοποιὸς, ὡς ἀδικοῦ διάφερον ἢ δι' ὀργάνων φωνὴ ἡδονὴν ἐμποιεῖν, ἢ δι' ὄψων καὶ ῥωμῶν συνουσίας. *Quum quidam Archidamo commendasset fidicinem, & dixisset eum præclarè fidibus scire. Est quoque, inquit, domi nostra egregius instructor iuris condiendi, quòd eo loco voluptas, quæ percipitur e sono instrumentorum Musicorũ, habenda sit, quo illa, quæ capitur ex apparatu iusculorum*: quod in prouerbium deductum est, ἀγαθὸς ψάλτης, ἀγαθὸς ῥωμοποιὸς. *i. bonus cantor, bonus cupediarius, dictum* in vituperium Musicæ. Huc adde illud Demarati ibidem, ψάλτης δ' ἀπροσώμενος, ὅ πάνυ (ἔφη) φαίνεται φλυαρῶν, *Quum Musicum audyisset, non malè, inquit, nugatur:* quod etiam D. Amiotus fideliter interpretat⁹ est Gallicè. *Il fut quelquefois presenta o uir chanter un musicien, qui feit fort bien, on lui demanda, ce qu'il lui sembloit, il respõdet, il mi semble que c'est vn grand amuseur de gens a peu de chose.*

Sacra ferret.] Ita hîc loquitur Poeta de Tigellio, vt Sallust. de Catilina, cuius incessus modò citus, modò tardus erat. qui moderatus esse debuisset, vti Cic. 1. de Off. docet: *cauendum autem est, ne aut tarditatibus vtamur in gressu mollioribus, vt pomparum ferculis similes esse videamur, aut in festinationibus suscipiamus nimias celeritates: quæ quum fiunt, anhelitus mouentur: vultus mutantur: ora torquentur: ex quibus magna significatio fit, non adesse constantiam.* Mos autem fuit Athenis & alibi sacra ferendi tardo incessu virginũ, quæ dicebantur Canephoræ, quasi interpretetis, Canistriferæ. Videtur Festo hæc vox facta e Latinis, *canum*, id est, genus cistæ, & *fero*, ideoq; quidã putant Canifera, scribendũ; sed verior coniunctio est ἐκ τῆς κάνης, κάνητος, quod est calath⁹ vel canistrũ & φέρω, fero, κανηφόρος: quòd sacra modò Iunonis canistro vel cistâ ferrent, vnde prouerbium Ἡραῖον βαδίζειν, *Iunonium incedere.* modò Palladis, de quibus Cicero l. 4. Oratione 9. in Ver: *Erant ænea præterea duo signa non maxima, verùm eximiâ venustate, virginali habitu atque vestitu; quæ manibus sublatis sacra quædam more Atheniensium virginum reposita capitibus sustinebant, Canephoræ ipsæ vocabantur.* De ijsdem Pausanum in Atticum *Duæ*, inquit, *virgines a templo Palladis non longè habitant,*

Eas

Eas autem Canephoras appellant Athenienses. Hæ aliquandiu apud Deam commorantur: vbi verò dies festus aduenit, faciunt noctu sacra, suis capitibus imponentes, quæ sacerdos Mineruæ dat eis ferenda: quum neque ea, quæ dat, quid det, sciat: neq; ea, quæ ferant, quid ferendum accipiant, sciant. De ijsdem quoque Ouid. 2. Metam.

Illo fortè die casta de more puellæ
Vertice suppositò festas in Palladis arces
Pura coronatis portabant sacra canistris.

Fuerunt quoque Dianæ suæ Canephoræ, vt constat ex Idyllio. 2. Theocr.

Ἦνθ' ἁ τῶ Εὐβούλοιο Καναφόρος ἄμμιν Ἀναξὼ
Ἀλσος ἐπ' Ἀρτέμιδος. (pro Εὐβούλοιο)

Venit filia Eubuli ad nos in fanum Dianæ.

Quæ verba sic scholiastes explicat: ἄρχεται διηγεῖσθαι, ὅπως ἐνέπεσεν εἰς τὸν ἔρωτα. φησὶ δὲ ὅτως ἦλθεν ἡ τοῦ Εὐβούλου θυγάτηρ Ἀναξὼ κανηφοροῦσα τῇ Ἀρτέμιδι, καὶ τὸ μυστικὸν ἄγουσα τῇ Θεῷ: Εἰώθασι γὰρ τῇ Ἀρτέμιδι κανηφορεῖν αἱ μέλλουσαι γαμᾶσθαι, ἐπὶ ἀφοσιώσει τῆς παρθενίας ἵνα μὴ νεμεσηθῶσιν ὑπ' αὐτῆς. τὰ δὲ μυστήρια ταῦτα, Ἀθήνησι πολιτεύονται. Κανηφόρουσι δὲ τῇ Ἀρτέμιδι αἱ ὥραν ἔχουσαι γάμου, ὥστε ἀπολογούμεναι περὶ τῆς παρθενίας τῇ Θεῷ. ἵνα μὴ ὀργισθῇ αὐταῖς μελλούσας τὸ λοιπὸν φθείρεσθαι, ἢ παρὰ Μενάνδρῳ, αἱ κυίσκουσαι ἐπικαλοῦσι Ἄρτεμιν ἀξιοῦσθαι συγγνώμης, ὅτι διεπορήθητε, id est, *incipit enarrare, quomodo incidit in amorem. Dicit autem sic: venit filia Eubuli in nemus Anaxo canistrum ferens Dianæ, & pompam celebrans & traducens Deæ. Consueuerant enim virgines nupturæ canistra dona Dianæ ferre, liberationem virginitatis* (id est, vt animum exsoluerent religione virginitatis seruandæ, vnde petebant exauctorari) *ne in ipsius indignationem incurrerent* (de his vide Dion. Halicarn. l. 2. Antiq. Rom.) *Hæc autem sacra celebrantur Athenis. Ferunt autem virgines canistra Dianæ sub horam nuptiarum, tanquam excusationem virginitatis* amittendæ *afferentes Deæ, ne ipsis in posterum corruptis irascatur. Est quoque apud Menandrum Poetam: vos grauidæ opem Dianæ imploratis, vt vobis ignoscat violatam virginitatem.* Fuerunt postremò Canephoræ Cereris, vt dicetur Sat. 8. lib. 2. ad hunc locum:

----- vt Attica virgo
Cum sacris Cereris procedit fuscus Hydaspes
Cacuba vina ferens.

Modò reges.] Non incommodè diceretur hæc phrasis speciem quandam proverbij præ se ferre, quale Aristophanes in pace, Συβαριζειν, de Sybaritica mensa, vel Syracusana pro opiparè, prælautè & genialiter viuere, videtur vsurpare.

Tetrarchas.] Hæc vox est Græca, sicut τετραρχία, quæ quamuis definiatur administratio, vel partis quartæ alicuius regni, vel quattuor prouinciarum, tamen Hesychio τετράρχαι sunt οἱ βασιλεῖς, reges, quomodo sanè Herodes in nouo fœdere ἡ τετράρχης ἡ βασιλεύς & tetrarcha & rex vocatur.

Omnia magna loquens.] Dicitur Græcè μεγαλορρήμων ἢ μεγαλόγορος περὶ τῶν τετραρχῶν, καὶ βασιλέων. Martial syntaxi nostri Poetæ vtitur: *Theatra loqueris & gradus & edicta.* Gall. *Tu ne parle que de teles choses: sic* hoc loco: *Tigellius ne parle tantost, que de viure magnificquemẽt & cõme un Roi & Prince: tantost bient petiment cõmele populaire.*

Mensa tripes.] Talis mensa, reliquusque apparatus pertenuis describitur ab Ouid. Metamor. 8.

Vestibus hunc velant, quas non nisi tempore festo
Sternere consuêrant: sed & hæc vilisque vetusq;
Vestis erat, lecto non indignanda saligno.
Accubuêre Dij: mensam succincta tremensq;
Ponit anus: mensæ sed erat pes tertius impar:
Testa parem fecit.

Qualis fuit Ode 16. lib. 2.

Salis puri.] Hæc salis puritas ad simplicem & tenuẽ victum, vt hîc purum dicatur simplex, cui nihil admixtum sit, non ad conditum referenda est, cui non nihil accedat opsonij: appositè tamen ego ausim hãc salis puritatem etiam referre, vt illud Persij Saty. 3. *Purum Salinum*, Ode. 16. l. 2. annotatum, non modò ad mundam victus tenuitatem sine admixtione: sed ad naturam etiam salis, σύνεργον τι πρὸς quam Plutarch. l. 5. sympos. probl: cap. 10. describit, afferens rationes, cur Homerus salem dixerit diuinum. Hanc autem inter alia affert e loco similium: *quemadmodum anima, quæ pars est hominis maximè diuina, conseruat animantia; nec finit molem corporis diffluere: est sic vis salis, vt hic cadaueribus adhibitus instar animæ, illa tendentia ad corruptionem firmiter retineat ac faciat durare ἀσηπτα καὶ μόνιμα.*

Quæ defendere corpus. Id est, quæ possit a frigore corpus meum defendere depulsione cæli frigidi: quo modo loquitur Corydon in 7. Eclog.

Dum teneras defendo a frigore myrtos.

Quamuis.] Est hîc ἐπιτατικὸν pro quantumlibet crassa, quam Suetonius pinguem dicit in Octau. cap. 82. *Hyeme quaternis cum pingui toga tunicis & subuculæ thorace laneo & feminalibus & tibialibus muniebatur.* Ita pingues tunicas Martial. & pingues lacernas Iuuenalis. Tale indumentũ Hom. Ὀδυσ. ξ vocat χλαίναν & Eustath. interpretat τραχεῖαν κατὰ τὸ χειμῶνος παρὰ τὸ χλιαίνειν *crassam contra frigus a tepefaciendo dictam*: ὁποιάτις ἢ μὴ μόνον ἀλεξήνος λεγομένη, ἀλλὰ καὶ χειμαίμυνα. ἐκεῖνο μὲν διὰ τὸ ἀλέγειν, ὃ ἐστιν ἀποσοβεῖν τὸν ἄνεμον· τοῦτο δὲ διὰ τὸ ἀμύνειν τὸ χεῖμα· *quæ quidem non solùm dicitur alexenos, sed etiam cheimamyna: illa a verbo, quod est arcere ventum: hæc ab altero, quod est propulsare frigus.*

Decies centena.] Ellipsis est duplex prior si dedisses: posterior sestertium millia, & sic expletur decies cẽtena millia nummûm, vel sestertiûm, quæ Budæus reducit ad 25000. Gallicorum coronatorum, vbi decies centena multò Latiniùs dicitur a Poeta, quam ab Interpretibus decies centum, vt alibi notauimus.

Huic parco.] Parcè, scilicet, viuenti & paucis contento.

Quinque diebus.] Terminus temporis hîc significatur, qui per *quando* intelligitur, ideóque in sexto tantùm ponitur, quem non ego explico per *intra quinque dies*, vt quidam: quia hoc significat tempus quinque dierum nondum confectum: sed illud indicat quinque dies iam terminatos, qui sic Gallicè exprimuntur: *Au bout de cinq iours il ni auoit rien en la bourse.* Contrà spatium temporis per *quamdiu* intellectum significatur hîc quarto casu, *noctes vigilabat & diem totum flebat.* Sic Teren. Eunu. Act. 5. Sc. 9. Vers. 49. de Thrasone: *flentit noctesq; & dies*: vbi scribit Donatus: *plus dixit quàm dormit.* Idem, *plus significat, quàm si diceret diebus & noctibus*: quia sexto casu temporis terminus, *vt modò quinque diebus nihil erat in loculis*, significatur, vt quarto spatium eiusdem, sicut iam dictum est. Paullò insolentius loquitur Sueton. in Tiber. c. 60. *in paucis diebus, quam Capreas attigit, iussit faciem perfricari piscatori eodem pisce*, pro, paucis diebus, ex quo Capreas attigit.

Nil erat in loculis.] Sæpiùs pluraliter vsurpatur, vt apud hunc ipsum: *Nummum demittere in loculos*, Græcè μαρσύπιον vel μάρσυπος. Talis bonorum helluo fuit Antonius Ciceroni 2. Philippicâ: *Quonam modo illa tam multa quàm paucis, non dico mensibus, sed diebus effuderit: maximus vini numerus fuit, permagnum optimi pondus argenti, preciosa vestis, multa & lauta suppellex & magnifica multis in locis. Horum paucis diebus nihil erat.*

Nihil sic impar.] Ob talem inconstantiam & morum inæqualitatem aptissimè in eum quadrabit Prouerb.

Græcum

Græcum σύρειπος ἄνθρωπος, qui instar freti, marisque angusti (quale dicitur esse illud inter Aulidem Bæotiæ portum, & Euboeam Insulam, quod intra vnum diem & noctem septies tanto recurrat impetu, vt naiigia repugnantib. ventis plena secum abripiat) æstu quodam animi huc atque illuc iactatur. Hoc autem idem quod superius, *nil æquale homini fuit*, pro, nil tam a se dissentit & discrepat, quàm hic cantor sibi malè constat, cui magnam adesse intemperantiam argumento est peruersus naturalis ordo noctu vigilandi, & interdiu dormiendi. Ea fuit natura, id ingenium Stephani Iodalli, Parisiensis Poetæ, cuius mentionem fecit P. Ramus, in Grammatic. Francica, atque ipse qui hæc scripsi, oculatus sum testis talis ingenij & instituti. Audio quoque Iubertum Doct. Med. Monspessulanum, non dissimili fuisse ingenio. Lampridius de Heliogabalo, ait, *Traiecit & dierum actus noctibus, & nocturnos diebus, æstimans hoc inter instrumenta luxuriæ: ita vt serò de somno surgeret, & salutari imperet, manè autem dormire inceptaret.* Huiusmodi vocat Seneca Lychnobios, & Lucifugas epist. 122. tanquam diceres Lucernauos, qui diem in noctem, & hanc in illum per intemperantiam conuertunt. Horatius autem posterius notauit verbo stertendi sæpiùs in malum accepto, vt Satyr. 5. huius libri, *supinus stertit*, quod Græcè dicitur ab Aristophane in Equi. ῥέγκει μεθύων ἐν ταῖσι βύρσαις ὕπτιος· *stertit ebrius in coriis supinus*, Scribitur etiam verbũ Græcum ῥέγχω & fortasse meliùs, quod videatur factũ παρὰ τὸ ῥινα ἠχεῖν, *a nare sonante*, vnde ῥόγχος, editus ille nasi sonus, quam vocem donauit Martialis Latinitate lib. Epig. 32. *Maiores nusquam ronchi*, vt Plautus ῥονχάζειν. *cyathissat, dum canat: dum dormit, ronchissat.* qualis notio cognoscitur e tertia Epist. ad Att. lib. 4. *Marcellus candidatus ita stertebat, vt ego vicinus audirem.*

Ad ipsum manè.] Μέχρι πρὸς τοῦ πρωΐ ἢ τὸ ὄρθρον id est, πανύχιος μὲν ἐγρηγορεῖ. Γαυνιμέριος δ' ἔρρεγχε. Latina autem vox *manè* nascitur a prisco adiectiuo *manus, a, um*, quod est *clarum*, vt Macrob. l. 1. Sat. ca. 3. vbi vide duplicem huius vocis rationem. Sic apertè a Persio substantiuè sumitur, *iam clarum manè fenestras intrat.*

Mænius.] Quidam legunt Mæuium, in quem scripsit 10. Epodos: de quo etiam Virg. Ecl. 3.

Qui Bauium non odit, amet tua carmina, Mæui,

Alij malunt Mænius, de quo in Gramm. Sat. 1 qui fuit facetus & vagus scurra, de quo etiam dicitur Ep. 15. ad Vallam. Catul. in Epigr. facit Suffenum huiº Mænij simillimum ad Epigramma:

Suffenus iste, Vare, quem probè nôsti.

qui locum dedit proverbio *ni mihi Suffenus essem*, id est, nisi mihi ipsi placerem nimium, nec stultè me ipsum admirarer, acerrimus alioquin alieni vitij censor, in proprio maxime cæcus.

Ignoras te.] Propriè ignorare est nescire: sed hîc vt sæpè in aliis scriptoribus probatis, ad personas relatum pro non cognoscere, & mores alicuius parùm spectatos & cognitos habere, quod tamen, quum fit ita, tropus videtur esse in *te*, vt in alijs personarum vocibus, tanquam subiectis pro adiunctis moribus, affectibusque prauis vel contra, vt in Teren. Eun. Act. 5. Sc. 9. *isti*, id est. Chærea, & Phædria, *ignorabant te*, id est, non cognoscebãt Thrasonem, vt lib. 4. ad Attic. *Idem, mi Tite Pomponi, quod ne tu quidem ignorabas*, Item Plaut. in Amphit. *Ignorant me omnes*, id est: non cognoscunt, qui sim, vt dare verba est decipere, quibus binis est vsus Cic. Phili 13. *Scilicet verba dedimus, decepimus: ignorabat legio Martia quarta, nescieuant veterani, quid ageretur.* Rationem autem dedit Donat. in And. ad hæc verba: *Cui dare verba difficile est*, cur dare verba pro decipere sumatur: *quia* inquit, *qui rem exspectat, & nihil præter verba inuenit, deceptus est.* Ita Græci λόγους λέγειν videtur vsurpare: quod Terent. imitatur Phorm. Act. 3. Sc. 2. PH. *Fœnoratum isthuc beneficium tibi pulcrè dicet.* D. *logi* id est, verba sunt inania & mendacia, fabulæ, ita quoque Cic. pro Balbo: *Ego scio omnes logos*, id est, dicta ridicula. Galli interpretantur: *ie cognois tou tes ces bourdes & belles paroles.* Ex verbis Dempsthenis λόγος ταῦτα καὶ παραγωγὴ καὶ πράγματος ἐστί. *hæc sunt verba & fallacia a re proposita deducens* (*auditorem.*) Sic Theognis vers. 254.

Ἀλλ' ὥσπερ μικρὸν παῖδα λόγοις μ' ἀπατᾷς.

sed vt tenello puero, mihi das verba.

Sic idem geminat ψεύδεσθαι καὶ παραγωγὰς λέγειν. Ita sumitur *inane nomen* Epi. 17. lib. 1. *aut virtus nomen inane est*, cui opponitur *opus* etiam apud Græcos, vt apud Eurip. in Orest. ὄνομα γὰρ, ἔργον δ' οὐκ ἔχουσιν οἱ φίλοι. *Illi enim amici nomen quidem habent, sed rem minimè*, vel, *illi sunt verbis, non opere, amici.*

Christiana charitas non in verbo sed in re ipsa consistit. 1. Ioan. 3. v. 18. τεκνίαμου, μὴ ἀγαπῶμεν λόγῳ, μηδὲ γλώσσῃ, ἀλλ' ἔργῳ καὶ ἀληθείᾳ, *id est, filioli mei, ne diligamus verbo, neq, linguâ solum, sed opere ac veritate.* Hic vult Apostolus Christianos admonitos, non esse satis ad charitatem, si verbis illam præ nobis tantum feramus, sed eandem factis & beneficentiâ, omnique aliâ ope demonstremus.

Egomet mî ignosco.] Sic *mî*, pro *mihi* vsurpat Virg. 6. Aen. *Et mi genus ab Iove summo*: nonnũquam est vocandi casus pro *meus*, *o mi Æschine, mi patrue salue.* Ignoscere porrò est pœnam alicuius peccati prætermittere: quod etiam si in cæteris rebus tolerabile est, in hac sui cognitione pniciosum est. Ideoque sapiens Chilon dixit apud Laertium: τὸ γινώσκειν ἑαυτὸν χαλεπώτατον εἶναί τι· πολλὰ γὰρ ὑπὸ φιλαυτίας ἔπαθον ἑαυτῷ προστιθέναι quæ sic descripta fuit Ode 18. lib. 1.

------ Cæcus amor sui
Et tollens vacuum plus nimio gloria verticem:

Stultus amor.] Sic Apollonius cum Satyro agebat, οἱ πόλλοι τῶν ἀνθρώπων τῶν μὲν ἰδίων ἁμαρτημάτων συνήγοροι γίνονται, τῶν δὲ ἀλλοτρίων κατήγοροι. *Plerique quidem homines sua peccata excusant, sed aliena grauiter accusant:* ex quo sui vesano amore reuerà oriuntur peccata omnia, sicut Plato dicebat 5. legũ, & consulebat, vt quum alios irridere statuerimus, in nos ipsos conuertamus oculos, & consideremus, ne nos ipsi etiam ijsdem vitijs laboremus: amor enim sui multa occultat & obtegit. Litera Græca est eiusmodi: τὸ δὲ ἀληθείᾳ γε πάντων, ἁμαρτημάτων διὰ τοῦ σφόδρα ἑαυτὸν φιλίαν αἴτιον ἑκάστῳ γίγνεται ἑκάστοτε καὶ συμβουλεύειν, ὅτε καταγελάσομεν τινῶν ἐπιστρέφειν ἐφ' ἑαυτοὺς, καὶ σκοπεῖν, μὴ καὶ αὐτοὶ τοῖς αὐ αὐτοῖς ἐκείνοις ὦμεν ὄχοι. πολλὰ γὰρ τὸ φίλαυτον ἐπιπρύτωσα, καὶ περιβάλλει· τυφλοῦται περὶ τὸ φιλούμενον ὁ φιλῶν. *Is enim, qui amat, circa id, quod amat, sanè obcæcatur.* De tali amore sic in quadam Epistola loquitur, *nisi me communis φιλαυτία decipit.* Ibidem rursus Plato, φίλος αὐτῷ πᾶς ἄνθρωπος φύσει τε ἐστὶ καὶ ὀρθῶς ἔχει· id est, *amat se quisq, naturâ & in se bene affectus est.* Ita Theognis summæ stultitiæ insimulat eum, qui mentem alienã quàm maximè intentis oculis (vt aiunt) acerrimè contempletur. In sua autem, si quid errauerit, ὀφθάλμοις παραβλῶψι, *strabis & limis conniuendum* arbitretur.

Νήπιος ὃς τὸν ἐμὸν μὲν ἔχει νόον οὐ φυλακῆσι
Τὸν δ' αὐτὸ ἰδίου ὄλεν ἐπιστρέφεται.

Stultus quidem est, qui mentem meam obseruat,
Sed in suam non oculos conuertit.

Similis est animaduersio festucæ in oculo fratris in Euangelio Matthæi.

Dignus notari.] Id est, dignus animaduersione & reprehensione.

Peruideas lippus.] Interpretatio est Menandri, τί τὸ ἀλλότριον αὔθρωπε βασκαίνωτε πανὸν ὀξυδερκεῖς, τὸ δ' ἴδιον παραβλέπεις: *qui ô homo inuide cernis acutè alienum vitium & proprium occæcatè?* Eódem spectant eiusdem senarij.

Απαντες ἐσμὲν εἰς τὸ νουθετεῖν σοφοί,
Αὐτοὶ δ' ἁμαρτάνοντες ὃ γινώσκομεν,
Alios monere, si quid errent nouimus
Errata at ipsi nostra non cognoscimus.

Etsi hoc verbum plenioris est inspectionis ex illo Cic. 4. ad Att. Epist. 11. *Ibi te igitur videbo & peruidebo*. hîc tamen e sententia quorundam multum de sua perfectione remittit ex accessione aliarum vocum, vt ferè in hac structura respondeat verbo Græco, παραβλέπειν, conniuenter, vt ita dicam, & dissimulanter aliquid intueri: cui oppóitur ἀτενίζειν καὶ ἀτενὲς ὁρᾶν, ὀξυδερκεῖν, *defixis oculis & intentis inspicere*: tamen Henricus Stephanus vim verbi mauult retineri: quod equidem probo, modo εἰρωνικῶς explicetur. Lippus autem, qui Græcè λημαλέος dicitur, & morbus λήμη & lippitudo gignitur e nimio & vitioso deflexu pituitæ in oculos: quorum sæpè palpebræ agglutinantur, vt homo sic affectus cogatur conniuentibus & semiclausis oculis aliquid intueri: ad cuius morbi sanationem adhibent medici Collyria: de quibus vide illorum scripta: quę sic dicuntur διὰ τὸ τὸν ῥοῦν κολύειν, quòd oculos deflexu prohibeant, vel potiùs, quia valent etiam ad alias affectiones sanandas, atque ad fluxiones inhibendas, παρὰ τὰς κολαβὰς ὑγράς, quia propter formam teretem & oblongam sunt similes caudis mutilatis & ita scribuntur per vnicum λ & υ licet passim reperiantur per geminum λλ & per υ.

Cernis acutum.] Hellenismus διὰ τῆς ἀντιμεσίας, nomen pro aduerbio: acutè & acriter intueri: quod Græcè dici ἀτενίζειν modò docuimus, quod etiam exprimas, ὀξὺ βλέπειν, *acie visus pollere*, vt de homine visus acerrimi ὀξύτερον βλέπων τοῦ λυγκέος, *acutiùs cernens Lynceo*, quomodo Cic. dicit lib. 8. Epist. 4. *nisi nostri equites acutiùs vidissent*: quem seusum Plato sic describit in Phædro, ὄψις ἡμῖν ὀξυτάτη τῶν διὰ τοῦ σώματος ἔρχεται αἰσθήσεων. Serv. in v. Aen. 5. sub initium *mutati transuersa fremunt*, hanc antimeriam vocat mutuum nominis & aduerbii transitum in se, *vt rauca sonant, cras hesternum iam consumsimus* & similia dę quibus locum consulere poteris.

Quàm aquila.] Vox Latina nomen videtur inuenisse a colore aquilo, id est, subfusco, sicut Græca ἀετὸς παρὰ τὸ ἀέσθαι, pro ἄησθαι *flare*, quòd flatus & ventos celeritate volatus videatur adæquare. Verùm hæc Etyma non confirmant aciem oculorum in aquila: cuius quum Plin. l. 19. c. 3. sex faciat genera; sextum videtur hic intelligendum, quod Græci dicunt, & Latini retinent ἁλιάετον, haliætum tanquam diceres aquilam marinam cæteris præstantem acutes & perspicacibus oculis, e quorum acumine hæc cognoscit pullos esse suos: de quo vide præter citarum etiam Arist. hist. Animal. lib. 8. cap. 1. Atque sic prætercà intellige locum Homeri. Iliad. ρ.

Ὡς ἄρα φωνήσας ἀπέβη ξανθὸς Μενέλαος
Παντόσε παπταίνων, ὡς τ' αἰετὸς, ὃν ῥά τε φασὶν
Ὀξύτατον δέρκεσθαι ὑπ' ἠερίων πετεινῶν,
Sic locutus abijt flauus Menelaus
Vndique circumspectans, vt aquila, quam dicunt
Acutissimè cernere aeriarum volucrum.

Serpens Epidaurius.] Ferunt Draconem Minerue Glaucopidi sacrum, nedum Aesculapio Epidauri culto, quæ est vrbs Plin. & Strabo ac reliquis Geographis in sinu Saronico Peloponesi sita. Quantò autem valeat acumine oculorum, liquet ex Apoll. Arg. 4. de Dracone custode velleris aurei, ὀξὺς αὔπνοισιν ὄφις ὀφθαλμοῖσιν, *serpens acutum cernens pernigilibus oculis*. Ita dicitur ab Hom. Iliad. β. δράκων σμερδαλέος, id est, ὄψις καταπληκτικὸς, *horrido & terribili aspectu*. Item a Nicandro in Theriacis, λόξον ἐπόδραξ ὄμμασιν λοξοῖσιν, *obliquis & toruis oculis intuens*, vbi describitur illius pugna cum aquila, vt apud Plin. l. 10 c. 4: cuius etiam Poeta meminit Od. 4. l. 4. *ales fulminis in reluctantes dracones*. Neq; verò est magnopere laborandum in auctoribus citandis ad perspicacitatem huius bestiæ indicandam, quæ nobis satis elucet in etymo vocis. Δράκων γὰρ παρὰ τὸ δέρκειν λέγεται κατὰ τὴν μετάθεσιν literarum, ὅτι ἐστὶν ὀξὺ βλέπειν, *quod est acerrimè cernere*, vnde ὀξυδερκὴς, τοῦτ' ἐστιν, ὀξυωπὴς, *qui est aspectu acuto & lynceo*, ὄφις quoque a simili facultate cernendi nominatur. Id enim sonat τὸ ὄπτεσθαι. Ex eadem perspicacitate visus nominatur μαθητέια, discipula quædam puella Actor. 9. sub finem δορκὰς, sine metatheſi literarum eiusdem verbi δέρκειν, cui respondet verbum Hebraicum *nibach*, id est *raach*, vidit, vnde eadem Hebraicè *Tabytha* vocatur & prophetæ *nebihim*.

At tibi contrà.] Hic *contrà* vim habet negationis, pro, sed non oculi amicorum in te conijciuntur, vt in te, quomodo viuas, inquirant. Sic Philipp. 11. *occulta erant vitia Dolabellæ non inquirenti Ciceroni. Tu certè es multò vitiosior, qui auarus auaros, gloriosus gloriæ cupidos reprehendis. Stultus igitur & improbus est iste amor: quia proprium stultitiæ dicitur aliorum vitia cernere & obliuisci suorum.*

Iracundior.] Ita Socrates hominem rusticum conferebat cum vino austero: οὐδ' αὐστηρὸς οἶνος εἰς πόσιν σύνετος, οὐδ' ὁ ἀγροικὸς τρόπος εἰς ὁμιλίαν· *neque vinum austerum aptum potioni, neque mores agrestes congressibus hominum, consuetudinique humanæ*. Reperiuntur codices, vbi hæc per interrogationem pronuciantur, vt Cruquius diligenter obseruauit. *Aliquis est paullò iracundior?* cui subijcitur illatio, is ergo ineptior habendus est, quàm seueros censores morum, nasutosque irrisores ineptiarum ferre possit: quos ætas nostra extulit: ea videtur esse vis τῆς *horum* emphatica.

Minus aptus.] Valet idem, quod ineptior, quam vocem sic Cic. describit 2. de Orat. *Quem enim nos ineptum vocamus, is mihi videtur ab hoc nomen habere ductum, quòd non sit aptus, idque in sermonis nostri consuetudine perlatè patet. Nam qui aut, tempus quid postulet, non videt, aut plura loquitur, aut se ostentat, aut eorum, quibuscum est, vel dignitatis, vel commodi rationem non habet, aut denique in aliquo genere aut inconcinnus, aut multus est, is ineptus dicitur*, qualis habebatur Diog. Cynicus, vt est Epist. 17. ad hæc verba, *sine viuat ineptus*. ideoq; Donat. in Adelph. Terent. ad hæc verba, *vestitu nimiò indulges, nimiùm es ineptus* Act. 1. Sc. 1. *ineptum*, ait, *dici, quod a quouis reprehendi potest*, non male verteretur τὸ Ineptus per τὸ ἀφυὲς ex his locis, primo epistolæ. 7. Platonis, ὃν ἐστὶν ἀφυὲς πρὸς τὴν τῆς μανθάνειν δύναμιν. 1. *non est ineptus ad facultatem percipiendæ disciplinæ*, altero Isocratis epistol. 4. ad Philipp. πρὸς μὲν τὰς ἄλλας χρήσεις καὶ διαγωγὰς, ἀφυεῖς, παντάπασιν. 1. *quum ad alios vsus & actiones prorsus omnino inepti, nec habiles essent*. Tertio Xenophontis, ἀφυὲς πρὸς τὸ φιλοπόλεμον. 1. *ad rem quæstuariam minimè natus*, notatio autem illa τῆς Ineptus a Cicerone sumta est e loco adiunctorum.

Rideri potest.] Est ellipsis particularum, *ita, vt rideri possit.*

Ed,

Eò, quòd.] Pro hoc dicet Epist.19 lib.1. ideo quòd, sed seorsim,

At ne me foliis ideo breuioribus ornes,
Quòd timui mutare modos & carminis artem.

atque pro his Terent. Heaut. Act.3. Sc.1. dicit, *an eò fit, quia in re nostra aut gaudio sumus præpediti nimio, aut ægritudine?* & ibid. Act.5. Sce.3. *id, quòd est consimilis moribus, conuinces facilè ex te natum.* Idem Act.3. Sc.3. Hecyr. *Illico omnes simul, lætæ exclamant, venit: id, quòd me repente aspexerant,* in quibus postremis Donat. admonet τὸ propter deesse, vt sit, propter id, ac per hoc, ideo, quòd me repente aspexerant.

Toga desluit.] Non video, quî fluxa toga vitio vertenda sit Augusto, quum laxa toga diuitibus & honoratis: angusta verò & arcta tenuibus & priuatis valdè sit cõcinna & apta, vt docuimus in 4. Epod. Sic Prop. dicit se ornaturum Bacchum lib 3. Eclog.15.

Lauis odorato ceruis manabit oliuo,
Et feries nudos veste fluente pedes.

Sed fortassè vitium est in rustica inconcinnitate illius gestandæ, & agresti tonsura: quum toga dependet negligenter, minusque rectè humeris sedet: atque comâ inæqualiter tonsa est. Interpretes vel ex auditione, vel lectione quadam commemorant Augustum hîc ἀρυπαστικῶς vellicari: quod indecenter gestaret togam, & tonsore vteretur imperito quem appellabit inæqualem epistolâ lib.1. & hæc vitia dicet in se notari a Mæcenate: Ex Asconio tamen Pæd. in diuinationem discimus togam communem esse habitum marium & fœminarum: sed prætextam honestorum, togam viliorum, vt apparet e lib.7. Lucani de Cæsare sic loquentis sub ipsius personâ,

Ipse ego priuata cupidus me reddere vitæ,
Plebeiâq; togâ modicum componere cinem.

Quomodo etiam Seneca loquitur de L. Sylla l.1. c.2. de Clementia, eademque vtitur voce, *L. Syllam appellari Tyrannum quid prohibet? cui occidendi finem fecit inopia hostium, descenderit licet e dictatura sua, & se togæ reddiderit,* &c.

Laxus.] Quidam putant in Virgilio hæc vitia; iracundiam, morositatem, negligentiam cultus notari: probitatem verò & amicitiam, ingenijque magnitudinem valdè probari. Rusticitatem autem ipsam & inurbanitatem, ἀγροικίαν Aristot in Eth. ponit in Ellipsi τῆ σὺν τραπελίᾳ, vt βωμολοχίαν scurrilitatẽ in eiusdem hyperbole.

Malè haret.] Qui certè perperam sibi calceos inducit, & pede maiores, quum incedit, sæpiùs subuertitur. Hîc *malè* cum verbo debet construi.

Inculto. Hæc sententia videtur depromta e *Captiuis Plauti, vt summa sæpè ingenia in occulto latent*; qualem citat Cic. in Tusc. e Cæcilio, *sæpè est etiam sub pallio sordida sapientia.* Quanquam autem hæc dicuntur ad excusationem cultus indecentis! ille tamen ornatus inter luxum & rusticitatem concessus addit homini dignitatem & auctoritatem, vt Odiss. ζ. ex veste mutata Vlyssis perspici potest. Quod hîc Horatius monet de leuibus amici peccatis æquo animo ferendis alteri amico, Porphyrio scribit petitum e prouerbio, cuius Paræmiologus Græcum suppleuit e sententijs Græcorum,

φίλε τρόπους γίνωσκε, μισήσῃς δ' οὐ μή. i.
Amici mores noueris, non oderis.

Eodem D. Paulus inuitat Galatas c.6. ἀλλήλων τὰ βάρη βαστάζετε, καὶ οὕτως ἀναπληρώσατε τὸν νόμον τοῦ Χριστοῦ. i. *alij aliorum onera portate & sic complete legem Christi.*

Te concute.] Sæpiùs hæc inquisitio effertur per alteram coniunctionẽ, excute te, pro diligenter & exactè expende & examina, nunquid tibi vitij naturâ sit ingeneratum, vel malâ consuetudine contractũ. Qualis inquisitionis exemplum habes in oratione p̃ Roscio Amerino, *nihil est Glaucia, quod metuas: non excutio te, si quid forte jeni habuisti, non scrutor.* Qualis etiam perscrutationis exemplum est epist. 16. Senecæ, *Non est, quod tibi ritò & facilè credas: excute te, & variè scrutare & obserua, illud antè omnia vide, verum in Philosophia, an in ipsa vita profeceris. Non est Philosophia populare artificium, nec ostentationi paratum, non in verbis, sed in rebus est. nec in hoc adhibetur, vt aliqua oblectatione consumatur dies: vt dematur otio nausea, animum format & fabricat: vitam disponit: actiones regit: agenda & omittenda demonstrat: sedet ad gubernaculum, & per amicitia fluctuantium dirigit cursum: fine hac nemo securus est: innumerabilia accidunt horis singulis, quæ consilium exigunt, quod ab hac petendum est,* &c.

Numqua vitiorum.] Grammatici tradunt *quù* in coniunctione præcedens habere τὸ æ, in fæm. & in neut. plur. sed consequens habere τὸ a, *ut numquis numqua siquis siqua aliquis, aliqua.* Hæc autem rectio vitiatior est Græcis, quàm Latinis, pro, num aliqua vitia: sic Plin. Epist.16 lib.3 *Nec vitia si qua sunt, celant.*

Consuetudo mala.] Quanta sit vis consuetudinis (quę nihil aliud, atque longi temporis vsus est) Aristoteles 3. cap. de Memoria & Reminiscentia ostendit, vbi dicit ὥσπερ φύσις ἤδη τὸ ἔθος. *Consuetudo vtique vt natura est:* Idem 1. Metaphys. affirmat, sed longè clariùs 7. Ethic. ad Nicom. cap. 10. adducto Eueni Poetæ Parij testimonio: ῥᾷον ἔθος μεταμανθάνει φύσεως, διὰ γὰρ τοῦτο καὶ τὸ ἔθος χαλεπὸν, ὅτι τῇ φύσει ἔοικεν: ὥσπερ καὶ Εὔηνος λέγει,

φημὶ πολυχρόνιον μελέτην ἔμεναι, φίλε καὶ δὴ
Τοῦτον ἀνθρώποισι τελευτῶσαν φύσιν εἶναι.

Facilius est consuetudinem mutare, quam naturam, ideoque difficilis est quoque consuetudo mutationis, quia similitudinem habet naturæ quemadmodum Euenus inquit:

Affirmo amisè, consuetudinem *diuturnam exercitationem esse,*
Illamq; tandem hominibus in naturam euadere.

De qua hic Seneca lib.5. de benef. cap. 21. *multa legem non habent, nec actionem; ad quæ consuetudo vitæ humanæ omni lege valentior dat aditum.* de eadem lege Epist. 112. Item lib. 2. de ira. Huc accedat illud Marij apud Sallustium, *mihi, qui omnem ætatem egi, benefacere tàm ex cõsuetudine in naturam vertit.*

Quidam verò hîc duplicem consuetudinem constituunt, vnam vitæ quotidianæ cum malis, quâ familiaritas augetur & animi corrumpuntur, qualẽ e Menãdro D. Paulus vsurpauit 1. Cor. c.15. v.33. & hoc vsu eandem sanctificauit, vt Tertullianus loquitur:

φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι πονηραί.
Corrumpunt mores bonos congressus mali.

Qualem etiam Theognis sub initium sententiarum suarum:

Ταῦτα μὲν ὅστις ἴδοι, Κυνοῖσι ἢ μὴ προσομίλεε
Ἀνδράσιν ἀλλ' αἰεὶ τοῦ ἀγαθοῦ ἔχεο,
Καὶ μετὰ τοῖσιν πῖνε καὶ ἔδε, καὶ μετὰ τοῖσιν
Ἷζε, καὶ εὐφήμει τοῖς ὧν μεγάλη δυνάμις.
Ἐσθλῶν μὲν γὰρ παρ' ἐσθλὰ μαθήσεαι· ἢν δὲ κακοῖσι
Συμμίσγῃς, ἀπολεῖς καὶ τὸ ἐόντα νόον.
Ταῦτα μαθὼν ἀγαθοῖσιν ὁμίλει, καὶ ποτε φήσεις
Εὖ συμβουλεύειν τοῖσι φίλοισιν ἐμέ.

Hæc quidem sic habeto nulla tibi intercedat familiaritas cum improbis:
Sed a latere bonorum nunquam discedas,
Atq; cum his bibas & comedas & edeas.
Et placeas his, quibus est magna potestas.

Nam a bonis disces bona. Quòd si malis
Familiariter vtaris; perdes etiam præsentem mentis
statum.
His intellectis adiunge te bonis, & dices olim
Me amicis rectè consulere.

Hanc quoque sententiam Clemens Alexandrinus nobilitauit, & ad locum Psal. 18. accõmodauit, *Cum sancto sanctus eris, cum peruerso peruerteris,*

Te bona namq; boni, si vnà versare, docebunt:
Praui sed periment, quod fuit, ingenium, hæc est interpretatio distichi tertij carmine. Hic tamen psalmus est eiusdem argumenti, cuius est cap. 22. l. 2. Sam. & vtrobique Deus prædicatur exhibere se benignum cum benigno, & gerere se integrum cum integro, purum cum puro: sed contrà idem dicitur eluctari cum peruerso & vincere: Alteram consuetudinem peccandi, vnde Mitio semper studuit Aeschinum abstrahere. *Nam qui mentiri aut fallere insueuit patrem, aut audebit, tantò magis audebit cæteros.* Vtramque autem prophani scriptores ideo vetarunt institui, ac primò Theognis his versibus, quòd

Οἱ κακοὶ, ὃ παύτως κακοὶ ἐκ γαςρὸς γεγόνασιν,
Ἀλλ' ἀνδρεσι κακοῖς συνθέμενοι φιλίεο.
Homines non planè mali ex vtero prodierint.
Sed malorum familiaritate tales facti sint.

Suetonius in Tiberio cap. 68. videtur distinguere vitia naturæ a vitijs animi, quum memorat ipsius staturam, membra & incessum: *incedebat*, inquit, *ceruice rigidâ & obstipâ, adducto ferè vultu, plerumq; tacitus, nullo aut rarissimo, etiam cũ proximis, sermone, eoq; tardissimo, nec sine molli quadam digitorum gesticulatione: Quæ omnia ingrata, atque arrogantiæ plena & animaduertit Augustus in eo, & excusare tentauit sæpè apud Senatum & populum, professus naturæ vitia esse, non animi.* Illa certè coniunctionem habent & propensionis naturalis & malæ consuetudinis: hæc verò carent deprauatione iudicij. Deinde Arist. l. 3. Eth. ad Nicom. ἀλλὰ τῶ τοιούτοις γενέσθαι αὐτοὶ αἴτιοι ζῶντες ἀνειμένως, καὶ τῶ ἀδίκους, ἢ ἀκολάςους εἶναι οἱ μεκαπυργοῦντες, οἱ δ' ἐν πότοις, καὶ τοῖς τοιούτοις. ἃ γὰρ περὶ ἕκαςα ἐνεργίαι τοιούτοις ποιοῦσι, id est, *ipsimet verò auctores sunt, cur tales existiterint, dum viuunt dissoluiè, & cur etiã iniusti & intemperantes sint, quum malo me afficiunt, in caussa sunt, dum alij in compotationibus, alij in similibus deliciis vitam traducunt: quales enim sunt actiones in singulis rebus, tales eos efficiunt, qui agunt.* Vides, Lector Christiane, tales scriptores prorsus ignorasse veram vtriusque caussam & naturalem originis humanæ corruptelam, qui virtutes a bonitate naturæ, & honesta consuetudine, itidem vitia ab vtriusque improbitate nasci putârunt, &, quod est summâ dignum commiseratione, eiusdem redintegrationem nescierunt planè, vnde recuperarent: quam piis & credentibus Euangelium attulit, cuius ope homines velut renati vitiositatem illam naturalem domant & coercent: atque inde honestis actionibus facilè se dedunt. Huc addam τὸ *consuetudo* specialiter de coitu dici, vt Donat. in hæc verb. Phor. Act. 1. Sc. 3. *qui adimat hanc mihi consuetudinem*, annotauit.

Neglectis filix.] De filice sic 2. Georg.

Et filicem curuis invisam pascit aratis.

Existimo Virg. hîc significare felicem fæminam πολυῤῥίζου, cuius radix est longa, crassa & obliqua multisque fibris connexa in caulem assurgens, ideoque bobus arantibus valdè tarda, grauis & molesta. Mascula autem filix pro caule nititur vno pediculo cæspite statim enascens sine radice, qui pediculus ab vtroque latere est pinnatus, vnde a Græcis dicitur πτερὶς, quòd folia habeat αὐτετμημένα καὶ αὐκτολωμένα, ὡς πτέρυξ τρυκτοπαμήλου, *incisa & explicata, vt ala struthiocameli*, Neutra florem habet, ideoque nec semen ex Theophrast. Galen. Dioscorid. & Plin. vnde deprehenditur impudens impostura quorundam Agyrtarum, qui imperitum vulgus quæstuosâ superstitione in fraudem induxerunt, affirmantes impudentissimè, illius florem & semẽ eâdem horâ solstitiali æstiuâ posse noctu videri & colligi: quod postea maioris quæstus gratiâ impiaque superstitione transtulerunt ad noctem natalem diui Iohannis Baptistæ.

Illuc præuertamur.] Grammatici tradunt hoc verbum *præuerto & præuertor* propriè significare, anteire, vnde 1. Aeneid. v. 321,

Harpalice, volucremque fugæ præuertitur Hebrum: & Catul. *præuertens celeri vestigia ceruæ.* significat etiam aliquid ante aliud curare, quod Græci dicunt προχειρίζεσθαι, ac velut primum sumere aliquid in manibus, sed ordine præpostero, vt, si quod priùs facere statueris, id posteà facias, vel contrà, quod posteà facturus eras, priùs faciendam cures: vt hîc Poeta statuerat priùs de officio amici præceptum dare, quod tamen postponit sermoni de parentum & amatorũ facilitate ignoscendi vitijs liberorum & amicorum: valet igitur illud, *Tractemus & exponamus loco priori affectum amatoris erga suam amicam & parentum erga liberos, quàm officium amici erga amicum*, vel, *eò priùs nostra oratio conuertatur.* Habet autem hoc verbum geminam syntaxin: modò enim cum dandi casu, vt Plautus in Mercatore, *Otium non est: mandatis rebus præuorti*, id est, priùs effectum dare volo, quod mihi mandatum est, quàm corpus meum procurem: modò cum accusandi casu: Idem in milite glorioso: *Igitur id, quod agitur, nunc hoc primum præuerti decet.* Sed hoc non est singulare, imò commune verbo acquisitionis, quomodo idem verbum reperio cum vtroque casu constructum. 1. de Diuin. *sermoni præuertere aliquid*, similiter παθητικῶς sumtum, vt 2. Phil. *sed incidi in id tempus, quod ijs rebus, in quas ingressa erat oratio, præuertendum est.*

Amatorem quòd.] Syntaxis verborum est: *quòd turpia vitia amicæ decipiunt cæcum amatorem*, id est, *amator ignorat, non agnoscit, nec animaduertit vitia amicæ*, vel, *vitia latent & fugiunt amatorem*, vnde cæcus amor dicitur, Ouidius:

In facie nævus caussa decoris erit.

de quo sic Lucretius lib. 4.

Multimodis igitur prauas turpesq; videmus
Esse in deliciis, summoq; in honore vigere. reliqua inde potes per te nullo repetere negotio. Nonnulli Grammatici parùm diligentes Latinitatis obseruantes, dicerent ἔλλειψιν τῶ μέρους ἐπεξηγητικῶ hîc supplendam, vt sic sententia proferenda esset, ante omnia exponamus nempe vel scilicet, quòd amator ignorat vitia amicæ &c: quam tamen epexegesin nunquam Cicero nec reliqui boni auctores Latini sermonis sic exprimere solent, vt alibi est a nobis annotatum, quam etiam video satis expressam conuinctione *quòd* vt hîc, sic lib. 9. Epist. 2. ad Attic. me vna hæc res torquet, quòd non sim secutus Pompeium. Ita verba fallendi & decipiendi diximus Ode 23. lib. 2. potiùs esse ignorationis & obliuionis, quàm fallaciæ & fraudis apud hunc Poetam ex Græcorum imitatione. Caussa huius ignorationis oritur e nimio amandi affectu, quo modo Scholiastes Theocriti in Ἐιδυλ. γ. hunc versum interpretatur,

-----Ἔρωτι
Γολλάκις, ὦ Γολύφημε, τὰ μὴ καλὰ καλὰ μέφαν[illegible]κα,

Reuerà

Reuerà sæpenumero, quæ non sunt pulcra, pulcra videntur amori.

Ὀυτως πολλάκις ὦ Πολύφημε ὑπ' ὀρῶς, τὰ μὴ σύμορφα, σύμορφα φαίνεσθαι. διὸ μὴ θαύμαζε, εἰ ὁρᾷς σὺ ἡ Γαλάτεια ἀμόρφη ὄνθος. τοιοῦτος γὰρ ὁ ὄρως ἀποβιάζεται τὴν διάνοιαν τῶν ὁρώντων. *Profectò o Polypheme, quæ deformia sunt, amori videntur formosa: proinde ne miteris, si te licet deformem Galatea amet: talis enim amor infert vim menti, & eam e suo deijcit statu.* Simili perturbatione Battus notatur εἰδυλλ. 1.

Βομβύκα χαριέσσα, Σύραν καλέοντί τὺ πάντες
Ἰχαὺ, ἀλιόκαυστον ἐγὼ ἢ μόνος μελίχλωρον.

O Bombyce venusta es, omnes te Syriacam vocant
Et strigosam, sole adustam. Ego verò solus flauam te dico.

Scholiastes interpretatur μελίχλωρον, μέλανα χρῶτα ἤρεμα, διὰ ὀλίγον μελάναν, *colorem remissè fuscum, nec admodũ nigrum*, Gall. *brunette, Bombycem, significat verè pallorem nigricantem.*

Polypus Agnæ..] De Polypo narium vitio & de ipsius vocis omni ratione diximus 12. Epodis. Agna dicitur meretrix fuisse fædissimâ & impurissimâ animâ, quam nobilis adolescens Albinus malè emunctis naribus non poterat captus amore cæco odorari, imo verò videbatur eo fœtore delectari: caussas autem, cur amatores vitia labesq; corporis in amatis non animadvertant, imo in delicijs habeant, Lucretius præter id, quod modò dictum est, lib. 4. affert.

Deteriore fit vt formâ muliercula ametur.
Nam facit ipsa suum interdum fœmina factis,
Morigeriq; modis & mundo corpori cultu,
Vt facilè insuescat secum vir degere vitam.

Et isti errori.] Videtur hoc sumtum e lib. 5. Plato. de Rep. vbi hæc res copiosè pertractatur, & perstringitur ab Aristot. l. 1. Rhet. λυπῆσαι δὲ καὶ τὰ σύνεγγυς τοῖς ὑπάρχουσιν, *oportet sumere nomina rebus ipsis, quæ verè sunt tales, vicina & propinqua*, quod Quintilianus vsurpauit lib. 3. cap. 7. *quia sic quædam virtutibus ac vitiis vicinitas, vtendum est proximâ deriuatione verborum, vt pro temerario fortem, pro prodigo liberalem, pro auaro parcum vocemus, contrà pro forti temerarium, pro copioso effusum, pro libero maledicum,* sed pro, *errori nomen virtus posuisset honestum, lib. 8. cap. 3. qui vitiis vtuntur, virtutis tamen his nomen imponant.* Plutar. in vit. Solon. *Recentiores Athenienses verbis blandis ac benignis contegebant asperitatem rerum inuidiâ nominis vrbane emollitâ: nam scorta vocabant amicas: tributa, descriptiones: præsidia ciuitatum, stationes: carcerem, custodiam: condonationem æris alieni, tabulas nouas.*

Strabonem.] Definitur strabo, qui est oculis distortis & peruersis παρὰ τὸ στρεβλὸν a tortuoso, & hoc cognatione nominis ἀπὸ τῆς στρέφειν. vnde στραβίζειν, καὶ στραβισμὸς, *esse oculis distortis, & obliqui aspectus.* Pætus autem vel petus definitur homo minoribus oculis, quàm pro ipsius natura, vel semiclausis, vel a mobilitate illorum sic dicitur, cuius etymon non satis mihi constat. Porphyrio vult Pœtum ab oculis leuiter declinatis deflexum: Acro, quòd eius oculi huc atque illuc dimouentur: vnde videtur Papirius Pætus cognominatus: Tribuitur tamen oculus pætus Veneri propter igneam visus mobilitatem, & Mineruæ flauus, vnde versus ille obscænus:

Minerua flauo lumine, Venus pato. Dicam tamẽ ex Plinij lib. 11. cap. 37. vni animalium homini oculos deprauari, vnde cognomina Strabonum & pætorum, *Vni* inquit, *animalium homini deprauantur, vnde cognomina Strabonum & Patorum. Ab ijsdem qui altero lumine orbi nascerentur, Cocliles vocantur. Queis paruique ocelli, lucini iniuria cognomen habuere:* Quod est mirabile, vt cætera, quæ ibidem scribuntur de hac corporis minuta particula.

Et pullum.] Ὑποκορισμῶς deflectitur a *puer puellus*, & per syncopen τὸ *pullus*, qui dicitur modò de homine paruulo, quem Græci τὸ παιδάριον vocant, modò de fœtu quorumlibet animalium, Græci τοὺς πώλους, modò denique de surculis & stolonibus plantarum, Græci μοχλία, quæ significandi varietates facilè distinguuntur e contextu orationis.

10 *Malè paruus.*] Hoc intentionis est aduerbium; pro, valdè & nimis paruus. Ita Teren. Heaut. 4. 1. *vt præter spem euenit, quàm timui male!*

Sisyphus.] Putatur hic fuisse filius M. Antonij Triumuiri adeò pumilio & nanus, vt ad staturam duorum pedum vix accreuerit & ob eam corporis breuitatem puto hic abortiuum vocari, vt Sisyphum διὰ τῆς πανουργίας, de cuius vocis notione vide Grammatica Odes 14. lib. 2.

Balbutit Scaurum.] Balbutire est ψελλίζεσθαι quo Aristoteles vtitur in Probl. τῆσι α, initio. σημεῖον δὲ ὅτι μικρὰ τὸ γενέσθαι πολὺν χρόνον ἐνιοὶ ἐσμὲν εἶτα ὀψέποτε ψελλίζομεν. 1. *argumento est, quòd ab ortu diu muti sumus: deinde serò tandem balbutimus.* Quid autem differat τὸ ψελλίζειν ab altero affinis significatus τραυλίζειν, quod vtrumque similiter legitur in voce media, cognosci potest ex primigenijs ψελλὸς καὶ τραυλὸς: prius quidem est Hesychio ὁ τὸ σ. παχύτερον λέγων. 1. *qui crassius literam σ. pronunciat: alijs verò,* ὁ τὸ σ. ταχύτερον ἰκφωνῶν. 1 *qui celerius eandem literam enunciat*: posterius τραυλός, ὁ ἀντὶ τοῦ ρ ἐκφωνῶν λ. 1. *qui pro* ρ enunciat λ: cuius vitij caussâ Aristophanes irridet Alcibiadem, εἶτα Ἀλκιβιάδης εἶπε πρός με τραυλίσας. 1. *Deinde Alcibiades me alloquutus est balbutiens*: quod vitij genus contrahitur ex eo, quod Aristoteles scribit l. 2. cap. postremo de partibus animal. quòd homo debeat habere linguam expeditam, maximè mollem, latam, vt sit ad vtrumque munus accommodata, & ad percipiendos sapores, & ad literarum explanationem, & ꝗ quabilem sermonis expressionem. Notum enim est omnibus, quibus lingua minimè libera & expedita est, eos balbutire & male loqui. vox autem *Scaurum* e Græco fluxit.

Reperitur enim in Hippiatria Apsurtij, ἵππος ἴκανος πρὸς ὀχείαν μὴ σκώρους πόδας ἔχέτω, μηδὲ ταπεινοὺς, *Equus admissuræ destinatus talos non habeat exstantes, neque humi depressos:* quidam tamen interpretantur talos inversos & tumentes. *Balbutit Varum & Scaurum*, συνεργητικῶς, pro balbutiendo & blandiendo appellat malè nixum talis, scaurum, & præditum cruribus distortis: Varum alij, στρεβλόποδας καὶ σκέλη σκαμβά, *pedes inversos & crura prava & curua*: Talis Græcè dicitur ῥαιβοσκελὴς & describitur ῥαιβὸς a Polluce ᾧ κάμπυλα εἰς τὸ ἔνδον τὰ σκέλη. βλαισὸς δὲ ᾧ τὸ ἀπὸ τῶν γονάτων εἰς τὸ ἔξω ἀπέστραπται. *Cui crura sunt introrsum recurua. Valgus autem, cui crura extrorsum a genibus conuersa sunt.*

Parciùs.] Id est duriùs, restrictiùs, tenaciùs qui viuit, huius amici vitium nomine frugalitatis extenuãdum est: sic frugalitas a Cic. notatur 3. Tus. *Illa, vt opinor a fruge, quâ nihil melius e terra.* Græcè potest dici εὐτέλεια, facilis & moderatus sumtus, vt πολυτέλεια, magnificus & exquisitus. Ideoque deflectunt frugem Grammatici a fruendo & ad quoslibet fructus, quibus homo vescitur, extendunt. Inde frugi aptoron, quod ita describitur ibidem: *Qui sit frugi igitur, vel, si mauis moderatus & temperans, eum necesse est esse constantem*: & ita geminantur a Terentio in Heaut. 3. *Hominis frugi & temperantis functus officium*, cui veteres opponebant *nequam hominem*, prodigum, libidinosum, asotum, improbum. Sic

Donatus in Eunuch. Act. 3. Sce. 5. verſ. 60 *frugies* explicat, *vtilia & neceſſaria, vt fruges humano generi: Frugi ergo eſt, in quo eſt aliquid, quo fruamur, id eſt, vtamur.* Verùm longè præſtaret amici cupiditatem cæteraque vitia emendare conſilio, quàm extenuare verbis, quod nihil aliud eſt, niſi magis ac magis illam alere & fouere. Doceamus igitur amicum, auaritiam eſſe radicem omnium malorum, eum, in quo hæſerit, nõ poſſe verum amicum cuiuſquam eſſe, ſed fictum & ſimulatum. *μήδε τῷ φιλαργύρῳ προσπιλασόμεθα τὴν τῆς προμηθείας ἐπιτήδειαν. neque ſtudioſo pecuniæ affingamus honeſtam perſpicientiæ appellationem.*

Concinnus.] Docet iactantiam & ineptias amici nomine concinnitatis & elegantiæ commendari. Concinnum autẽ Grammatici volunt fieri a cinno, quem eſſe dicunt permixtionem rerum complurium ad potionem: meliùs tamen a *concinendo*: quòd ipſius partes concentum ſeruent, & inter ſe harmoniâ & proportione conſentiant: quamuis hoc poſterius vnico *n* ſcribatur, vt hoc cum bona venia Grammaticorum dictum ſit. Vndecunque fiat, valet bene compoſitum & ornatum. Itaque paſſim reperitur geminatum cum his, *concinnus & elegans, concinnus & venuſtus, aptus & concinnus, concinnus & lepidus.*

At eſt truculentior.] Sæuitia & crudelitas amici nomine fortitudinis obtegẽda eſt, vt immoderata libertas & licentia diſsimulanda & celanda videtur ſimplicitate. Simplex autem vir dicitur verus, ſincerus, in quo nihil ſit tectum & ſimulatum: quomodo deſcribit Plato 2. de Rep. ἄνδρα ἁπλοῦν, καὶ γενναῖον, οὐ δοκεῖν, ἀλλ' εἶναι ἀγαθὸν ἐθέλοντα, *virum ſimplicem & ingenuum, non qui vult videri, ſed eſſe bonus.* Sic Achilles in Iphigenia Euripidis, ἐγὼ δ' οὐ κἀνδρὸς σὺν εὐσεβεστάτου τραφεὶς Χείρωνος, ἔμαθον τοὺς τρόπους ἁπλοῦς ἔχειν, *Ego autem apud virum maximè pium Chironem educatus, didici ſimplicitatem morum,* quæ quidem, ſi cum prudentia coniungitur, probanda eſt: ſed ſi cum ſtoliditate, improbanda: qualem metuit Poeta in Vinnio Aſella Ep. 13. lib. 1. qualem etiam Sapientia reprehendit cap. 1. prouerbio. *Quouſq; tandem, ſimplices, amabitis ſimplicitatem & deriſores deriſionem: & ſtulti odio habebunt ſcientiam?* atque, *Simplex* dicitur Hebraicè, *quòd facilè propendeat in veramuis voluntatis perſuaſionem.*

Caldior.] Vſitata eſt iam hæc ſyncope & Oratoribus & Poetis pro *calidior*, id eſt, ardentior & feruidior, ſed planè non video, quod genus perturbationis hîc ſignificetur tegendum, cõijcio tamen cum alijs iram eſſe: quum aliquid fit iracundè, id vehementer, acriter, & animosè fieri dicendum eſt excuſationis cauſsâ. *Acre* enim dicitur ab *aceo, es*, quum vinum in acetum degenerat: quod minus eſt, quàm calere: nec mihi placet expoſitio, quæ dicit hoc comparatiuo diminutionem ſignificari, quum hîc ex antecedentibus facilè perſpiciatur vis comparationis, ſic: *Eſtne aliquis iracundior, quàm conueniat? vitij extenuandi cauſsâ dicamus illum hoc vel illud facere acriùs & vehementiùs.*

Opinor.] Hoc verbum in coniecturis locum habet, vt Donatus in Andr. Act. 2. Sce. 2. & in Heaut. Act. 4. Sce. 2. notauit: *quæ opinamur, putamus: quæ putamus, incerta ſunt*: quæ tamen certò ſciuntur, per calliditatem dicimus interdum nos opinari & putare, ad quem modum idem interpres ſcribit in Eunuch. Act. 5. Sce. 1. Pythiam ancillam locutam, quũ rogaretur, *Num id lacrymat virgo? id opinor*, inquit, quum ſciret illam ob id lacrymare.

Hæc res.] Id eſt, talis extenuatio vitiorum, quæ in moribus amicorum noſtrorum cernimus, parit amicos & partos ſemper conſeruat & tuetur. Et certè ſi amicitia ortum habet a virtute, falſa eſt hæc ſententia, vbi nihil fictum & ſimulatum conſpicitur, ſi amicitia eſt vera: ideoque multò prudentiùs Euripides in Erechtheo conſulebat,

Φίλους δὲ τοὺς μὴ χαλῶντας οὐ λόγοις
Κέκτησο, τοὺς δὲ πρὸς χάριν, σοὶ ἡδονῇ
Τῇ σῇ πονηροὺς, πλεῖθρον εἰργέτω φύγης.
Amicos comparaueris, qui tibi non indulgeant verbis:
Illos autem, qui ad gratiam loquuntur, & ad tuam voluptatem
Tanquam improbos, foras excluſos arceto a tectis.

Virtutes inuertimus.] *Inuertere virtutes* eſt calumniando efficere, vt pro vitiis habeantur: *Sic campum inuertere fractis glebis* dicitur agricola, quum alia facies illius apparet, atque fuerat priùs inculti.

Sincerum vas incruſtare.] Quod nullo vel liquore, vel odore tætro imbutum eſt, illud eſt alterutro perfundere ac illinere putido ſucco. *Sincerum* eſt Donato in Eunuch. Act. 1. Sce. 2. verſ. 97. idem, quod purum, ſine fuco & ſimplex, vt mel ſine cera & Græcè εἰλικρινὲς καὶ καθαρὸν dicitur.

Probus quis.] Inuerſio virtutum fit ita, quum probitas vertitur in ſummiſsionem, vilitatem & contemtum, tarditas in ruditatem, ſocordiam & quaſi diceres, obtuſitatem. Fuit autem ſemper in pretio tarditas, maximeque apud ſapientes. Teſtimonio eſt verſus ille Ennij iam multo ſermone tritus:

Vnus homo nobis cunctando reſtituit rem.

cuius certè cunctationem magiſter equitum Romanorum ferox, rapiduſque in conſiliis ac linguâ immodicus, ita vellicabat, vt primò inter paucos, dein propalàm inter vulgus pro cunctatore ſegnẽ, pro cauto timidum affingens vicina virtutibus vitia compellaret. Liuius decadis 3. lib. 2. Teſtimonio quoque eſt diſtichon Theognidis:

Καὶ βραδὺς σὺν ὀξέϊ ταχὺν ἄνδρα, Διόκλεα
Κύρνε, σοὶ σὺν δείῃ θεῶν δίκην ἀθανάτων.
Etiam tardus prudenter celerem hominem comprehendit inſequendo,
O Cyrne, per ſummam Deorum immortalium æquitatem.

Quomodo Ὀλυμπ. θ. Vulcanus claudus & tardus calliditate tamen aſſecutus eſt, cepit & irretiuit Martem omniũ Deorum celerrimum. Ita Dii illic loquuntur de Marte deprehenſo:

Οὐκ ἀρετᾷ κακὰ ἔργα· κιχάνει τοι βραδὺς ὠκύν.
Ὡς καὶ νῦν Ἥφαιστος, ἐὼν βραδὺς, εἷλεν Ἄρηα
Ὠκύτατόν τε θεῶν τε ἐόντα θεῶν, οἱ Ὀλυμπον ἔχουσι.
Χωλὸς ἐὼν τέχνῃσι· τὸ καὶ μοιχάγρι' ἀφέλλα.
Non ſunt virtuti mala opera: aſſequitur tardus velocem
Vt nũc Vulcanus, quamuis tardus, cepit techni Martem
Deorum velociſſimum, qui cælum habitant,
Licet claudus ſit. Ideoq; Mars debet multam comprehenſionis.

Hic fugit.] Cautio & prouiſio præterea, quæ fit, quum ratione a malis declinamus, eaque intelligitur in ſolo eſſe ſapiẽte, vertitur in aſtutiam & ſimulationem.

Nullique malo.] Id eſt, nulli malo latus obiicere & opponere nudatum, ſed contrà, illud benè tectum & ſartum obtrudere.

Quum genus.] Id eſt, quum hic cautus homo & prudens verſetur inter eiuſmodi homines, qui maximè alijs inuideant, eoſque aſsiduè criminentur, quales ſunt plerique omnes in aulis principum, qui hîc notantur.

Simpli-

Simplicior.] Alij malunt hîc legere: *Simplicior quis & esti? (qualem, &c.)* simplicitas quoque, de qua satis iam proximè dictum est, non caret falsâ interpretatione, dum illi affingitur ἀναισθησία, communis sensus, id est, iudicij, vulgò discursus, vacuitas.

Qualem me.] Mirificè hoc arguit ingenij Horatiani astutiam: nam quum optimè sciret se passim audire hominem callidum, hanc calliditatis opinionem a se studet nomine simplicitatis avertere, atque simul humanitatem Mæcenatis commêdat, qui sæpè interpellationem ipsius boni & æqui consuluit.

Legentem appellare.] Est interrumpere & interpellare legentem & alibi intentum, quo modo a Cic. l. 2. ad Q. frat. Ep. 12. vtrumque geminatur: *Tu verò vt me & appelles & interpelles & obloquare & colloquare, velim.* Alij legunt, *impellat*, alij *appellem* & *appellet*. hoc postremum probo.

Quam temerè.] Pro hac phrasi Cic. dicit, *iniquam legem & miseram conditionem nobis instituimus.* Et certè, qui sibi hoc sumit, vt reprehendat mores & peccata aliorum, indicit sibi, aut certè debet, legem innocentiæ, continentiæ, virtutum omnium: sed quum omnes in qualibet re ab religione officij sui videâtur declinare, quis volet nobis aliorum acerrimis censoribus ignoscere nostra?

Sancimus.] Hoc verbum est Isidoro lib. 15. cap. 4. confirmare & irrogatione pœnę ab iniuria defendere, sic leges sanctæ & mores sancti esse dicuntur. Sanctum quoque a sanguine hostiæ nuncupatur: nihil enim apud veteres dicebatur sanctum nisi quod hostiæ sanguine esset consecratum & conspersum: de quo vide Festum & Seruium in lib. 12. Aeneid.

Nam vitiis.] Ab omnibus ferè & philosophis & Poetis celebrata est hæc sententia. Plato Hippia maiore, siue de pulchro, inducit Socratem sic loquêtem: *Multò plura faciunt mala omnes homines, quàm bona, statim ab incunte ætate.* Talem quoque humanæ naturæ vitiositatem & ad malum propensionem Propertius memorat:

Vnicuique dedit vitium natura creato.

Talem denique noster Theognis:

Οὐδένα πωμπήσλην ἀγαθὸν καὶ μέτριον ἄνδρα
Τῶν νῦν ἀνθρώπων ἠελίος καθορᾷ.

Neminem omnino hominum, qui nunc sunt,
Sol despicit bonum & moderatum.

Qui minimis vrgetur.] Qui quàm minimùm est vitiosus, eodem dicitur modo, quo vrgeri malis & morbo pro subijci & premi, onerari.

Amicus dulcis.] Verisimile est Poetam hîc ad ingenium Augusti respexisse, de quo sic Suet. c. 66. *Amicitias neque facilè admisit:* admonitus sententia, prouerbiali πάρῳ ἢ ἔργῳ τὸς τῶν φίλων τρόπος πρότερον δοκίμαζε i. periculo facto & opere mores amicorum prius explora, quas postea, *constantissimè retinuit, & non tantùm virtutes ac merita cuiusq; dignè prosecutus, sed vitia quoque & delicta duntaxat pauca & leuia perpessus.* Plato, vt hîc Flaccus, queritur li. 5. de Rep. idem non seruari in amicitia honesta, quod passim in amore ab omnibus obseruatur: vbi labes & vitia corporis delicatè commendantur. Idem quoque Lucretius lib. 4. Verisimile est Cæsarem legisse hanc Theognidis sententiam ad Cyrnum.

Κύρνε, φίλους κατὰ πάντας ἐπίστρεφε ποικίλον ἦθος,
Ὀργὴν συμμίσγων, ἥντιν' ἕκαστος ἔχει.

O Cyrne, varios accommoda mores ad ingenium omnium amicorum,
Illud tibi adiungens, quo quisque est præditus.

Saluâ tamen Dei gloriâ & sine Reip. detrimento.

Compensas.] Quum ponderat meas virtutes cum vitiis, illas plures, si modò superant numero, præponderet vitijs. Illud autem *inclinet hisce pluribus*, Poeticè dicitur, pro quo diceret Orator, inclinet in hæc plura, vt dies inclinatur in tempus pomeridianum: natura in vitium inclinata est, vel ad Stoicos inclinat: animus ad pacem inclinatus est.

Hac lege.] Id est, hac conditione eodemque genere examinationis appendentur illius mores.

In trutina.] Hæc vox fit Latina e Græca, τρυτάνη, quam Grammatici Græci deflectunt παρὰ τὸ τοῖς βαρήμασι τρύεσθαι, quod est, καταπονεῖσθαι, *pondere defatigari.* Huic notationi & significationi est affine τὸ τάλαντον παρὰ τὸ ταλάω, καὶ τὸ οἰονεὶ φερέπονον, *ab ærumna & tolerantia laboris*, quod sæpè pro pondere 125. librarum, quod Lanci imponitur. Vide Hesychium. Variè autem trutina describitur. Quidam enim, maximeque Græci dicunt esse iugum libræ, quod Dorienses vocant ζαχαύλιον, vnde prouerbium, δικαιότερος ζαχαύνης, ex quo iugo & librili dependent lances per funiculum, quæ πλάστιγγες dicuntur, id est patellæ, vbi pondera ponuntur. Alij autem pro statera sumunt & asserunt illud e 2. lib. Vitru. *Id autem ex trutinis, quæ statera dicuntur, licet considerare, quæ a flando*, sicut ζαμὸς, *fiunt*: vnde conijcio his tribus vocibus ansam libræ significari, quæ immotâ manu tenetur: per synecdochen tamen sumi pro integro instrumento: quomodo accipitur in Demosthene pro Coro. sub finem, vbi loco probri notatur Aeschines, ὅτι ἐπὶ τὸ λῆμμα ῥέπει, *quod ad dolochiam & lucrum propensus esset*, ἀλλ' ὅσα συμβεβύλευκα πώποτε τούτοις ὁμοίως ὑμῖν, ὥσπερ ἂν εἰ σὺ τρυτάνη ῥέπων ἐπὶ τὸ λῆμμα συμβεβύλευκα, ἀλλ' ἀπ' ὀρθῆς καὶ δικαίας καὶ ἀδιαφθόρου τῆς ψυχῆς πάντα μοι πέπρακται. *Nunquam equidem vobis similiter, atque isti quæ consului, tanquam in trutinam propendens ad munera capienda consului: sed omnia recto, iusto, & integro animo a me facta sunt.* Alij denique ex Sat. 1. Persij *Examénue improbum in illa Castiges trutina*, confirmant trutinam significare foramen medium bilancis, in quo est lingula, vnde fit examinatio, εἰ τὸ πρᾶγμα ἀδιαμόστε κλίνεται, ἀλλὰ μένει ἄκλινες, *si res nusquam propendet, sed manet immota*, dicitur ἰσορρόπον, iusti esse ponderis, quod æquilibrium libramentum est. Vtitur simili voce τάλαντον Theognis, quum monet paupertatem nemini exprobrandam:

Ζεὺς γὰρ τοι τὸ τάλαντον ἐπιῤῥέπει ἄλλοτε ἄλλῳ.
Ἄλλοτε μὲν πλουτεῖν, ἄλλοτε δὲ μὴ ἔχειν.

Quia Iupiter inclinat trutinam aliò atque aliò.
Vt modò sis dives, modò nihil habeas.

Sed ratio sapientis Salomonis longè firmior: *quia*, inquit, *qui irridet pauperem, factorem ipsius Deum irridet*, Sed de generali descripione trutinæ vide Archimedem in prima sententia de graui in humidum cadente & Aristotelem in mechanicis.

Ne uberibus.] Tubera sunt propriè tumores terræ, qui sic a Plin. describuntur l. 19. c. 2. *Et quoniam a miraculis rerum cœpimus, sequemur eorum ordinem, in quibus vel maximum est aliquid nasci aut viuere sine vlla ratione: tubera hæc vocantur vndique terrâ circumdata, nulliusque fibris nixa, aut saltem capillamentis*: Hæc Suidæ dicuntur Græcè διδυμα δῆλον ὅτι διδύματά τινα γῆς. Est etiam nomen arboris, sed virilis generis priore breui.

Postulat, ignoscat.] Hîc *postulat* potest explicari per *vult & cupit* & infinitũ verbi sequentis *ignoscere*, quemadmodum loquitur Terent. in Adelph. Act 1. Sc. 2. *per oppressionem vt hanc mihi eripere postulet*, & Donat. interpretatê *velit, putet & speret*: sicut explicatur illud Plauti in Pseud. Act. 3. Sc. 2. *An inuenire postulas quenquam coquum nisi miluinis aut aquilinis vnguis?* pro, putas & vis.

Verrucis.] Verruca est τὸ σκληρίδιον τυλῶδες, *caruncula callosa*, dicta Græcè ἀκροχορδίων, quod similis sit vertice suo resectæ chordæ secũdùm extremitatem, vel quòd vsque adeò sit in imo angusta, vt pendere videatur. Alterum est genus, quod μυρμήκια a similitudine formicæ, cui tamen basis est latior, quàm priori; ex Agellij tamen lib.3.cap.7. discimus verrucam pro tuberculo corporis per similitudinem loci in monte editi & asperi sumi e libr. Originum Varronis, *Iubeas milites occupare verrucam illam*, id est, Iugum Græcè λειρὰς, ἄλλος αὐτὶ ἐξοχῆς λιὰ πορυφῆς σὺν τῷ ὄρει.

Denique quatinus.] Id est, quoniam ira & cæteri affectus mali non possunt deuitari omnino ab hominibus stultis, quibus infixi adhærẽt, pœna metienda est & æstimanda e levitate & gravitate peccatorum contrà, quàm Stoici judicant. Sic videtur legendum apud Suetonium in Claudio cap. 26. *Confirmauit pro concione apud Prætorianos, quatinus sibi matrimonia malè cederent, permansurum se in cælibatu, & nisi permansisset, non recusaturum consodi manibus ipsorum.* Plus autem hîc dicitur, vitium non potest excidi, quàm, ut dicit Cicero 3. de Orat. *Multa hic hodie vitia ponemus.* Atque potest phrasis ex altera, quæ est Epist. ad Brutum 4. explicari. *Non semper primi cuiusque mali excidendi caussa sit, ut aliud renascatur illo peius.* Est igitur hîc vitia excidi, quod Cicero lib. de Fato dicit, exstirpari & funditus tolli. Pro *vitium excidi & supplicijs delicta coerceri* dixit, *culpam supplicio recidi* Ode 24. lib. 3. unde disces, si nescieris, quid sit supplicium.

Tepidumque ligurierit.] Grammatici deflectunt παρὰ τὸ λίγυρον, & hoc ἀπὸ τῆς λιγυνὸς, quod est stridulũ, argutum & canorum, iucundum, dulce: vnde Thersites dicitur ab Vlysse Ιλιάδος β. λιγὺς ἀγορήτης, *suauis orator*, εἰρωνικῶς. Simili Epitheto commendat Isocrates discipulum suum Diodotum Philippo regi Macedonum, ἐπὶ δὲ τῇ σύμβιον ἁπάντων ἥδιστον καὶ λιγυρώτατον, *prætereà verò quiq; dicet Diodotum conuictorem esse omniũ suauissimum & iucundissimum*: & vt breuiter dicam, epitheton est flatus & venti & soni, id est, auditus: vnde si ad gustatum transferatur, poterit deflecti verbum Latinum, *ligurire*, quod propriè est paullatim degustare more fastidientis hominis cibos, quo modo meretrices dicuntur facere in conspectu amatorum suorum. Terentius Act.5. Sc.4. *quæ quum sunt cum amatore suo, ligurriunt, quum verò domi solæ cænant, harum videre ingluuiem*, vt Sat.2. notauimus. Addam tamen Donati notas in eundem locum: *ligurriunt* ἀπὸ τῆς λιγυρᾶς, quod secundùm Græcos suaue intelligitur. *Ligurire* dicitur, qui eleganter & more senum multo fastidio suauiora quæque degustat. Eódem spectat, quod Nonius profert Hemistichium e Priapeis Catulli, *de meo ligurire libido est, ligurire*, inquit, *est gustare cum voluptate, sed tenuiter.* In hoc sensu reperies in 5. Verr. alijs est in 3. vbi ligurire & deuorare videntur opponi, alterum alteri, *commissa est pecunia tanta Prætori: non reperietis hominem timidè, nec leuiter hæc improbissima lucra ligurientem: deuorare omnem pecuniam publicam non dubitauit*, ex hac oppositione lector animaduertit τὸ *ligurientem*, bona re sensim carpẽtem & quasi fastidiosè delibantem: qualis oppositio statui potest in illo Terentij loco superiori inter liguriẽtes meretrices & earũdẽ ingluuiẽ. Coniuncta tamen obligurire & abligurire bona, notant, auidè consumere, & vt dictum est antea, stringere & oblimare rem.

In cruce suffigat.] Alterâ syntaxi Cicero idem enuntiat, *suffigere aliquem cruci* & cum altero verbo, *in crucem tollere.* Nonius profert e Varrone τὸ *gabalus* a veteribus pro cruce vsurpatum, *Nos barbari vocamur, quòd innocentes in gabalum suffiginus: vos homines, non barbari, quòd noxios absoluitis?* Hoc autem Græcè dixeris, κατασταυρίσειν ἐπὶ ξύλῳ ἢ προσηλῶσαι τῷ σταυρῷ, id est, *clauis affigi & adigi cruci.* Eustathius tradit σταυρὸν dici παρὰ τὸ ἵστασθαι εἰς ἀέρα ἠρμένον, & idem esse, quod σταύλωσις, id est, galum ligneum in sublime erectum cum ligno sæpiùs transuerso in parte superiori ad figuram literæ Græcè τοῦ τ. ex hoc vtroque verbo & Græco & Latino cognoscitur mos & consuetudo in crucem tollendi conuictos certi maleficij non vt funibus solum reuincti suspenderentur, sed clauis per manus & pedes adactis suffigerentur illi palo: in quem grauissimorum dolorum cruciatum datus est Dominus noster Iesus Christus, Iustus & Innocens pro nobis nocentibus ac iniustis, ἢ τοιούτῳ λύτρῳ λιήλλαξε ἡμᾶς πρὸς τὸν Θεὸν ἑαυτῷ πατέρα, τοὺς εἰς αὐτὸν πιστεύοντας. Ratio autem vocis Latinæ *crux* videtur quibusdam dicta παρὰ τὸ κρύειν, i. *a pulsando & feriendo.*

Labeone.] Hic M. Antistius Labeo liberrimus fuit Augusti & assentator & responsator audacissimus & Iuriscõsultus: de quo vide Dionis l.54. & Suet. in Oct. c.54. quæ vitia certè disparantur: quia timida soler esse assentatio, ne superiorem offendat. Ideoq; concursus vitij vtriusq; insimulatur hîc insaniæ, in quo accusando ipsemet Poeta non vacat culpâ assentatoris. De ratione secernendi & internoscendi blandũ amicum a vero, lege libellum Plut. de differentia vtriusque: vbi multa reperies huic loco consentanea.

Deliquit amicus.] Ferè τὸ *amicus* insignitur epitheto *iucundus*, vt mox infrà, *minùs hoc iucundus amicus.* Item Sat.5. huius.

Nil ego contulerim iucundo sanus amico.

quale quidem epithetum videtur ex ipsi oppositis *insuauis & acerbus* facilè hîc intelligendum, quanquam Cicero Epist. 1. lib.2. ad familiar. opponat iucundo molestum: *non tam mihi molestum fuit accusari abs te officium meum, quàm iucundum requiri.* Idem sub finem l.2. de oratore, *neq; mihi tam molestus fuit, quòd ius nostrum ciuile peruellit quàm iucundus, quòd se id nescire cõfessus est.*

Vt Drusonem.] Ferunt hunc Drusonem vel Rusonem fuisse acerbum fœnoratorem, pessimumque historiarum scriptorem, qui quum sua nomina exigeret a debitoribus, nec illi essent soluendo, cogebantur ineptas eius historias audire, quæ pœna illis erat longè grauissima. Alij interpretantur historias significare maledicta & contumelias.

Calendæ.] De tempore exigendi nomina & pecuniæ in fœnore & quæstu collocandæ, dictum est in Grammaticis 2. Epod.

Mercedem extricare.] Est vsuram vndecunque cogere & exsoluere.

Euandri.] Quidam hunc Euandrum describunt e scientia cælandi ac fingendi & plastices: quem M. Antonius captiuum Athenis transtulit Romam, vbi habitus fuit insignis figlinorum operum effector: e quibus hic catillus vnus erat, affabre factus. Ita τὸ *tritum* potest explicari e nobilitate opificis. Alij ex genere & factis: quòd nepos fuerit Pallantis Arcadiæ regis & patre mortuo in Italiam venerit, & occuparit eiectis Aboriginibus ea loca, vbi hodie est Roma. Vtrique sanè paruus esse potuit Catinus, sed alteri, vt effectori, alteri, vt emptori & antiquo domino: qui, quòd tritus fuerit manibus Euandri peruetusti, exiguum eiusdem damnum fracturâ datum indicatur. Varro autem scribit libro 4. de ling. Latin. Catinum a capiẽdo nominatum, quod mox corrigit, & a voce Sicula κάτανος, vt legit Scaliger filius, deducit, quod tum fuit vas, vbi assa mensæ apponebantur:

quale

quale Græci vocant τὸ τρύβλιον ἢ παροψίδα, τὸ ἄγγος κεραμεοῦν Athenæo, vas figlinum.

Positum ante.] Est hîc disiunctio pro coniunctione: *antepositum* ἢ ἀ τῆς ἀναστροφῆς, cuiusmodi est ἰλιαδ. τ. sub finem, vbi Achilles sic Patroclum alloquitur:

Αὐτὸς ἐνὶ κλισίῃ λαρὸν παρὰ δεῖπνον ἐδώκας.
Tu in tentorio lætam apponebas cænam.

Rarò tamen *anteponere*, vt *postponere*, πρώτως καὶ ὑστέρως sumuntur, contrà sæpissimè μεταφορικῶς pro pluris aut minoris facere.

Minùs hoc.] Id est, amicusne debet mihi esse minùs iucundus, eò quòd pullum in mea Catini parte positum comedit? hîc τὸ *hoc* valet idem, quod superius, *ob hanc rem*, quorũ alterum πλεονάσῃ ἄν, si illæ tres caussæ dissolvendi amicitiam inquinamentum lecti, fractura catilli & præsumtio cibi ante ipsum positi continuè præcessissent.

Furtum fecerit.] Pro hoc Terent. dixit Eun. Act. 4. Sc. 7. *hic furti se alligat*, Donato, reum se efficit fraudis & additur, quicquid fraude fit, furtum est: vnde Virg. insidias vocat furta belli, & adulteria, dulcia furta. Postremò furtum duobus dicitur modis: vno, quum omne maleficiũ generaliter significatur: altero quum res surrepta demonstratur, vt hîc.

Commissa.] Pro, arcana fidei credita: de quo flexionis genere monuimus in Gram. Od. 7. lib. 3.

Sponsum,] Flexum est *a spondeo* & hoc *a sponte*, vt sit sponte ac liberè promittere, vt lib. 1. Epist. 9. ad famil. *dependendum tibi est, quod mihi pro illo spospondisti.*

Queis parua.] Iam apertè Stoicos adoritur, quos dicit valdè laborare de peccatorum æqualitate, quum ea examinantur ad normam veritatis, sensuum, consuetudinis & vtilitatis. Hîc autem *laborant* ponitur absolutè pro, anxii sunt ac soliciti, atque inde pro, dubitat & hærent. Satyra præcedenti proximè dixerat, *omni parte laborant*: sed ferè construitur cum *de* vt, *de nomine nihil laboro*, pro nihil curo nec solicitus sum, quomodò vocetur. Potes legere lib. 4. de finib. bon. & mal. de hac peccatorum æqualitate.

Ferè.] Est ἱστοροῦντος ἐπίρρημα, non in magnitudine, sed in præscriptione: vt quum dicitur, peccata ferè sunt paria, detraho aliquid de firmitate sententiæ, vt neque prorsus omnino intelligam omnem eorum æqualitatem, neque etiam nullam: nam quamdiu aliquid fertur (si quidem ab hoc verbo inclinatur τὸ *ferè*) est in motu, ideoque nullum intereà terminum attingit. Ex hac certè notatione τὸ *ferè* nequit vniuersale quicquam includere, vt hæc sententia, Stoici volunt peccata ferè omnia esse paria, cuiuis probetur, peccatorum sic esse alia paria, vt eorundem alia sint imparia quod tamen Stoicis displicet, qui æqualitatem mordicus & arctè tuentur. Itaque τὸ ferè meliùs connectetur τῷ *laborant*, vt Stoici significentur, quum ad inquirendam accuratiùs veritatem suæ sententiæ adiunguntur, ferè laborare, id est, dubitare, quid statuere debeant, vtrum vniuersalem hanc sententiam retineant, an aliquid de eadem remittant.

Prorepserunt.] Id est, e cauernis terræ homines prodierũt sine vllo ferè rationis & orationis vsu & cultu. Ea fuit Phœnicum & Aegyptiorum theologia, homines casu, sicut cæteras animantes, e terra prorepsisse visolis, vt refert Porphyrius. Idem videtur Euripides sensisse: Idem Archelaus physicus: Auicennas quoque huc proximè accessit, quum e cadauerib⁹ post aliquam eluuiem dixit genus humanum posse reparari vi corporũ cælestium affluente, nec esse op⁹ vtero, nec locis mulierum ad infantem meliùs formandũ. Vides cæcitatem ignorantium veram vniuersitatis originem.

Glandem.] Quòd prisci homines glande victitârint priusquam Ceres vsum frumenti illos docuisset, præter adagium ἄλις δρυὸς (satis quercus, expleatur, fuit adhuc nobis, meliorem cibum sumamus) Plin. scribit lib. 16. c. 5. Hispanos suâ ætate vesci solitos glande. *Igitur de glande & loco habitationũ primi homines inter se decertabant pugnis, vnguibus, manu, pedibus, dentibus & lapidibus, vnde pugil & pugna: non armis fabrefactis, quæ Vulcanus nondum monstrauerat.* Octo versus ab hoc, *quum prorepserũt primũ, &c*, vsq; ad *Nam fuit ante Helenam*, expressi sunt ἐν συμβουλευτικῷ λόγῳ Isocratis, & ex hoc præcipuè loco, Εὐγενομένης δὲ ἡμῖν τῆς πείθειν, &c. vt Muretus obseruauit. Sacra tamen historia Tubalcainum facit auctorem ferrariæ & opificij fabrilis Gen. 4. quod quidem certè fuit inuentum dignum prole fratricidæ Caini.

Ponere leges.] Pro *leges ponere* 1. Aeneid. dicit *iura dabant, legesque viris.* item lib. 1. Georg. *continuò has leges imposuit certis locis*: quo posteriori Cicero vtitur Philipp. 6. *leges imposuit populo per vim*, quod libro. 7. in Verrem sic dissoluit: *Verres qui populi Rom. legibus nunquam paruisset, illis diligenter legibus, quæ in poculis ponebantur, obtemperabat.*

Nequis fur esset aut latro.] Prior vox inclinatur potiùs a Græca φὼρ & hæc παρὰ τὸ φέρειν, ab auferendo. quàm a Latina *furuo*, id est, *nigro*, cui notione respondet alia Græca κλέπτης. Posterior autem *latro*, deflectitur Festo ἀπὸ τῆς λατρείας, a ministerio, quod milites suo Imperatori militiæ conducti præstabant. Varroni tamen a *latere* quasi *lateronès* dicuntur, vel quòd semper lateri ducis tanquam stipatores, adhæreant, vel adoriantur viatores a latere ex insidiis: quos Græci τοὺς λῃστὰς vocant a prædando. Vtramque notationem Seruius confirmat initio lib. 12. Aeneid. ad vers.

Excutiens ceruice toros, fixumq; latronis
Impauidus frangit telum,

Ante Helenam.] Herodot. scribit l. 1. bella inter Græcos & Phœnices aliosque barbaros concitata primùm esse & gesta propter mulieres: sed his longè antiquius fuit illud, quod ortum est inter liberos Iacobi Patriarchæ & Sichemitas propter Dinam ipsius Iacobi filiam. Fuit quoque illud multò vetustius, quod ab Israelitis crudeliter gestũ est cum Beniamitis ad Gabaam propter vxorem Leuitæ illic violatam & mortuam. Sed de bellis ob mulieres ortis lege Athenæ. l. 13. c. 4. e sectione Latina.

Ignotis mortibus.] Sic Cic. Tuscul. *claræ mortes pro patria oppetitæ*: sic Isocrates Epist. 2. καλὰς τελευτὰς ὑπὲρ τῆς πατρίδος, καὶ τῶν γονέων, καὶ τῶν παίδων.

Venerem rapientes.] Hoc verbo significatur impetus libidinis prurientis in mare in primam quamque mulierem: sed idem vsurpatur de fœmina semen viri hauidè rapiente, a Lucretio lib. 4. vbi dicitur hæc commulgere & corripere semen viri in commistione: idem vacca facere dicitur lib. 3. Georg. ver. 137. *sed rapuit fitiens Venerem*: sic puto ὑφαρπάζειν Κύπριν etiam de vtroque posse dici Græcè.

Viribus editior.] Id est robore superior, membris & mole valentior & robustior.

Fastos euoluere.] Sic Cic. loquitur in Topicis. *separatim vterq; nostrũm ad suũ studium libellos, quos vellet, euoluerat*, vbi paullò post vis huius verbi magis e contrario perspicitur: *definitio quasi inuolutũ euoluit id, de quo quæritur*, id est explicat & aperit, quod erat implicatum & inuolutum: idque hinc manauit, quòd veteres corticibus arborum conscriberent, quos complicabant.

Fasti, autem *fastorum*, & *fastu*, *fastuum* inflectuntur: Posteriori Lucan. vtitur lib. 10.

Nec meus Eudoxi vincetur fastibus annus.

quibus existimo libros significari res Romanas cuiusque anni continentes, qui aliter annales dicuntur: quanquam Seruius in versum Virgilij.

Et vacet annales nostrorum audire laborum.

videtur definire annales, monumenta quædam antiquitatis rerumque veterum ab ætate nostra valdè remotarum custodes: Historiam autem esse eorũ temporum aut rerum, quæ vidimus, aut certè potuimus videre. Sed hæc distinctio refutatur a Cic. 2. de Orat. *Erat*, inquit ille, *historia nihil aliud, nisi quædam annalium confectio*: Vnde cognoscimus satis, historiam e rebus quotannis primùm gestis & in libris fastorum & annalium ordine conscriptis conditam fuisse.

Nec vincet.] Pro, *ratio non obtinebit, nec demonstrabit.*

Caules horti.] Hæc vox posterior cecidit e Græca ὄρχος licet spiritus videatur repugnare, mutatione τῦ χ. in τ. & idem valet ὄρχατος ἢ κῆπος *hortus*, quanquam Satyr. 9. huius lib. & 6. lib. 2. notata sit ab ortu rerum variarum.

Ne scuticâ.] Hæc vox facta est e Græca σκυτάλη ἀπὸ τῦ σκύτους, ὅ, τι ἐστὶ τὸ παν δέρμα ὠμοβόειον, *quod est corium bouis crudum, vel pellis qualibet.* Est autem Latinis lorum vel loreus funis & corrigia. Ex eadem origine fluit τὸ *scutum*, non e sectura, vt Varro putauit, neque ex eo, quòd a se excutiat ictum telorum, vt Isidorus voluit. Sed flagellum fit e virgis & summis arborum partibus, vnde nominatur, vel παρὰ τὸ φλέγειν *ab vrendo flagrum* dicitur, vndè ὑποκορισικῶς flagellum fit, vt *flagrare* ab eodem verbo Græco, quòd his corpus cæsum flagret, vndè inusta flagella, sanguinea, horribilia. Itaq; torrere flagellis plus est, quàm scuticâ, plus etiã quàm fuste coerceri, vt mox dicetur, quod docet Marcellus in L. Seruorum ff. de Pœnis. *Ex quibus caussis liber fustibus cæditur, ex his seruus flagellis cædi & domino reddi iubetur*: quod mihi videtur paradoxum, quum fustis sit lignum teres, cuius ictu sæpè caput aperitur, aut liuidâ contusione afficitur sanatu difficili.

Non vereor.] Hoc verbum præcedentibus *nec* & *non* significat opinionem exploratam, minimeque dubiam. Syntaxis verborum sic accipienda est: *Non vereor vt*, id est, *ne cædas ferulâ meritum subire*, id est, *pati maiora verbera*, vel: *mihi persuasum est te non cæsurum esse ferulâ meritum maiora verbera*: sic particula *vt* post vereor valet negationem. Terent. in Hecy. Act. 1. Sc. 2. *Sed firma hæ, vereor vt sint nuptiæ*, id est, ne non sint. De ferula vide Plin. l. 13. c. 22. vbi dicitur similis anetho & fœniculo, & quomodo ex ea fiant scipiones senum propter leuitatem, quâ superat reliquos frutices, vel ipsam arundinem. Eius caule præceptores vtebantur olim ad pueros castigandos: vnde Martial. l. 10. 62. *Ferulæq; tristes scep. ra pædagogorum cessent*, & Iuuenalis Satyr. 1.

Et nos ergo manum ferulæ subduximus.

id est, subiecimus, atque fortassè nomen inuenit ab vsu feriendi.

Et magnis.] Id est, quum mineris, te simile supplicium de paruis, atque de magnis peccatis sumturum: hîc *magnis* pendet a *simili*.

Quid pater Chrysippus.] Chrysippus fuit Zenonis discipulus Asianus: de quo Laertius & Fab. Quintil. l. 1. c. 1. & 5. Sat. 3. l. 2. huius Poetæ.

Crepidas.] Sic Persius corripuit duas primas syllabas in *crepidæ* Satyr. 1.

Non hic qui in crepidas Graiorum ludere gestit.

quas Græci producunt vt εἰδυλ. 11. Theocriti.

Ναῦς ἀρηπῖδες, ναῦς δὲ χλαμυδοφόροι ἄνδρες.

Vbiq; crepidati, vbiq; chlamydati viri.

De prima nos admonuit Agellius lib. 13. cap. 20. ἀρηπὶς autem dicitur παρὰ τὸ ἕρπω, *repo*, διὰ τῦ ὑποβιβασμῦ, per *traiectum literarum*, vel παρὰ τὴν ῥαψῳδίαν, τὸ ὑποδήμα, a ῥάπτω, *suo*.

Quamuis tacet.] Hæc discretiua coniunctio sæpè cum primis temporibus, non semper cum secundis in hoc Poeta reperitur, contra præcepta quorundam Grammaticorum.

Vt Alfenus.] Supplenda est hîc ellipsis discretiuarum & repetenda ex antecedenti, *vt quamuis Alfenus*, &c.

Sutor tamen erat.] Hic Cremonensis quidam fuit, initiò quidem sutor, sed relictâ sutrinâ contulit se Romam, vbi Seruium Sulpicium Iurisconsultum audiuit, & tandem in Iurisprudentia excellens, Consul est creatus, magnoque sepulturæ honore decoratus, de quo in Pandectis: vnde non videretur censuræ Satyrici cachinni subijciendus.

Tabernâ.] Τὸ *taberna* non sumitur pro loco, vbi pauperes habitant, vt Od. 4. lib. 1. *Pauperum tabernas*, &c. sed pro loco, vbi merces minutatim venduntur: & hoc differt ab officina & apotheca. In officina enim fiunt, quæ posteà in apothecam reconduntur & asseruantur, dum inde in tabernam deferantur vendenda.

Fuste coerces.] Id est, nisi baculo, vt canes latrantes, a te abigis procul & repellis, vrgeris, id est, vrgeberis: te sectabuntur, vrgebunt, circumsistent, illudent, vt insanum & morionem, & tibi barbam vellent. Quod summo habetur ludibrio, abijtq; iam in prouerbium, τὸν πώγωνα τίλλειν, ad grauissimam alicuius contemtionem & despicientiam indicandam: quod bis etiam Persius est imitatus.

Rumpêris.] Id est, clamore caput obtundent: præsentia sunt perenallagen pro futuris.

Et latras maxime Regum.] Hæc τεχνικῶς sumuntur, pro iactas & assiduè dictitas te maximum esse magnorum regum.

Quadrante.] Quadrans definitur 4. pars assis, Gallicè, *un liard*, pretium balneatori dari solitum, Græcè ἐπίλυτρον, vnde balneum est Senecæ res quadrantaria: item fit mulier familiaris quadrantariâ permutatione balneatori, pro M. Cęlio, sic balnea vt lupanaria erant. Priùs autem in publicis balneis nihil solvebatur: sicut e Sat. 2. Iuuen. apparet.

Nec pueri credunt, nisi qui nondum æra lauantur.

Martial. lib. 10. queritur pluris sibi parari:

Balnea post decimam, lasso, centumq; petuntur,
Quadrantes.

sed hic pretij excessus ad diuturniorem loci occupationem, aut aliam commoditatem referendus est.

Crispinum.] Hic etiam Stoicus fuit solus δορυφόρος comes & stipator talis regis Stoici: de quo Sat. 1. Stipator autẽ a stipe Festus deflectit, quem mercedis nomine illi custodes corporis cuiusq; accipiebant.

Explicatio Rhetorica.

Caesar dicitur per synecdochen generis pro ipso Augusto: fuerunt enim plures Cæsares.

b Hæc membra similiter & alternatim resonant initijs & clausulis κατὰ τὴν συμπλοκήν.

c Allegoria est e perpetuis metaphoris ab apparatu conuiuiorum & more, pro cantu per totum cænæ spatium continuato, & hoc quoq; per synecdochen pro longo & diuturno cantu. Hoc quoq; positum est inter adagia in eos, qui altius repetunt aliquid, ac longius producunt, quàm opus sit: propriè diceretur Græcè, ἀπὸ τῆς ἀρχῆς, τῆς περὶ δεῖπνον μέχρι τῆς κορωνίδος προσάδειν,

præ-

præterea in *modò* iteratur Anaphora.

d Videtur hoc, sicut illud, *sic impar sibi*, sumptum a planis figuris Mathematicorum, quas Græci ὁμαλὸς καὶ ἀνώμαλος vocant, ad discrepantiam & inconstantiam animorum notandam.

e Anaphora est, in principijs eiusdē soni repetiti.

f *Reges atq; tetrarchæ* dicuntur synecdochicōs, sicut sequentia interpretantur, *omnia magna loquens*, pro, *modò excelsissimum, magnificentissimum, & rarissimum quodq; crepat genus vitæ: modò alterum tenuissimum, minimum, maximeq; populare habet in ore*: vbi rursus est metonymia subiecti pro adiunctis regum & principum esculentis, poculentis & vestimentis: contrà in *mensa* subiecti pro vili ac tenui rerum vescarum apparatu.

g Imperfecta prosopopœia Tigellij Sardi, qui inducitur loquens de sua frugalitate.

h Iam depositâ Tigellij personâ Poeta velut respondet: vbi in *decies centena* est synecdoche finiti pro infinito: quæ omnibus tàm Græcis, quàm Latinis est vsitatissima. Aristoph. ἀκήκοας μυριάκις, ἄ γὼ βούλομαι, ἢ πλεῖν ἢ μυρία audisti decies mille aut plus quàm decies mille, quæ ego volo. Terent. in Eun. Act. 5. Sc. 1. *Plus millies iam audiui.*

i *Dedisses* per synecdochen dicitur, pro, *quilibet diues dedisset.*

k Ironia est, vbi contrarium intelligendum est de hoc prodigo nepote.

l Προκατάληψις est, vbi Poeta respondet obijciendis per dialogismum.

m Rursus prosopopœia est Mænij, & cuiusdam reprehensionis specie dialogismi & exclamationis.

n Synecdoche est generis pro ipsa philautia, quam Poeta damnat.

o Synecdoche membri pro integro, id est, vrbanis hominibus huius ætatis, & nasutis irrisoribus.

p Metaphora est ab aquis, pro, *toga dependet, paullatimque delabitur ex humeris.*

q Epanaphora est eiusdem vocis ter repetitæ.

r Metaphora est ab his, qui aliquid latens scrutantes se & alios excutiunt, vt *inseuerit* a plantis, pro, *inspice vitam & mores tuos*, id est, *diligenter inquire, nunquid vitij naturâ tibi sit ingeneratum, quod sit reprehendendum.* Synecdoche est speciei pro quibusuis sterilibus herbis ac plantis.

s Epanorthosis quædam ordinis institutiac præterea metaphora in *præuertamur* a prodromis & cursoribus, qui cursu solent alios præcurrere.

t Exclamatio vehementer optantis similem errantis amici tolerantiam.

u Sumtum est a cibis insipidis, quos fastidimus & respuimus.

x Aporia est priuatæ deliberationis cum subiectione multiplici.

y Allegoria est e continuatione translationum a doliis, cæterisq; vasis vitiatis, quæ nostrâ interpretatione inuidiosâ iudicamus talia, quum satis per suum decus natiuum niteāt, nec alio cultu exteriore indigeāt. Sensus ergo est, volumus viros honestos, rectos & formosos criminari, calumniari & notam infamiæ illis inurere, trāstulit paroemiographus hoc allegoricū distichum in sua adagia, & simile fecit illi Plautino, *ebur atramento candefacere*, id est, natiuum decus obscurare, quali prædita erat quædam puella, ideoque nullâ indigebat cerussâ, aut alio fuco ad candorem.

z Alia est allegoria, quæ ducitur a cautis gladiatoribus, qui tectum, lartumq; corpus seruant aduersus petitiones antagonistarum.

aa Anaphora est cum epistrophe.

bb Est apostrophe ad Mæcenatem, cui simplicitatē suam prędicat, honestiùs ab alio celebrandam ex illo: *laudet te os alienum, non tuum.*

cc Exclamatio est commiserantis tantam imprudentiam legis sanciendæ & iam latæ.

dd Allegoria est ab his, qui res appendunt æstimationis causâ vt amici similiter metiantur mores amicorum suorum, atque ipsi velint suos remetiri sibi, quem quidem tropum continuatum Paroemiologus inter adagia posuit: similis allegoria legitur lib. 1. cap. 2. de Clementia, vbi Seneca consulit Neroni imperatori, vt, quia per difficile sit sententiam iudicis semper appendi æquâ lance, propensior sit in clementiam quàm in crudelitatem. Sic iusto libramine quædam per æquitatem corriget, quædam per misericordiam remittet, huius autem auctoris verba sunt. *Nam tam omnibus ignoscere crudelitas est, quàm nulli modum tenere debemus: sed quia difficile est temperamentum, quidquid æquo plus futurum est, in partem humanioremprependeret.* Perusitatus est hic sanè tropus continuatus, vt tibi modò innotuit e disticho Theognidis in Grammaticis citato de Ioue trutinam tenente vel ad hunc extollendum, vel ad illum pro arbitratu suo deprimendum. Hanc autem allegoriam D. Gregorius in moralibus sic apertius expressit, *omnis, qui iustè iudicat, stateram, in manu gestat, in vtroque penso iustitiam & misericordiam portat: sed per iustitiam reddit peccati sententiam, per misericordiam peccati temperat pœnam.*

ee Alia est allegoria pro grauibus & leuibus peccatis, quæ vitijs corporis notantur.

ff Iteratur allegoria a ponderantibus quantitate disparibus.

gg Metaphora est a suauitate eduliorum, vnde sunt etiam translata *insuauis & acerbus*, contrario tamen sensu, e notis Grammaticis notum fuit hoc tropi genus ita, vt nihil iam hîc opus sit alia explanatione.

hh Metonymia est materiæ pro nummis ex ære fāctis & cusis.

ii Altera est metonymia, sed effecti pro efficiente tristes debitores.

kk Metaphora est ab impedimentis pedum solutis.

ll Metaphora est a parentibus pro caussa & origo iuris.

mm Metaphora est altera a ventre gradientibus ad imbecillitatem primorum hominum in ortu indicandam.

nn Synecdoche generis pro hominibus.

oo Alia est metaphora a bestijs ad rudes & rationis & articulati sermonis expertes homines significandos.

pp Puto hîc *voces* valere axiomata, & enunciata, id est, integras sententias per synecdochen membri pro integro, quibus sensa mentis exprimuntur. Nam simplices rerum notiones intelliguntur per nomina & verba.

qq In *neu* iterato est anaphora.

rr Synecdoche est membri pro mulieribus formosis & pulcris, quæ ante Helenam fuerunt flabella belli, vt docuimus in Grammaticis. Homerus expressit Helenam nomine generis his versib. Iliad. 3. sub medium:

Οὐ νέμεσις Τρῶας καὶ ἐυκνήμιδας Ἀχαιοὺς
Τοίῃ δ' ἀμφὶ γυναικὶ πολὺν χρόνον ἄλγεα πάσχειν.

quos videtur Fabius sic interpretatus: *Non putam indignum Troianos principes Graios Troianosq; propter Helenæ speciem tot mala tantoq; temporis spacio justinere.* Eōdem quoque Propertius allusisse:

Digna quidem facies, pro qua vel obiret Achilles.

Vides in his exemplis pro cunno vsurpari ab alijs auctoribus talem mulierem, speciem & faciem eiusdē.

ss Metonymia est caussa pro amore in primā quámque mulierem.

tt Synecdoche speciei, pro historijs & annalibus, vt in *velu* pro *quiq; velit*.

uu Epistrophe est eiusdem soni in clausulis incisorum.

xx Synecdoche est membri pro integro, vel brassica, vel alio olere.

yy Sumptum est ab Architectis, qui regunt longitudines regulis ac lineis, vt altitudines perpendiculis, & angulos normis, ait Vitruuius lib.7. Simili tropo D. Paulus vtitur sub finem cap.6. Epist. ad Galatas, quum doctrinam Apostolicam, de fide in Iesum Christum vocat canonem. Καὶ ὅσοι τῷ στοιχήσουσιν, εἰρήνη ἐπ' αὐτοὺς καὶ ἔλεος. *secūdùm quem qui incedunt pax erit super eos & misericordia.* στοιχεῖν ἤ κανόνι τούτῳ· *incedere* autem *secundùm hanc regulam*, non est intelligendum de simplici & quouis incessu, sed de recto & legitimo ordine, a quo non fas est deflectere, neque dextrorsum, neque sinistrorsum, vt lege 18. cap. Deuter. cautum fuit.

zz Apostrophe est ad Stoicum aliquem per dialogismum.

*a Breuis prosopopœia Chrysippi, qui inducitur describens sapientem, ne quid ipse videatur de suo Stoicis affingere.

*b Translatum est a procreantibus ad vnum Stoicæ sectæ magistrum.

*c Nunc personâ Chrysippi depositâ eandem descriptionem fusiùs explicat.

*d Procatalepsis est, *occupatio* obijciendæ horum inertiæ.

*e Synecdoche generis pro specie *sutrina*.

*f Anaphora est.

*g Sumptum est a canibus ad inanem iactantiam notandam.

SATYRA QVARTA.

Docet, quantam naturæ & morum habeat disimilitudinem a plerisq; delatoribus Poetis.

EVpolis, atq; Cratinus, Aristophanesq; Poetæ,
Atq; alij, quorum Comœdia prisca virorum est:
Si quis erat dignus describi, quòd malus, aut fur,
Quòd mœchus foret, aut sicarius, aut alioqui
Famosus: multa cum libertate notabant.
2. Hinc omnis pendet Lucillius, hosce sequutus,
Mutatis tantùm pedibus numerisq; facetus,
a *Emunctæ naris,* b *durus componere versus.*
Nam fuit hoc vitiosus, in hora sæpè ducentos,
Vt magnum, versus dictabat, c *stans pede in vno:*
3. Quum d *fluueret lutulentus, erat, quod tollere* e *velles:*
Garrulus, atq; piger scribendi ferre laborem
f *Scribendi rectè: nam vt multum, nil moror.*
4. g *Ecce*
Crispinus minimo me prouocat: h *accipe, si vis,*
Accipiam tabulas: detur nobis locus, hora,
Custodes, videamus, vter plus scribere possit.
5. i *Dî bene fecerunt, inopis me, quodq; pusilli*
Finxerunt animi, raro & perpauca loquentis.
k *At tu conclusas hircinis follibus auras*
Vsque laborantes, dum ferrum molliat ignis,
Vt mauis, imitare. 6. beatus Fannius vltrò
Delatis capsis & imagine l *7. quum mea nemo*
Scripta legat, vulgò recitare timentis: ob hanc rem,
8. Quòd sunt, quos genus hoc minimè iuuat: vtpote plures
Culpari dignos. 9. m *quemuis mediâ erue turbâ:*
n *Aut ab auaritia, aut* o *misera ambitione laborat.*
Hic nuptarum insanit amoribus: hic puerorum
Hunc capit argenti splendor: p *stupet Albius ære:*
Hic mutat merces surgente a sole, ad eum, quo
Vespertina tepet regio: q *quin per mala præceps*
Fertur, 10. vti pulueis collectus turbine: 11. nequid
Summâ deperdat metuens, aut ampliet vt rem.
12. Omnes hi metuunt versus: odere Poetas:
r *Fœnum habet in cornu: longè fuge, dum modò risum*
Excutiat sibi, non hic cuiquam parcit amico,
Et quodcunq; semel chartis s *illeuerit, omnes*
Gestiet a furno redeuntes scire, t *lacuq;*
Et pueros, & anus. 13. Agedum, pauca accipe contrà.
Primum ego me illorum, dederim quibus esse Poetas,
u *Excerpam numero: neque enim concludere versum*
Dixeris esse satis: neque si quis scribat, vti nos,
Sermoni propiora, putes hunc esse Poetam.
Ingenium x *cui sit, cui mens diuinior, atq; os*
Magna sonaturum, des nominis huius honorem.
14. Idcirco quidam Comœdia, nécne poema
Esset quæsiuêre, quòd acer y *spiritus, ac vis,*
z *Nec verbis, nec rebus inest, nisi quòd pede certo*
Differt sermoni, sermo merus. 15. aa *At pater ardens*
Sæuit quòd meretrice nepos, insanit amicâ
Filius, vxorem grandi cum dote recusat
Ebrius, & (magnum quod dedecus) ambulat ante
Noctem cum facibus. 16. Nunquid Pomponius isti is
Audiret leuiora, pater si viueret? 17. Ergo
Non satis est puris versum transscribere verbis,
Quem si dissoluas, quiuis stomachetur eodem;
Quo personatus, pacto pater. 18. His, ego quæ nunc,
Olim quæ scripsit Lucillius, bb *eripias si*
Tempora certa, modosq;, & quod prius ordine verbum est

19. Non

Posterius facias, præponens vltima primis:
19. Non vt soluas, postquam cc discordia tætra
dd Belli, ferratos postes, portasq; refregit.
Inuenias etiam disiecti membra ee *Poetæ.*
20. Hactenus hæc: aliàs iustum sit, nécne poema.
Nunc illud tantùm quæram: meritóne tibi sit
Suspectum ff *genus hoc scribendi. Sulcius acer*
Ambulat & Caprius, rauci malè, cumq; libellis,
Magnus vterq; timor latronibus: at bene si quis,
Et viuat puris manibus, contemnat vtrumq;.
21. gg *Vt sis tu similis Cæli Byrrhiq; latronum,*
Non ego sim Sulcî, neq; Capri: cur metuas me?
22. Nulla taberna meos habeat, neque pila, libellos,
Queîs manus insudet vulgi, Hermogenísque Tigellî.
Non recito cuiquam, nisi amicis: idq; coactus.
Non vbiuis, corámve quibuslibet. 23. In medio qui
Scripta foro recitent, sunt multi, quiq; lauantes,
Suaue locus voci resonat conclusus: 24. inanes
Hoc iuuat, haud illud quærentes nunc sine sensu,
Tempore num faciant alieno. 25. hh *Lædere gaudes,*
Inquis, & hoc studio prauus facis. Vnde petitum
Hoc in me ii *iacis? est auctor quis deniq; eorum,*
Vixi cum quibus? 26. Absentem qui rodit amicum,
Qui non defendit, alio culpante: solutos.
kk *Qui captat risus hominum, famamq; dicacis:*
Fingere non visa potest: commissa tacere
Qui nequit: hic niger est: hunc tu, Romane, caueto.
27. Sæpè tribus lectis videas cænare quaternos:
E quibus vnus auet, quauis ll *aspergere cunctos,*
Præter eum, mm *qui præbet aquam. Post hunc quoq; potus,*
Condita quum verax aperit præcordia nn *Liber.*
Hic tibi comis & vrbanus, liberq; videtur
Infesto oo *nigris. Ego si risi, quòd ineptus*
Pastillos Rufillus olet, Gorgonius pp *hircum,*
Liuidus & qq *mordax videor tibi? 28. Mentio si qua*
De Capitolini furtis iniecta Petillî
Te coram fuerit, defendas, vt tuus est mos?
rr *Me Capitolinus conuictore vsus, amicoq;*
A puero est, caussaq; meâ permulta rogatus
Fecit, & incolumis, lætor, quòd viuit in Vrbe.
Sed tamen admiror, quo pacto iudicium illud
Fugerit! 29. ss *Hic nigræ succus loliginis, hæc est*
Aerugo mera: quod vitium procul abfore chartis,
tt *Atq; animo priùs, vt* uu *si quid promittere de me*
Possum aliud, verè promitto. 30. Liberius si
Dixero quid, si fortè iocosius; hoc mihi iuris
Cum venia dabis. 31. xx *Inseuit pater optimus hoc mî,*
Vt fugerem, exemplis vitiorum quæq; notando.
Quum me hortaretur, parcè, frugaliter atq;
Viuerem vti contentus eo, quod mî ipse parasset;
10 yy *Nónne vides, Albî vt malè viuat filius? vtq;*
Barrus inops? magnum documentum, ne patriam rem
Perdere quis velit. A turpi meretricis amore
Quum deterreret; Sectani dissimilis sis.
Ne sequerer mœchas, concessâ quum Venere vti
Possem; deprensi non bella est fama Treboni,
Aiebat. Sapiens, vitatu, quidq; petitu
Sit melius, caussas reddet tibi: mî satis, si
20 *Traditum ab antiquis morem seruare, tuamq;,*
Dum custodis eges, vitam famamq; tueri
Incolumem possim. Simul ac durauerit ætas
Membra animumq; tuum; zz. *nabis sine cortice. Sic me*
Formabat puerum dictis: & *a *siue iubebat,*
Vt facerem quid; habes auctorem, quo facias hoc:
Vnum ex iudicibus selectis obijciebat:
Siue vetabat; an hoc inhonestum, & inutile factu,
30 *Nécne, sit, addubites,* *b *flagret rumore malo quum*
Hic atq; ille? 32. Auidos vicinum *c *funus vt ægros*
Exanimat, mortisq; metu sibi parcere cogit:
Sic teneros animos aliena opprobria sæpè
Absterrent vitijs. 33. Ex hoc ego sanus ab illis,
Perniciem quæcunq; ferunt: mediocribus, & queis
Ignoscas, vitijs teneor. 34. Fortassis & istinc
Largiter abstulerit longa ætas, liber amicus,
40 *Consilium proprium. Neq; enim, quum lectulus, aut me*
Porticus excepit, desum mihi: *d *rectius hoc est:*
Hoc faciens viuam melius: sic dulcis amicis
Occurram: hoc quidam non bellè: *e *nunquid ego illi*
Imprudens olim facim simile? 35. *f *Hæc ego mecum*
Compressis agito labris: vbi quid datur otî,
*g *Illudo chartis: Hoc est mediocribus illis*
Ex vitijs vnum: 36. cui si concedere nolis,
50 *Multa Poetarum veniat* *h *manus, auxilioq;*
Sit mihi: nam multò plures sumus: ac veluti, te,
Iudæi, cogemus in hanc concedere turbam.

Analysis Dialectica.

APologetica est hæc 4. Satyra & propugnatio quædam, defensioque dignitatis Horatianæ contra malevolos, qui dictitarent ab Horatio primum quemque distringi carmine mordaci, ipsiusq; 60 Poesin Lucillianæ longè posthabendam. Fit autem Thetici significatio sub dimidium sermonis præter manifestum eiusdem rei argumentum in complexu sparsum:

Vt sis tu similis Cæli Byrrhiq; latronum:
Non ego sum Sulci, neq; Capri.

Verùm illud enuncietur distinctiùs suis partibus; quò faciliùs & clariùs copia argumentorum ad eas referatur: *Horatius liberaliter institutus a patre longè secus se gerit in poemate condendo & elaborando, vitijsq; hominum notandis, atq; plerisq; omnes faciunt Poetæ.* Antapodosis quidem amplificatur initiò distributione quadam Poetarum Comicorum & Satyricorum e materia ipsis ad scribendum proposita, qui licentiùs, quàm par esset & homines ferrent, varios cuiusque mores notarent & vellicarent.

2. Ad hanc liberam cuique obloquendi consuetudinem Lucillium aggregat e ratione similium, præ-

terquam quòd metris Heroicis, non, vt alij, iambicis illud persequutus est, eumq; describit prætereà ex adiunctis & factis: *quòd politissimis facetiis, sale, sensuum sagacitate & ingenij acumine quiduis celeriter percipiendi præstaret: versus tamen inconditos e re natos conscriberet infinitos: breui tempore ac nullo penè negotio amanuensi puero dictaret, nec limare curaret.*

3. Ad leniendam incuriæ Lucillianæ accusationem pertinet hic locus e diuersis: *Quamuis Lucillius versus profundere videtur horridos & incultos: esse tamen in illis sordibus aliquid, quod ipse probares, & in tuum vsum transferre posses.* Ita noster Poeta remissiùs se gerit in vitijs aliorum notandis, quàm superiores.

4. Hic Crispinus tanquam succenturiatus Lucillio futurus, accedit imprudenter certo pignore provocaturus Horatium ad scribendum, qui gloriatur insolenter de expetita & profluente fundendi versus celeritate: vnde perspicitur facillimè & optimè, quantum absit ab illo modestia nostri Poetæ. Proponitur quidem certamen e cõuenientibus circumstantiis explicatum, loci, temporis, testium atque Criticorum de multitudine versuum: sed non de eorundem grauitate & felicitate.

5. Hoc ad protasin superioris dissimilitudinis, quam habuit noster Poeta naturæ & morum cum alijs, pertinet: vbi ipse non accipit conditionem certaminis sibi cum Crispino instituti, nulloq; pignore dignatur: sed iudicat hanc concertationem iniquam esse ex adversis, vt audacia, imprudentia, insolentia & iactatio hominis audacis, garruli, vani & leuis, certet cum verecundia, lenitate, modestia & constantia, taciturnitate alterius, *οἱ σφραγίσεσθαι τοὺς μὲν λόγους σιγῇ, τὸν δ' σίγλιν καιρῷ: qui certè nouit verba silentio, & silentium opportunitate consignare e sententia Solonis.*

6. Hunc alium Poetam Horatius prædicat εἰρωνικῶς beatum ex dissimilibus: *quòd suos libros & imaginem sine suffragiis pop. Rom. Criticorum, & Senatus vlirò detulerit in publicam Bibliothecam, immo: talis memoriæ caussâ:* quod tamen ei magis nomine orbitatis, quàm Poeticæ virtutis contigisse ferunt: constat n. hunc Fannium malum & ineptum Poetam fuisse: vnde videmus, quam nasutus simulator sit Horatius.

7. Antapodosis est, quam subijcio protasi repetitæ sic: *alij sua carmina diuulgare audent, ac gestiunt certis quibusdam proponere legenda. Horatius sua timet recitare:* hoc quoque ad vtramque propositæ initiò comparationis partem spectat.

8. Eadem antapodosis illustratur adiunctâ vitiorum offensione: *Cur times, Horati scripta tua publicare & recitare? Quia,* inquit, *vitiosi homines, qui nolunt reprehendi & culpari, meorum lectione & recitatione offenderentur.*

9. Eódem refertur hæc distributio vitiosorum e subiectis rebus, in quib. illi turpiter ac stagitiosè versantur, auaritiâ, ambitione, adulterio, pygismate, prædicatione, studio vasorum argenteorum & signorum æneorum, & mercaturæ vbique terrarum faciendæ.

10. Hic immoderatus & præceps amor amplificandæ rei domesticæ illustratur similiũ collatione: *quo captus mercator sic rapitur per grauissima quæque pericula: vt puluis, vndique ventis erumpentibus sæuéque furentibus turbinum gyris, passim dispergitur per terras & per auras.* Melius autem sibi consuleret, si hoc Senecæ animo versaret, atque in actum maturè educeret, *vti famem sitimque depellas, non est necesse maria tentare, nec castra sequi: parabile est, quod natura desiderat, & citò apponitur.*

11. Idem augetur finali caussâ duplici: *quòd hæc discrimina libenter subeantur, ne quid congestis iam fortunis, vel sumtus faciendi quotidiè magnitudine, vel seruorum infidelitate, vel dirâ furum rapacitate deperdatur, vel vt res familiaris auctior tali labore fiat.*

12. Iteratur superior ratio, *quamobrem editio scriptorum suorum impediatur,* ex adiunctis *metu & odio vitiosorum, Satyricum Poetam monent fugiendum* e factis illius & maiorum collatione: *Hi,* aiunt, *primumquemq; mordet, nec solum non cuiquam parcit, sed ne ab amico quidem abstinet dentem apertum: & quam vitij notam alicui inusit, curat eam omnibus patefactam.*

13. Videtur hic quibusdam digressio ad querendum, vtrùm vetus Comœdia & Satyra Horatij digna sint nomine poematis: sed mihi potiùs esse videtur Horatij responsio, tum ad insolentiam & iactationem Crispini retundendam, tum ad maledicos flagitiorum sermones reprimendos. Initiò autem Poeta attentionem postulat suæ responsioni, vt se numero malorum Poetarum existimat, quod instituit ex descriptione boni Poetæ, quam enunciat e loco diuersorum: *Non est dicendus Poeta, qui tantum certa numero, certisque legibus pedum versus conficere potest, aut similes orationi solutæ illos reddere,* qualem se modestè fatetur esse: *sed qui naturæ & mentis dotibus ornatus, diuinoq; spiritu afflatus,* (i. qui valet naturali facultate inveniendi, disponendi & eloquendi) *carmina scribere solet grauia & plena.* Hæc pars diuersitatis constat ex efficientibus boni Poetæ, natura, vi atque diuino afflatu: quibus tantum Cicero tribuit, vt facultatem ingenij nunquam sibi voluerit arrogare: sed si quid esset ex artibus consecutus, id suo labori, diligentiæ ac industriæ acceptum ferebat, non tamen sine immodica suarum laudum prædicatione. In hoc fuit noster Poeta Cicerone audacior, quum Ode 6. l. 4. iactat sibi carminis artem ab Apolline & nomen Poetæ datum.

14. Ex hac descriptione Poetæ dubitatum est a quibusdam, vtrùm Comædia poema esset, an merus sermo: ratio dubitationis sumitur ex eadem diuersitate, verbis paullulùm immutatis.

15. Locus est e contradicentibus: *Nulla vis, nullus acris spiritus, nulla sensuum elatio inest verbis & rebus Comœdiæ: Hæc igitur non est poema.* Alter dicit: *in Comœdia pater inducitur indignissimè ferens libidinem & intemperantiam filij, grauiter irascens, quòd recuset vxorem benè doratem: quod bona dissipet: quòd faces in luce media incendat & ambulet: In ea igitur sunt acres spiritus, est magna vis: ideoq; Comœdia est poema.*

16. Consecutio refellitur parium collatione: *quòd non continuò Comœdia sit pro poemate habenda ex acerbitate patrum personatorum & obiurgantium liberos grauiterq; irascentium: quum Patres quotidie non minus succenseant domi populari sermone liberis suis, libidinosè intemperanterq; viuentibus:* vbi Pomponius adolescens obiter vrbanè & facetè reprehenditur.

17. Concluditur descriptio boni Poetæ ex eodem genere dissentaneorum, quo antea: sed dilatatur prætereà comparatione parium, id est, *patris personati, & patris veri domestici, qui irascuntur suis liberis flagitiosis æqualiter oratione strictâ, atque liberâ.*

18. Confirmatur prætereà discrimen perfecti Poetæ & vulgaris, loco dissimilium: *Non, quemadmodum poema boni Poetæ neglectâ longarum & breuium syllabarum,* id est, pedum & metri, *ratione, verborum etiam ordine inverso semper retinet formam styli Poetici & maiestatem: non, inquam, sic poema vulgare:* quale dicit callidè suum & Lucillij esse, *nec, quod sermone communi constaret, his omnibus immutatis, priorem gratiam retinere.*

19. Protasis exemplo versus Enniani firmatur, vbi versu dissoluto, verbisque transpositis, remanet tamen effigies sublimis styli: quia illi magnus ante fuit

spiritus

ſpiritus, magna vis, grandiſque oratio.

20. Redit ad alteram quæſtionem, miſsâ ſuperiori, *cur ſua Satyra nomine maledicti & contumeliæ ſuſpecta eſſet:* quam ſuſpicionem maledicentiæ ſegregat a ſe diſſimilium collatione, vt initiò monuimus: *Delatores Sulcius & Caprius ſunt maleficii & latronibus formidoloſi, Cælo & Byrrho: Horatius eſt illis delatoribus omnino diſſimilis: itaque nec metuendus, nec fugiendus eſt.*

21. Protaſis declaratur loco diuerſorum: *Quamuis tu, qui vitas Horatium, ſis latro, vt Cælius & Byrrhus: Horatius tamen non eſt delator, vt Sulcius & Caprius.*

22. Illuſtratur poſterior pars diuerſitatis primùm ex adiunctis: *quòd ſcripta Flacci non ſint in lucem prolata, nec in publicis officinis proſtent, nec manibus vulgi & Hermogenis Tigellii terantur:* deinde è factis: *quòd ipſe auctor illa nemini recitet, & cum amicis tantum communicet, idq; coactus.*

23. Fingit Horat. ſibi ab aliquo faceto contradici quadam diſtributione è ſubiectis: *quòd Poetæ quidam palàm in foro, alii clàm in balneis Satyras ſuas recitent, ſoni iucundioris gratiâ.*

24. Horatius reſpondet ex ſubiectis & factis, *talem delectationem eſſe leuium hominum, & nihil penſi habentium, nunquid ſtultè & intempeſtiuè faciant.*

Ianus Duſa citauit hunc locum in præcidaneis ad adPerronii arbitri locum, *Eumolpus in balneo carmen recitabat*, &c. vbi notat noſtrum poetam vrbaniſſime perſtrinxiſſe cacoethes quorundam, qui omni tempore & loco. Identidem ſuos verſus ad nauſeam vſque recitare ſolent: quod firmat exemplo illius Ligurini, quem feſtiuè Martialis ſic deſcripſit lib. 3. Epigr. 44.

Et ſtanti legis, & legis ſedenti;
Currenti legis, & legis cacanti:
In thermas fugio, ſonas ad aurem:
Piſcinam peto, non licet natare.
Ad cœnam propero, tenes euntem:
Ad cœnam venio, fugas ſedentem:
Laſſus dormio, ſuſcitas iacentem, &c.

25. Obiectum quoque gaudium aliis obloquendi refutat, vt nullo teſtimonio firmatum.

26. Iam Poeta, vt à ſe removeat improbitatis & maledicentiæ nomen, & ſe minimè fugiendum & pertimeſcendum ſuadeat, à deſcriptione hominis improbi & infidi ex effectis argumentatur: *qui clàm amicis detrahit: nec eos ab aliis culpatos defendit: qui ſtudet aliis riſum effuſum mouere rebus falſis, vanis & fictis, & inde ſibi famam vrbani & faceti colligere, nec poteſt arcana fidei ſuæ credita tacere: hic malitioſus, improbus eſt & infidus: itaq; cauendus.*

Ita Demoſthenes initio ſecundæ olynthiacæ videtur definitione declarare calumniam & conuitium, vnáque calumniatorem & conuitiatorem, τὸ μὲν ὄν ἐπίορκον καὶ ἄπιστον καλεῖν ἄνευ τοῦ τὰ πράγματα δεικνύειν, λοιδορίαν εἶναί τις ἂν φήσειε κόνλιν δικαίως, id eſt, *appellare igitur* (aliquem) *periurum ac perfidum, nec facimus periurio & perfidia patratum confirmare, merito quis dixerit vanum eſſe ac inane conuicium.* Huc videtur pertinere illud Plauti è Gurgul. comœdia.

Indignis ſi maledicitur, maledictum id eſſe dico:
Veram ſi dignis dicitur, benedictum eſt, meo quidem animo.

27. Poſita deſcriptione hominis nigri, maleuoli, perfidioſi & inſidioſi, oſtendit è diſparatis aduerſarii ſui iudicium valdè corruptum, quo *is iudicatur comis & facetus, qui omnes ſuos ſodales, & ipſum etiam conuiuatorem qualibet contumeliâ & quibuuis maledictis aſpergat: Horatius autem liuidus & mordax exiſtimatur, qui rideni tantùm dicat hunc olere vnguenta, illum ſpirare grauem bircum*, id eſt, hunc eſſe mollem & effæminatum, illum eſſe fœtidum & immundum.

28. Notatur præterea peruerſitas eiuſdem corrupti iudicii è diuerſis: *Quanquam*, inquit, *tu, qui reprehendis & metuis mea carmina vt nimis aculeata & mordacia, dictitas te bene velle Capitolino Petillio, & eum vbique defendas: tamen quum dicis, te mirari, qui fuerit abſolutus crimine ſublatæ coronæ è Capitolio, ſignificas eum fuiſſe furti reum, nec jure abſolutum, ſed pecuniâ capiâ ob rem judicandam dimiſſum: vnde perſpicitur oratio tua nigra, perfidioſa & infidioſa.*

29. Locus eſt à diſſimilium contentione: *Non, vt accuſator Horatianæ maledicentiæ tegit odium ſuum amicitiæ ſimulatione; talem ſe præſtabit Horatius animo & ſcripto erga quenquam.*

30. Oſtendit ex efficiente, *libertatem notandi vitia cuiuſq; vrbanè & facetè, ſe à patre didiciſſe: ideòque ſales & jocos ipſius veniâ dignos eſſe.*

31. Ratio inſtitutionis Horatianæ deſcribitur è ſua forma, cuius involucro mirum ſe Poeta præbet artificem texendæ Satyræ, ac turpiſſimæ cuiuſque intemperantiæ notandæ. Producitur autem forma paterni conſilii vſque ad hæc verba: *Ex hoc ego* &c: vbi quid fugiendum, quidve faciendum præcipitur, & vtrumque factis atque exemplis explicatur, vt filius vitas aliorum tanquam in ſpeculis inſpiciens, quid dedeceat, maturè vitet: quidue deceat, ſequatur.

32. Ad eandem rationis firmationem pertinet hæc ſimilium comparatio: *Quemadmodum mors vicinorum ab luxuie & intemperantia profecta, continet ægrotos in abſtinentia vini, cibi & aliorum contrariorum: ſic dedecus libidinoſorum & intemperantium reuocat adoleſcentes à vitiis.*

33. Locus eſt ex effectis, quæ exſtiterunt ex cauſſa priori *quòd Poeta tali educatione factus ſit purus ab exitioſis, graribuſq; vitiis, & ſolùm mediocribus, quæ facile quiſque condonet, nunc laboret.*

34. Ex adiuuantibus cauſſis etiam demonſtrat, *illam morum moderationem longâ ætate, admonitione liberi amici, proprio & logico reformandæ quotidie vitæ ſtudio excultam*; ad quod videtur impulſus Pythagoræ doctrinâ:

Γρῆστε δὲ ταῦθ', ἅγε μὴ βλάψῃ, λόγισαι ἢ πρὸ ἔργου.
Μηδ' ὕπνον μαλακοῖσιν ἐπ' ὄμμασι προσδέξασθαι,
Πρὶν τῶν ἡμερινῶν ἔργων τρὶς ἕκαστον ἐπελθεῖν.
Πῇ παρέβην, τί δ' ἔρεξα, τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη;
Ἀρξάμενος δ' ἀπὸ πρώτου ἐπέξιθι κἀν μετέπειτα,
Εἰλὰ μὲν ἐκπράξας, ἐπιπλήσσεο· χρηστὰ δὲ τέρπου.

Aggrediaru tibi profutura: gendorum maturè rationem ſubducas: Nec priùs ſomnus obrepat tuis mollibus oculis, quam animo intento percurreris quicquid interdiu fecerit. Quà tranſiui? quid à me, quod opus erat, non perfectum eſt? Exordiſus à principio reliqua percurre. Quòd ſi turpia fecerit, increpa te & caſtiga: ſin honeſta, gaudeas. Non diſſimile fuit conſilium Sirachidæ cap. 37. Καὶ βουλὴν παρὰ λίας φύλασσον. ἐγὼ ἐστί σοι πιστότερος αὐτῆς· ψυχὴ γὰρ ἀνδρὸς ἀπαγγέλλει σοι ἔνοδον, ἢ ἑπτὰ σκοποὶ ἐπὶ μετεώρου καθήμενοι ἐπισκοπῆς· καὶ ἐπὶ πᾶσι τούτοις δεήθητι ὑψίστου, ἵνα εὐθύνῃ σὺν ἀληθείᾳ τὴν ὁδόν σου, id eſt. *Itaq; conſilium cordis tui fulcito, nemo enim tibi fidelior eſt illo. Nam animus cuiuſque interdum renuntiare ſolet melius, quàm multi ſpeculatores ſedentes in ſpecula: Sed ſupra hæc omnia precare & obſecra altiſſimum, vt veritas ipſius dirigat inſtitutum tuum.* Ad hanc autem morum moderationem valde ſunt vtiles morbi hominum, ſicut ſapienter ſcripſit Michael Hoſpitalius Franciæ olim Cancellarius ad Carolum Card. Lothar. in

metrica consolatione aduersus reliquias diuturni morbi,

Quis enim florens & corpore sano
Interdelicias agitat cælestia mente?
Nemo fere crepidis nisi rebus numina diuûm
Magna vocat. Monitor sapiens in tempore morbus!
Expertus moneo, didici quæ non ita pridem,
Quum multo fluerent rupta mihi sanguine venæ,
Ac me dira sitis premeretq; intercutis vndæ
Et metus, & præsens, obstent nisi fata, periclum.
Quas ego non aras? quæ non delubra Deorum
Cum supplex adii? quibus hoc non deniq; votis
Damnaui funebre caput? quumq; ante pigeret
Actorum, in melius mores mutare parabam,
Expendens mecum, factũ hoc bene: at hoc male factum:
Sic facies melius, sic de cælestibus addes.

35. Ex hac inspectione vitæ alienæ & inquisitione propriæ efficit, *tam leuia esse sua vitia, vt minimè debeant animaduerti & notari: itaq; se planè dissimilem aliis delatoribus & Poetis habendum.*

36. Docet ex adiunctis, *ab aduersario dandam esse veniam sibi leuissimè peccanti: sin minus; affuturos sibi innumerabiles Poetas auxilio, aduersus maledicam ipsius in eos inuidiam:* quorum potestas declaratur similium collatione: *quòd hi in scribendo pertinaces cogent illum descendere ad idem sentiendum de Poetica, & probandum, quod ipse & alii scribunt Poetæ: non secus ac Iudæi in sua religione obstinati perducunt cæteras gentes in suas ceremonias & superstitiones.* Admodum sane hæc scripta sunt vrbanè & facetè: vnde tamen facilè perspicias, & multitudinem Poetarum illudi, & religionem Hebræorum ludibrio fuisse gentibus prophanis, vt hodie illam Christianorum Turcis impiis ac Epicureis: qualis impietatis pœnæ judicio Dei iusti reseruentur.

Enarratio Grammatica.

Eupolis atq;.] Nomine Platonis discrimen styli inter hos Poetas sic notatur: Ἀριστοφάνης τὸν μέσον χαρακτῆρα· ὅτε μὲν πικρὸς λίαν ἐστίν, ὥσπερ ὁ Κρατῖνος, ὅτε χαρίεις, ὥσπερ ὁ Εὔπολις· ἀλλ' ἔχει καὶ πρὸς τοὺς ἁμαρτάνοντας τὸ σφοδρὸν τοῦ Κρατίνου, καὶ τὸ τοῦ ἐπιτρεχούσης χάριτος Εὐπόλιδος. *Aristophanes medium exercuit stylum: neq; enim acerbus est nimiùm, vt Cratinus: neq; vrbanus, vt Eupolis: sed vehementiam Cratini habet aduersus delinquentes, & vrbanitatem Eupolis incurrentem.* Vell. quoque Paterc. volum. 1. horum meminit: *Vt aliorum tum Comicorum, tum Tragicorum, vna, neq; multorum annorum spatio diuisa, ætas per diuini spiritus viros Aeschylum, Sophoclem, Euripidem illustrauit Tragœdias: vna priscam illam & veterem sub Cratino, Aristophane & Eupolide Comœdiam: ac nouam Comicam Menandru, æquales eius ætatis magis, quàm operis Philemon ac Diphilus & inuenêre intra paucissimos annos, neque imitanda reliquêre.* De tribus autem his veteribus Comicis Græcis, & antiqua Comœdia sic Quintilian. loquitur l. 10. c. 1. *Antiqua Comœdia cum sinceram illam sermonis Attici gratiam propè sola retinet, tum facundissima libertatis, etsi est in sectandis vitiis præcipua, plurimum tamen virium etiam in cæteris partibus habet. Nam & grandis & elegans, & venusta, & nescio, an vlla, post Homerum tamen, quem, vt Achillem, semper excipi par est, aut similior sit Oratoribus, aut ad Oratores faciendos aptior. Plures eius auctores: Aristophanes tamen & Eupolis, Cratinúsque præcipui.* Quod Suetonii testimonio firmari potest in Oct. c. 89. *Delectabatur etiam Augustus veteri Comœdiâ & sæpè eam exhibuit publicis spectaculis.* De tali autem sermonis Attici gratia D. Chrysost. Aristophanem in primis celebrauit: ob quam ab Athenienfibus quoque rogatis missus est ad Diopysium Tyrannum huius sermonis studiosum: sed apud omnes bonos pessimè audiuit, quòd sapientem Socratem scriptis suis exagitauit. Suidas scribit ab illo 54. Comœdias cõscriptas, eúmque φιλοπότην, *cupidum comportationum* fuisse. De duob. reliquis ita Persius Sat. 1.

— audaci quicunq; afflate Cratino,
Iratum Eupolidem prægrandi cum sene palles.

Notanda est autem varietas inflexionis apud Persium & apud Horat. Sat. 3. l. 2.

Eupolin, Archilochum, comites educere tantos?

Eupolidis querela recitatur à Stobæo de mutata ratione suæ Reip. gerendæ: Καὶ μὲν ἐγὼ πολλῶν παρόντων, ὃν ἔχω, τί λέξω ὅτω σφόδρ' ἀλγῶ τὴν πολιτείαν ὁρῶν παρ' ἡμῖν· ὑμεῖς γὰρ οὐχ ὅτω τέως ὠφελεῖν, ὦ γέροντες, ἀλλ' ἦσαν ὑμῖν τῇ πόλει πρῶτον μὲν οἱ στρατηγοὶ ἐκ τῶν μεγίστων οἰκιῶν πλούτῳ γένεσι πρῶτοι οἷς ὥσπερεὶ θεοῖσιν εὐχόμεθα, νῦν γὰρ ἦσαν ὡς τὸ ἀσφαλῶς ἐπράττομεν· νυνὶ δ' ὅποι τύχοιμεν στρατευόμεθ' αἱρούμενοι καθάρματα στρατηγούς. *Non equidem è multis rebus quam potissimum dicam, scio. Tanto me conficit dolore præsens Reip. nostræ status! Non enim vos, o senes, sic illam anteà gerebatis: sed erant nobis initiò in vrbe duces è maximis familiis orti, opibus & generis splendore insignes, quibus tanquam Diis vota faciebamus: quippe qui nostræ securitatis & salutis auctores erant,* vel, ita enim se gerebant, vt nos securè sub ipsis viueremus: *nunc autem quocunque sors tulerit nos, militamus, deligentes pro ducibus sceleratissimos quósque:* vel *nunc verò sub improbissimis quibusque delectis ducibus militamus.* Cic. l. 6. Epist. 1. ad Attic. scribit Alcibiadem huius interfectorem: *Quid enim non dixit,* Εὔπολιν τὸν τῆς ἀρχαίας, *Eupolin, illum veteris comœdiæ Poetam ab Alcibiade nauigante in Siciliam deiectum esse in mare.* Aelian. tamen aliter loquitur de ipsius morte. Cratinum quidem Callimedis filium memorat fabulas 21. scripsisse, quarum præstantiâ Poetici certaminis victor nouies prædicatus est. Mirâ fuit audaciâ & acerbitate scribendi in mores Athenienfium. Lucianus scribit eum longissimâ ætate progressum, vt annum 95. attigisse credatur, licet vinosus & turpiter mulierosus fuerit, & obiisse, quum Pytinem fabulam edidisset, victrici ederâ donatus. Postremò recitatur à Scholiaste Pindari Eidyl. 7. Olymp. hic versus Cratini contra Bœotos:

Οὗτοι δ' εἰσὶν συοβοιοτικὸν περιφόρων γένος ἀνδρῶν.
Hi sunt de genere suillobœotico virorum limbiferorum.

Eiusdem quoq; dictum in Periclem exstat apud Plutarchum sub initium vitæ Periclis ex ipsius Comœdia *Chirones* inscripta, sumtum, vbi Pericles vocatur σχινοκέφαλος, *teste d'ongnon*, & κεφαλληγερέτης, *quod esset capite oblongiore & ampliore.* In eadem Periclis vita testimonium adhibetur ad descriptionem Asphaliæ mulieris. Eorundem quoque versus citantur ab eodem in Cimone sub finem.

Quorum Comœdia.] Syntaxis est partitionis, atq; alii virorum, pro, atq; alii viri, quorum Comœdia est vetus. Hæc autem vox flexa est ἀπὸ τοῦ κωμῳδοῦ, qui definitur, ὁ κατὰ κώμας ᾄδων, qui curribus vectus cum aliis carmina per pagos & vicos maledica canit: qui mos veterib. fuit in statu populari, quum se vellent dare iucunditati. Hinc traducta est Comœdia ad vitia hominum impunè notanda etiam in medio foro. Affinitate notionis sic geminantur σκώμματα καὶ κωμῳδίαι. Itẽ vtriúsq; verba in Pluto Arist. σκώπτειν καὶ κωμῳδεῖν, quæ valent, ἐμπαίζειν καὶ πλυαίζειν, *ludibrio afficere & deridere*, sicut Eustath. exponit versum 462. Ὀδυσσεὺς ξ κωμήτας κακολογεῖν, *dicere contumelias in vicinos.* Sic Aristot. in Poetica, Ἀριφράδης τοὺς τραγῳδοὺς ἐκωμῴδει: *Ariphrades Tragicos maledictis figebat:* vnde etiam natum est prouerbium Græcum, ὡς ἐξ ἁμάξης λαλεῖν, *tanquam è plaustro loqui,*

loqui, de licentia palàm ac liberè loquendi contumeliosè, & conuiciandi primis occurrentibus quibúsque. Sed de origine & inuentoribus Comœdiæ vide Aristotelis poeticam: & de eiusdem licentia Horatii epist. ad Pis.

Dignus describi.] Hellenismus est: Sic n. Theognis:

Πιστὸς ἀνὴρ χρυσῷ καὶ ἀργύρου ἀντερύσασθαι
Ἄξιος οὐ χαλεπῇ, Κύρνε, λιχοστασίῃ.

Vir fidus dignus est, qui auro & argento in graui
Seditione seruetur & redimatur.

Sic loquitur Virg. Eclog. 5.

— & erat tum dignus amari.

Quod enunciatur aliter à Terentio Eun. Act. 5. Sc. 9. *Dignius nihil est quod ametur.* & 3. de Leg. *Dignus, qui imperet.* Dignus autem dicitur tam de bono, quàm de malo, vt Dignus odio, & Dignus opprobriis, Sat. 1. lib. 2.

Aut fur. &c.] Agellius l. 1. c. 18. ex Varrone in L. Aelium scribit furem ex eo dictum: quod veteres Romani furuum atrum appellauerint; & fures per noctem, quæ atra sit, faciliùs furentur: sed etymon meliùs petitur à Græco φῶρ ἀπὸ τοῦ φέρειν, *ab auferendo*: quo veteres Græci vtebantur, pro quo posteri πλέπταιν notæ originis, & eiusdem notionis vsurpârunt: Vtrúmq; tamen differt à λῃστὴς, latrone & pirata.

Sicarius.] Sicarius deflectunt Grammatici à sica, quasi seca notæ originis, quam Græci τὴν κοπίδα videntur appellare, gladium breuem & latum, leuissimèque falcatum, vt aptiùs cædat. Itaq; sicarius potest rectè percussor explicari, vt 2. Phil. confirmatur, *Deprehensus cum sica percussor Cæsari.* Sic dicuntur, qui operam suam locant ad cædem faciendam.

Aut alioqui famosus.] Id est, alio modo fœdus, maculosus, & vitiis coopertus & infamis, quod Græcè dixeris, ἢ καὶ οὕτως βλασφημοῦσιν ἄλλως πάντες, *aut alioqui de quo malè loquuntur omnes.* Ex interpretatione τοῦ ἄλλως, quam affert Vlpianus in hunc locum Olynthiacæ β. εἰ δέτις σώφρων, ἢ δίκαιος ἄλλως, *quod si quis modestus, aut alioqui vir bonus*, vis particulæ Latinæ *alioqui* cognosci potest. Sic enim ille: τέμα δὲ σημαίνει παρὰ τοῖς παλαιοῖς τὸ ἄλλως, οἷον τὸ κατ' ἄλλον τρόπον· ἢ τὸ κατὰ φύσιν, ὡς οὐτωσί, ἢ τὸ μάτην· hîc τὸ *alioqui* valet τὸ ἄλλως, τοῦτ' ἐστὶ κατὰ τὸν ἄλλον τρόπον, Gall. *ou autrement mal renommé.* Vox *cæterùm* idem atque *alioqui* & *cæteroqui*, videtur sonare Epist. 15. l. 2. ad Q. Frat. *Ego me in Cumano & Pompeiano, præterquàm quòd sine te, cæterùm satis commodè oblectabar.* De *famosus* fuit Ode 3. li. 3. in Grammaticis: sicut de *mœcho* 25. Od. l. 1.

Notabant.] Id est, veteres illi Poetæ Comedi magnâ licentiâ reprehendebant vitia. Sic Cic. de Clar. Orat. improbitatem Atheniensis Hyperboli veteres Atenarum comœdi notauerunt.

Hinc omnis.] Ab hac libertate & licentia quemque vitio notandi Lucillius pendet, in eóque munere totus est, vt in locum veterum Comicorum subrogatus videatur: quem ita circumloquitur Iuuenalis Sat. 1.

Cur tamen hoc potiùs libeat decurrere campo,
Per quem magnus equos Aruncæ flexit alumnus.

Fuit autem Aruncæ Rutulorum ciuitas Lucillii natale solum, vbi natus est anno ante Carthaginem à Scipione deuictã, & mortuus tempore, quo Cimbri superati sunt à Mario: de cuius stylo est hoc Quint. iudicium l. 10. c. 1. *In Satyra primus insignem laudem adeptus est Lucillius, qui quosdam ita deditos sibi adhuc habet amatores: vt eum non eiusdem modò operis auctoribus, sed omnibus Poetis præferre non dubitent. Ego, quantum ab illo, tantum ab Horatio dissentio, qui Lucillium fluere lutulentum, & esse aliquid, quod tollere possit, putat. Nam & eruditio in eo mira & libertas, atq; inde acerbitas & abundè salis.* De hac acerbitate sic Iuu. Sat. 1.

Ense velut stricto quoties Lucillius ardens
Infremuit, rubet auditor, cui frigida mens est
Criminibus: tacitâ sudant præcordia culpâ.

De hoc dictum est Sat. 3. & dicetur item Sat. 10. Idem describitur à Cic. l. 2. de Orat. & l. 1. de Fin. & à Lactan. l. 6. c. 5. reprehenditur de longa perigrapha virtutis: sicut dicemus in 1. Ep. l. 1.

Emunctæ naris.] Quidam hoc referunt ad *versus*, vt hi dicantur emunctæ naris, id est, venusti & elegantes: alii ad Lucillium, vnde sapiens, sagax, acrique iudicio intelligatur.

Durus componere.] Græcè, τραχὺς ποιεῖν, *asper facere versus*, ita Rhetores τραχέα vocant nomina διὰ τὴν τῶν συμφώνων σύγκρουσιν, *propter collisionem consonantium*, contrà, λεῖα dicunt ὀνόματα, quæ placidè & sine fragore audiuntur pronuntiata. Sed hæc syntaxis Hellenismus est alter, pro quo Cicero pro Archia poeta interdum dicit, *C. Marius qui durior ad hæc studia videbatur*: interdum, de claris Oratoribus, *vt vitâ, sic oratione durus, incultus, horridus*: qualis erat Lucillius incuriâ versus expoliendi, nec scitè, nec venustè faciendi. Ego puto hanc compositionis duritiem referendam esse ad segnitiem expolitionis & exornationis, quum sagax esset ὡς συμβαίνει πᾶσιν τοῖς αὐτοσχεδίως πεποιήκοσιν, *vt omnibus contingit Poetis, qui poemata fecerunt ex tempore.*

Hoc vitiosus.] Ellipsis est hîc *quòd* particulæ, quam Cicero solet adhibere in hac phrasi: vt 5. de Oratore, *Si eos disiungent, hoc erunt inferiores, quòd in Oratore perfecto inest omnis illorum scientia. In Philosophorum autem cognitione non continuò inest eloquentia.* Expleatur igitur ad huius formam Horatii sententia: Lucillius ob id fuit vitiosus: quia multos versus exiguo tempore, & nullo conatu funderet, non admodum adhibito iudicio. Hanc autem syntaxin, *Hoc vitiosus*, per Atticismum, vt, *cætera lætus*, quidam explicant, quod minimè probo: sed eum malo in hoc vitiosum fuisse, quòd dictabant breui tempore multa sine exornatione.

In hora.] Hic casus debet substrui verbo, *dictabat*, non τῷ *stans*: nemo enim posset diu stare in vno pede, & alterum sublimem tenere, nisi truncus corporis alio suffulciretur.

Vt magnum.] Arbitratus se rem magnam præstare, si tot versus tam breui tempore funditaret.

Quum flueret.] Hîc ellipsis est discretiuæ *tamen*, post *quum*, valens *quanquam*, vt sit: erat tamen, quod tollere velles. Licet autẽ in Dialecticis hoc exposuerim infinitum *tollere* per ex tollere & probare, & sumere: quemadmodum accipiendum videtur Epistol. 2. l. 2. sub fin.

Vtar, & ex modico, quantum res poscet acerno,
Tollam, id est, *sumam.*

Vis tamen illius nota est è l. 1. c. 17. Agel. ac præterea locus Fabii Quintil. suprà citatus videtur Horatium arguere huius culpæ, quòd dixisset Lucillium multa scripsisse superuacanea è suo poemate resecanda: sed hæc notio verbi nec auctoritas Rhetoris me deducet de sententia priori, quamuis argumenti requirit. Similis est siue ludus, siue iocus in ambiguitate huius verbi, quod potest tam laudi, quẽ dedecori verti, quo Velleius Pat. l. 2. scribit Ciceronem vsum: *hoc est illud tempus, quo Cicero insito amore Pompeianarum partium, Cæsarem laudandum & tollendum censebat, quum aliud diceret, aliud intelligi vellet.* Idem refertur Epist. 20.

lib.11.ad Famil.& in vita August. apud Suetonium. Libet hîc accuratiùs amphibologiam verbi enucleare verbis Epist.20.l.11.modo citatæ appositis: *nouissimè Labeo Segulius narrauit mihi apud Cæsarem se fuisse, ipsumque nihil sane de te,* id est, *Cicerone, questum, nisi dictum, quòd diceret te dixisse, laudandum adolescentem, ornandum, tollendum: se,* id est. *Cæsarem, non esse commissurum vt tolli posset,* id est, *è medio tolli & necari, non autem extolli & euehi ad Deos.* Video verbum *tollo* esse cothurnatum, & vt cothurum vtrique pedi, & ambigua sic duplici sensui conuenire. Ab huiusmodi fucata oratione se vindicat D. Paulus c.1.v.13.E.2. ad Cor. Quòd autem hic expono *τὸ quum* διακριτικῶς, consilio & auctoritate Laur. Vallæ nitor, qui ita hunc locum Ciceronis pro Deiot. *Quum in omnibus caussis grauioribus initio dicendi commoueri soleam, tamen in hac multa ita me perturbant,* interpretatur per *quamuis.*

Piger ferre.] Hellenismus est pro quo dicit Orator, piger ad ferendum, vt Epist.8.li.1. *non quin mihi suauissimum sit & occupatissimo, & ad scribendas literas pigerrimo tuæ memoriæ dare operam.* Item pro M. Fonteio, *virum ad labores belli impigrum, ad pericula fortem.* Voces autem Gallicæ interpretes Latinarum, *piger & pigritia, pareßeux & paresse* veriùs inclinantur à Græcis πάρεσος καὶ πάρεσις, *remissus ac remissio.*

Ferre laborem.] Sic Poeta dicit alibi, ferre & sustinere onus. Terent. in And. Act.5.Sc.3. *tantum capere laborem.* Cicero *subire.* Virg. Aeneid.1. *adire.*

Scribendi rectè.] Repete, dico, inquam, Lucillium pignum esse ad rectè scribendum: quia bonitatem scriptionis, non quantitatem in Poeta requiro: hanc nihil moror: illam solam multi facio: qui mirè suis hîc moribus exprimit ingenii Græcanici imaginem quale dicitur Homericus ille Thersites habuisse, ἀμετροεπὲς Græci enim naturâ valdè fuerunt leues, & ad res serias & graues inepti, testimonio historicorum, cuius rei caussa dedit locum prouerbio, vt Chrysostomus refert Ἕλλυνες ἀεὶ παῖδες, καὶ γέρων Ἕλλων οὐδείς, *Græci semper pueri, nec qui quam Græcus senex.* Itaq; nomine garrulitatis apud Lacedæmonios malè audierũt, qui grauitate ac breuitate orationis in primis gauderent: eam ob rem Ctesiphontem, qui se iactaret quauis de re totum diem posse dicere, his verbis eiecerunt: *Est boni oratoris orationem habere ponderi rerum aptè respondentem.*

Ecce Crispinus.] His creditur Stoicus, & Lucius Plotius Crispinus Poeta incredibilis loquacitatis & vanitatis. Huiusmodi tot versuum, quasi diceres profusos in hora funditatores Cic. Epist.8.l.2.ad Q. frat. vocat μισοπατάκτης: cuius verba sunt: *Tu verò vt me appelles & interpelles, & obloquare & colloquare velim. Quid enim mihi suauius? non mehercule quisquam* μισοπάτακτος *libentius sua recentia poemata legit, quàm ego te audio quacunq; de re, publica, priuata, rustica, vrbana:* qui furore Musarum sic percutitur, vt infinitas versuum centurias breui funditet, quos vix postea legat. Est autem hic ellipsis, *digito,* vt sit, minimo digito, vel pignore minimi pretii. Minimo autem prouocare aliquem, est se insolenter & arroganter contemptimque ostentare longè illo præstantiorem esse corporis viribus, & tantum valere vno digito, quantum ille potest toto corpore. Sed hæc præstantia intelligitur de extemporali scriptione versuum, qualem Cic.3. de Oratore dicit Antipatrum Sidonium exercitatione & consuetudine consecutum.

Accipiam, &c.] Quidam malunt hîc legere, *accipe iam,* vt sit instantia importuni: arbitrantes, si *accipiã,* legeretur, Horatium respondere, qui non dignetur illum responso. Ego verò libentius *accipiam* retineo, & prosopopœiam Crispini continuatam, qui de se ipso sic loquitur: *quod ad me attinet, accipiam tabulas, detur nobis locus, hora, &c.* sic Cicero loquitur ad finem l.3. de nat. Deor. *sed quoniam aduesperascit, dabis diem nobis aliquem, vt contra ista dicamus.*

Dii bene.] Est hîc ellipsis, *quàm,* vt sit: *O quàm benè fecerunt!* &c. Vides istius prouocationis arrogantiam non simili spiritu retundi: sed summâ animi moderatione, nec tamen insulsâ reprimi, dum illum leuibus ventis parem esse dicit, quibus inflatus & agitatus, temerè, arroganter, & ineptè loquatur. Quòd si par pari retulisset Poeta, non minus eo se præstitisset ridiculum ac ineptum: quales exstiterunt duo illi pastores Theocriti, εἰδυλ. 6. Lacon & Comatas. Ille sic prouocat hunc ad certamen Musicum:

— ἀλλὰ γέ τοι διαείσομαι, ἤν κ' ἀπείπῃς,

Equidem certè tecum certabo, dum tu diutius id facere recuses.

Comatas reponit,

Ὡς ποτ' Ἀθαναίαν ἔριν ἤρισε.

Sus cum Minerua certamen suscepit.

Quia hîc & prouocans & prouocatus maiores sibi sumserunt spiritus, quàm & res & moderatio ferebat; vterque est in vitio, quod tamen in rusticis est tolerabile.

Loquentis.] Quidam putant hic legendum *loquentem,* vt hoc potiùs ad Poetam, quàm ad ipsius animum referatur, cui non nisi absurdè loquutio affingi potest: sed illi non animaduerterunt notionem τοῦ λόγου esse Aristoteli duplicem, vt λόγος sit ἔμψυχος καὶ προφορικός, ideoque è cessatione prioris locum non relinqui posteriori, vt in præfatione huius commentationis ostensum fuit. Quum igitur dicit Poeta, *quòd Dii finxerunt ipsum animi inopis ac pusilli, rarò & perpauca loquentis* (quod Græci dicunt ἀναυσιολογεῖν καὶ μικροβυμεῖν συνεκδοχικῶς ex vna notione vtraque intelligenda sic est, vt prior nihil præscribat posteriori, nisi quòd maturâ meditatione & mentis agitatione deliberatum fuerit. Sic Epist.7.l.6. animus dicitur loqui, pro cogitare, ad Fam. Cæcinna Ciceroni, *Quem putas animum esse, vbi secum loquitur?* id est, quomodo animum meum putas affici, vbi hæc secum ipse cogitat? Sapientes enim anteponere solent mentem linguæ in omni actione, vnde Theognis:

Νοῦς ἀγαθὸς καὶ γλῶσσα, τὰ δ' οὐ πάνροισι πέφυκεν
Ἀνδράσιν, οἱ τούτων ἀμφοτέρων ταμίαι.

Mens bona & lingua, hæc in paucis sunt viris, qui horum vtriusq; sunt dispensatores, i. *qui sciant rectè condita seruare, & opportune illa promere.*

Hircinis.] Virg. taurinos folles dicit 4.Geor. vbi festinatio & diligentia apum in mellificio confertur cum illa Cyclopum fulmina Ioui fabricantium:

Ac veluti lentis Cyclopes fulmina massis,
Quum properant, alii taurinis follibus auras
Accipiunt, reddúntque.

Homerus φύσας appellat Iliad σ.

— βῆ δ' ἐπὶ φύσας,
Τὰς δ' ἐς πῦρ ἔτρεψε κέλευσέ τε ἐργάζεσθαι
Φύσαι δ' εὖ χοανοῖσιν ἐείκοσι πᾶσαι ἐφύσων.

— *venit ad folles,*
Quos igni admouit & inflare iussit.
Folles autem in fornaculis viginti omnes spirabant.

Imitare.] Hac quidem permissione videtur id significari, quod vulgare verbum, μέλει μοι τῶν τοιούτων οὐδέν, ἥττον τῶν οὐ τοῖς τέλμασι βατράχων, *non sunt ista mihi maiori curæ, quàm loquacitas ranarum palustrium, quarum coaxationibus nemo commoueri solet.* Ad hanc autem follium

lium rationem videtur illud Ciceronis Philip. 13. pertinere, vbi orator appellat Calpurnium Bestiam τροπικῶς laterum & vocis suæ Corycum, id est, follem, quo pulmones & arteria ipsius grauiter laborassent in defensione Bestiæ de ambitu accusati: quem certè locum prudenter videtur Iohannes Passeratius Regius eloquentiæ professor mihi restituisse, quum anteà omnes τὸ Corycus pro nomine proprio accepissent, & Erasmus pro invicto palæstrite in Proverbio, πρὸς Κώρυκον γυμνάζεσθαι, *cum Coryco luctari*, id est, cum folle pugilatorio, vel pila flatu distenta.

Beatus Fannius.] Hic Poeta Sat. 10. dicitur ineptus, vnde coniicimus magis importunitate linguæ, vel captatorum fauore, qui illius hereditatem adierunt, nullis heredibus & liberis relictis, quàm laude scriptionis, imaginem ipsius ac poemata in Augusti Bibliothecam, & in arcem Apollinis delata fuisse. Hîc Ianus Douza ingenii sagacitate subolfecit sensum alterum latêre: quem ita nobis indicauit expunctâ post *Imitare*, ambitus notâ, & huius loco repositâ velut hypostigme, atque ellipsi particulæ *vt*, suppletâ: tum, quod sequitur, tibi referet hanc sententiam pro argumento similis exempli ad irridendam Crispini sententiam: *Tu Crispine, tantam tibi gloriâ tumidus sume vim Poetices, quantam tibi per me licet maximam, vt beatus Fannius: qui nullis Criticis probata sua poemata curauit in Bibliothecam Apollinis Palatini deferenda & consecranda impudenti ambitione non exspectatâ Criticorum legitimâ approbatione.*

Ob hanc rem.] In simili rationis & ætiologiæ redditione vsus est, *eò quòd*, Satyr. 3.

rideri possit, eò quòd
Rusticiùs tonso toga defluit.

Quum mea.] Grammatici notant, possessiua cum 4. genitiuorum generibus posse construi: è quibus participia sunt, *nemo meæ scriptæ timentis*, ac si esset scriptum, *mei timentis*, recitare scilicet: huius verbi actio fit aut memoritet, aut de scripto, vt Cicero, *recitare legem è codice*. De quibus lege Grammaticam Petri Rami, vbi è 2. Philipp. Ciceronis profertur hoc exemplum, *tuum hominis simplicis pectus vidimus*: hîc *simplicis* est simile verbali, pro, aperti, recti, nihilque fictum habentis. Eâdem syntaxi etiam Græci vtuntur. Homerus Odyss. ι. de Polyphemo interrogante Vlyssem & socios,

Ὣς ἔφαθ· ἡμῖν δ' αὖτε κατειλάσθη φίλον ἦτορ
Δισσάντως, φθόγγον τὸ βαρὺ, αὐτόν τε πέλωρον.

Sic Polyphemus est loquutus: nobis autem (inquit Vlysses) *statim carus animus fractus & afflictus fuit,*
Metuentium grauem sonitum, ipsumq; monstrum.

pro metuentibus: ὅπερ εἰ καὶ σολοικοφανὲς δοκεῖ. ἀλλ' ὅμως τέφρασται καὶ αὐτὸ καταλλήλως τῷ καιρῷ καὶ τῇ δειλίᾳ, *quod etiamsi videatur speciem præ se ferre solœcismi, dictum est tamen congruenter tempori & timiditati interrogatorum*, ait Eustathius.

Aut ob.] Legendum est hîc, *aut ab auar.* non *ob auar.* vt sit sententia, delige vel exime, vt sors & casus feret, quem ex omnibus voles; ille aut auaritiâ, aut ambitione laborabit, i. alterutri vitio deditus erit, Gallicè *Il sera ou d'auarice ou d'ambition.*

Austerâ ambitione. &c.] Donatus in Andr. Act. 2. Sc. 2. hunc affectum hac definitione declarat: *magnarum rerum desiderium & appetitus ambitio dicitur*: de quo dictum est Od. 15. l. 1.

Hic nuptarum.] Id est, expetit alienam vxorem, & deperit puerum concubinum, & vasa argentea, & signa ærea.

Stupet ære.] Ellipsis est, Corintho. Sic Persius Sat. 3. *sed stupet hic vitio, & stupet occursu ducis*, Lucanus lib. 8. pro, fit insanus, & sensum amittit propter hoc & illud, vt Albius, de quo etiam sub finem huius Satyræ, nimio vasorum & signorum studio tenebatur. Verisimile est hunc Albium fuisse filium Albii Tibulli, ad quem est Ep. 4. lib. 1. Dicitur etiam Sat. 6. *Stupet in titulis.*

Surgente à Sole.] Id est, ab ortu, vsque ad occasum negotiatur, mercaturam facit emendo, permutando varias merces.

Hunc versum vsurpauit Persius Sat. 5.

Mercibus hic Italis mutat sub Sole recenti:

Vti puluis.] Grammatici volunt hanc vocem à paruitate flecti, ἐκ τοῦ σμικρῶς, *paruum, parum, paullum, pulum, puluis*, vt intelligatur minimâ vi pulsus, quale fuit Atomi corpusculum: â qua etymi ratione non multum abest vox Græca κόνις, παρὰ τὸ κόνειν, ἤγουν κόπτειν, vt κόνις fit, ἡ εἰς σμικρὰ κεκομμένη γῆ, *terra in minutas particulas secta.* Sed puluis motu pedum excitatus, & in aerẽ sublatus dicitur propriè κονιορτὸς παρὰ τὸ ὄρειν, à *mouendo*, vel κονίσαλλος, ἀπὸ τοῦ σαλεύειν, verbo eiusdem notionis.

Turbine.] Definitur ab Aristot. l. de Mundo Turbo, flatus procellosus, qui infernè, sursum versus, repentè instar pineæ conuoluitur. Verba Philosophi sunt: λαίλαψ ἡ κατὰ στρόβιλος πνεῦμα ἑλισσόμενον κάτωθεν ἄνω.

Summâ deperdat.] Ellipsis est præpositionis *de*, ne quid mercator ille deperdat de summa sua, & vt Cic. loquitur 5. Verr. *Ne quid demat de summa*, vel vt idem pro Rabirio Posthumo, *decessionem de summa & acerno pecunia sua facit*: familiaris enim est talis geminatio particularum Ciceroni, vt pro M. Fonteio, *verebatur, ne quid apud vos populumq; Romanum de sua existimatione deperderet.* Dicunt autem Iurisconsulti aliquid deperdi, quod in rerum natura desinit nobis esse: sic *depelli de sententia, causa*: sic *incumbere in Remp.* & *in perniciem alicuius*: sic *ad Remp. accedere*, & *ad ignem*: sic *ab ista ætate longissimè abfuit*: hic *vulgus cum oratione consentit. Quid loquar de Democrito, quem conferre cum eo possumus, non modò ingenii magnitudine, sed etiam animi?*

Ampliet.] Id est, augeat, & amplificet rem, vt loquitur Cic. sed apud eundẽ Act. 2. in Verrem, est ampliare comperendinare, & in diem alium controuersiam differre, si non liqueret.

Fœnum habet.] Dedit locum huic prouerbio superba petulantia M. Crassi, vt Plutarchus in ipsius vita scribit: cui tantos spiritus attulerant opes immensæ, vt nemo esset, qui auderet eum exagitare: semper enim paratus erat ad vlciscendum, & oppugnatu perdifficilis: sed tale fœnum Plutarch. in Quæst. Rom. 7. scribit Cæsarem ei ademisse. Talem autem petulantiam Theognis è satietate nasci profitetur:

Τίπτει τοι πόρος ὕβριν, ὅταν κακῷ ὄλβος ἕπηται,
Ἀνθρώπῳ, καὶ ὅτῳ μὴ νόος ἄρτιος ᾖ.
Ἐσθὶ κακὸν δὲ βροτοῖσι πόρος, τῶν ὅτι κακίων·
Πᾶσα γὰρ ἐν τούτῳ, Κύρνε, τέλει κακότης.

Satietas parit contumeliam, quum adsunt improbo
Homini diuitiæ, neq; recta mens adest.
Malum est hominibus satietas, quo nullum est peius:
Ex eo enim, Cyrne, omne vitium enascitur.

Ego verò existimo natum proverbium è lætiori & copiosiori pabulo boum, αἵτινες κεράτισται ἐκ τοῦ χορτιοῦ γίγνονται, *quæ cornu petere solent numero fœno & pabulo pastæ*, à quibus vt caueretur, & acumen cornuum retunderetur, olim Romæ cornua fœno inuoluta ob-

tegebantur. Sic Leucites hircus appellatur εἴδωλ.τ. Theocriti à Comata κορύπλιος.ὁ τοῖς κέρασι πολυτίμων, cornupeta. Extrà etiam tales commotiones existunt animalibus omnibus, quum ipsorum corpora solitum, quietúmque egrediuntur habitum, & feritatê suam exasperant: spumant apris ora, & dentes acuuntur attritu: taurorum cornua iactantur in vacuum, & arena pulsu pedum spargitur: leones fremunt: inflantur irritatis colla serpentibus: rabidarum canum tristis aspectus.

Risum excutiat.] Pro hoc dicit Epist. 3. *Risum moueat cornicula*, & li. 2. Ep. 2. *& risu populum quatit, Il fait creuer de rire.* Cic. autem mouere & concitare risum.

Illeuerit.] Eo verbo vsus est, sed translatè Ep. 7. li. 1.

Quòd si bruma niues Albanis illinet agris.

Hîc explico, *Quicquid facetè & vrbanè semel scripserit, & quodam modo chartas polluerit infamiæ notâ.* Hoc dicitur per contemtionem.

Gestiet.] Gestit, qui subitâ felicitate exhilaratus nimio corporis motu præter consuetudinem exsultat, ait Festus: quod Donat. in Phorm. Act. 2. Sc. 1. 30. dicit plus esse, quàm volo. *Gestio ipsum mihi dari in conspectum*, & hic ipse ad Pisones, *Gestit paribus colludere*: quod exprimitur verbis exsultandi lætitiâ, nimiúmque gaudendi, lætandi & triumphandi à Cicerone & Catullo.

Lacúque.] Varro 4. de ling. Lat. definit lacum lacunam, id est, fossam, vbi aqua contineri potest: verùm non exprimit, vtrùm sit hic caput fontis, an hæc abundè defluat eódem: quod apertiori definitione Seru. declarat 8. Aen. ad hunc v.

Quo te cúnque lacu miserantem incommoda nostra
Fonte tenet, &c. *Lacus est quoddam adhuc latentis aquæ receptaculum, & dictus quasi lacuna quædam: ex qua erumpens aqua efficit fontem, qui quum fluere cœpit, alueum facit.* Præterea Donatus in Adel. Act. 4. Scen. 2. annotat, lacum addi solitum pistrinis & portis ciuitatis ad vsum iumentorum, & aduersus ignem hostilem, vel ad incendium ædium imprudenter factum, restringuendum: quò vndique eo vrbe lauatum, aquatum, haustum venitur, ibique quicquid vel publicè, vel priuatim contigit, statim commemoratur, variéque dispergitur, ac longè latéque citò dissipatur. Itaque qui volebant rei alicuius famam & rumorem dissipare, illuc euntibus aut redeuntibus nunciabant hominibus σπερμολόγοις, verba funditantibus libenter, non secùs atque haustas aquas. Tales in furnariis, in Palatio Parisiensi, & in tonstrinis, vt mox Sat. 7. dicetur, passimque in compitis vrbium reperiuntur.

Dederim.] Id est concesserim. Sic Cic. 4. Acad. *Quis tibi dederit, aut Deum omnia posse.* Idem aliquando vtrumque geminat 5. in Verr. *Sed do hoc vobis & concedo esse multos*, &c.

Excerpam.] Id est, excipiam, vel, vt Od. 2. l. 2. dicit, *numero beatorum eximit virtus Phraatem*: vtrobique vides præpositionem desiderari, quam Cic. exprimit 2. de Orat. *Non enim, si est facilius, eò, id est, ideò de numero quoq; est excerpendum.*

Concludere versum.] Est illum quidem suis pedibus ac numeris perficere, sed nullam adhibere elegantiæ rationem. Sic Crassus 3. de Orat. docet, *facilem esse rationem, vel sine ratione ipsam exercitationem verborum eligendorum & collocandorum, & concludendorum: rerum autem copiam non facilem.* Hîc verba *concludere & efficere*, vt illa in clausulis sententiarum suauiter & numerosè cadant. Ita Cicero in Oratore: *In oratione animaduersum est, multò quidem illud serius, sed eâdem naturâ admonente, esse quosdam certos cursus conclusionésque verborum.*

Sermoni propiora.] Id est, orationi solutæ similia. Hoc loco nituntur, qui huic poemati nomen sermonum dederunt, vt dictum est in Grammaticis Sat. 1. & sermo definitus. Huc addam verbum *excerpo* meo iudicio fluere e Græco ἐκλρέπω, eiusdem notionis, vt simplex vtriusque.

Magna sonaturum.] Ouid. dicit *grandia sonare*, quæ carminis granditas partim pendet ex rei maiestate, partim è verborum & literarum bonitate. Hîc autem Grammatici notant à *sona, as*, potius supinum fieri *sonitum*, quàm *sonatum.*

Differt sermoni.] Orator diceret, Sermo merus differt à sermone Comico certis tantùm legibus pedis, certóque illius numero, vt pro Cæcinna, *Qui hoc ab illo differt*, vel vt 3. de Fin. *Sed eorum definitiones paullùm oppidò inter se differunt*: quo modo Cæsar 1. bell. Gall. *Hi omnes, linguâ, institutis, legibus inter se differunt.*

Sermo merus.] Videtur hoc prohibitum à Platone in primo Phædone de numinis sententia, ὅτι τὸν Ῥωμιτλὼ θεοὶ, ὥσπερ μέλλοι Ῥωμιτὴς εἶναι, ποιεῖν μύθους, ἀλλ' οὐ λόγους, *quòd qui futurus est Poeta, fabulas scribere non sermones debeat*: qui certè locus intelligendus est de narratione rei veræ, factæ & singularis: circa quam versatur historia, vt Poesis circa fabulas rerum vniuersalium, quæ contingere & fieri possunt: quia si Herodoti & Thucydidis historiæ mandarentur versibus, non tamen essent poemata, sed historiæ propter rei veritatem, & actionem singularem: σὺ γὰρ τοῖς περὶ τὰς πράξεις λόγοις, οἱ μὲν πλείονες πενέστεροί εἰσιν, οἱ δὲ ἐπὶ μέρους, ἀληθινώτεροι, περὶ γὰρ τὰ καθ' ἕκαστα αἱ πράξεις. *E sermonibus enim, qui de actionibus instituuntur, inaniores sunt, qui ad genus vniuersum accommodantur: qui autem ad partes singulares, sunt veriores*, Aristot. li. 2 c. 7. Ethicōn. Quia Comœdia vetus ex iambis constat, qui pedes sunt frequentissimi in iis, quæ populari, demisso atque humili sermone proferuntur: *senarios & hyponacteos effugere vix possumus. Magnam enim partem ex iambis nostra constat oratio*, ait Cic. in Orat. Itaque propter illam quotidiani sermonis similitudinem & styli tenuitatem dubitatum est, an Comœdia vetus esset poema, de quo tamen Horatius nunquam dubitauit.

Meretrice insanit.] Sic per præpositionem dicitur aliquis insanire ex iniuria. Adelph. Act. 2. Scen. 1.

Ebrius.] Veteribus Bria mensuræ genus erat, sed iamdiu obsoletum verbum, vnde tamen *Briam temeti apporta*: hinc ebrius, qui præter modum bibit, vinolentus potest explicari: quia Cic. 4. Acad. σωφρονοῦσι opponit hoc *sobrio: Ne vinolenti quidem quæ faciunt, eâdem approbatione faciunt, quâ sobrii.*

Ante noctem.] Ex eo perspicuum est, quàm insaniat amore, mentéque captus sit Pomponius, quòd in luce sibi præferri faces accensas iubeat.

His ego.] Syntaxis verborum est, *si eripiat tempora certa, modósque*, &c. his scilicet poematis, quæ ego scripsi, & Lucillus scripsit, non ita inuenias membra & partes orationis Poeticæ, vt si soluas & dissipes verba huiusce hemistichii, & versus Enniani: nam in vtróque sic transposito, *Postquam tatra discordia effregit postes belli ferratos, portasq;*, remanet tamen vis illa verborum argumento maximè conueniens.

Discordia tatra.] Ostendit huius Enniani versus numero ac lege metricâ dissolutâ, relucere tamen in dissectis & traiectis ipsius verbis quandam Poeticæ virtutis scintillam, quæ non apparet in dissolutione versus Lucilliani & Horatiani. Hunc autem versum Ennii Virg. assumsit Aen. 7.

Belli

Belli ferratos rupit Saturnia postes.

Quem ex Enniano Seruius dicit à Virgilio factum per Acyrologiam mutando. *Refringere* autem *portas* & *claustra*, est frangendo & rumpendo patefacere: quomodo loquitur Cæsar 2. Comm. sub fin. *Postridie eius diei refractis portis, quum iam defenderet nemo, atq; intromissis militibus nostris, sectionem eius oppidi vniuersam Cæsar vendidit*, id est, bona oppidi vniuersa vendidit sub hasta, quod vulgò dicitur, *Confiscauit bona oppidi Aduaticorum.*

Hactenus.] Hæc particula valdè est accommodata transitionibus, quomodo Virgilius vsus est 2. Georg. sed λογικώτερον & prudentius Horatio, quòd rem propositam in partes distribuerit, & primâ perfectâ ad alteram transierit cum admonitione:

Hactenus arvorum cultus, & sidera cæli:
Hunc te Bacche canam.

Quæ vox tantùm ex Nonio, vel potius ex vsu certiori magistro, de loco & re continuata dicitur, vt sit, vsque ad hunc locum & certum terminum: de quo fuit etiam Sat. 2. in Grammaticis: sed *adhuc* de tempore continuato, vt prænotatum fuit Ode 10. l. 4. *Ego tamen pro te Cæsari, sicut adhuc feci, supplicabo*, 6. Ep. ad Fam. & ad Ligarium, Græca vox μέχρι, vt ἄχρι & ἄχρις, de vtróque dicitur, μέχρις οὗ τοῦδε, *ad hunc vsque locum*, ἢ μέχρι τοῦ νῦν, *vsq; ad tempus præsens.* Ellipsis est, *hactenus dicta sint hæc, vtrùm Comœdia & Satyra sint poemata.*

Aliâs iustum.] Nil opus est hac temporis dilatione, quum nemini dubia esset hæc quæstio, ne ipsi quidem Horatio, vt ex Ep. ad Pisones apparet, *Comœdiam esse poema.* Cæterùm Priscianus præcipit hoc temporis adverbium, *aliâs* pro alio tempore esse in vltima circumflexum contra consuetudinem aliorum, quæ, quum similitudinem nominum referunt, grauantur solùm. Valet autem idem quod *interdum*, siue multiplicatum. Cic. in Orat. *Aliâs ita loquor, vt concessum est, aliâs, vt necesse.* Senec. in Præf. l. 4. Quæst. natur. tres eiusdem facultatis particulas eleganter variat in modis, quibus homines sibi molesti sunt distinguendis, *modò, ait, amore nostri, modò tædio laboramus: infelicem animum nunc superbia inflamus, nunc cupiditate distendimus, aliâs voluptate laxamus, aliâs sollicitudine exurimus.* Sic Græci geminant ἄλλοτε, Pythag.

Χρήματα δ' ἄλλοτε μὲν κτᾶσθαι φιλεῖ, ἄλλοτ' ὄλεσθαι:
Diuitiæ solent aliâs possideri, aliâs amitti.

Sulcius acer.] Sulcius & Caprinus fuerũt acerrimi delatores vitiosorum, quos ad rauim vsque clamore & minis insequi consueuerant. Hîc, *malè*, intentionis est, pro *valdè*.

Cum libellis.] Credo equidem hos libellos fuisse, in quibus delatores illi habebant scripta maleficorum nomina, quos ad Censores vocarent. Hæc mihi irrepsit in mentem expositio, ex illo Plauti loco in Curcu. *Vbi tu es, qui me libello Venerio citasti?*

Magnus vterq; timor latronibus est.] Pro quo etiam Lucanus dicit, *magno timori esse populis*, id est, magnum timorem latronibus vtérq; incutit.

Puris manibus viuere.] Hoc est, vitam agere inculpatam & ab omni suspicione vitii vacuam & puram. Sic Epo. 17. ad Canidiam εἰρωνικῶς dicit, *tibi hospitale pectus, & puræ manus.* Ita Græci, Lucianus de sacrificiis: τὸ μὲν πρόγραμμά φησι μὴ παριέναι ἔσω περιῤῥαντηρίων, ὅστις μὴ καθαρὸς ἐστι τὰς χεῖρας, *Dicit eum non violasse publicum edictum in vasis aquæ lustralis, qui non fuerit manibus puris.* Sic Euripides in Oreste, ἁγνὸς γὰρ εἰμι χεῖρας, *puris sum manibus*, id est, innocens & integer. Suet. quoq; in Tito c. 9. puritatem manuum ita describit: *Titus Pontificatum maximum ideo se professus est accipere, vt puras seruaret manus: fidem præstitit, nec auctor posteà cuiusquam necis, nec conscius, quamuis interdum vlciscendi caussa non deesset: sed periturum se potiùs, quàm perditurum adiurans.* Talem prætereà manuum puritatem, & vitæ innocentiam, & integritatem profitetur Dauid se ad cultum Dei allaturum Psal. 26. νίψομαι ἐν ἀθώοις τὰς χεῖράς μου, καὶ κυκλώσω θυσιαστήριόν σου, Κύριε, *Lauabo in innocentia manus meas, & circumdabo altare tuum, o Domine*, quod litera Hebraica pronunciat etiam per futurum, sed pro præterito *laui & circumdedi*, more suo, vel: *soleo lauare manus meas, non aquâ, sed integritate & innocentia vitæ, & ita totus ad tuum cultum accedere.*

Contemnat.] Hoc intelligendum est ἀλωνικῶς, pro, *contemserit*, aut potest aut debet contemnere delatorem vtrumque.

Vt sis.] Hoc vulgò, dicitur barbarè: *casu posito, quòd sis flagitiosus, nõ sum tamẽ delator, ideoq; nec pertimescẽdus.*

Nulla taberna.] Non prostant mea scripta in officinis liberariorum, neque ad columnas.

Queis manus.] Id est, quorum gestatione & contrectatione manus populi sudorem contrahant.

Neq; pila.] Pro hac voce sumitur *columna* in Epist. ad Pison. Ad hæc n. & columnas tabernæ sitæ dicuntur fuisse. Definitur autem *Pila* Festo ab oppositione: quòd ita parietem & trabes fulciat, sicut Græcis στύλη, à stando.

Suaue.] Antimeria mihi videtur esse, pro suauiter resonat, ἡδέως καὶ μειλίχως ἀντηχεῖ.

Resonat.] Ἀντηχεῖ, quum vox in quid durum immissa, & solido tactu in loco cauernoso repercussa resilit ad aures, ac vicissim respondet: sed περὶ τόπων ἀντηχούντων, vide Vitru. l. 5. c. 8. Neq; ego hic τὸ *re* in coniuncto significare oppositionem, sed mutuam accepti redditionem dixerim.

Inanes.] i. leues ac futiles homines, quos Græci dicunt φλυαροὺς καὶ κενούς, quo modo Cic. dicit, *nihil est in me inane, neq; enim esse debet*, i. inconstantia, vel, quam illi vocant κενοδοξίαν, *inanis gloriæ cupiditatem.*

Hoc studio.] I. tu consultò prauus facis hoc, & alios lædis, quod Græcè dicitur, σὺ μὲν δὴ κακὸς ἐν τῇ προνοίᾳ ποιεῖς τοῦτο, *tu de industria, datáq; operâ*, Gal. *de guet apend, & tout expres*, vel πονεῖς ἐπιτηδευτῶς, καὶ ἐν τῇ ἐπιτηδεύσει, *summo studio, & cogitatò*, vt illo videaris oblectari.

Prauus.] Huiusmodi est homo consuetudine vitiosâ, malus autem naturâ. Malitiæ quoq; definitio sic à Cic. l. 3. de nat. Deo instituitur, *Malitia est versuta & fallax nocendi ratio:* sed ad extremæ improbitatis iudicium hæc duo geminantur, vt à Plin. 2. l. 3. Ep. 9. *malum prauúmq; hominis ingenium facit, vt dubitem*, sic Plut. l. de sera numin. vind. geminat κακὸν καὶ πονηρόν.

Petitum.] i. acceptũ, vt in Heaut. *vnde mihi cibum peterem.* & Cic. de prouinc. Consul. *præsertim quum omniũ meorum consiliorum & factorum exempla è summorum virorum factis censuerim petenda*, i. capienda.

Est auctor.] Pro, habes auctorem talium obiectorum è meis conuictoribus aliquem è quo vel audisti vel ex aliquo tertio illa fando accepisti?

Rodit amicum.] Obtrectat amico, & eum vellicat.

Qui captat.] Sic loquitur Cic. 2. Tusc. *Epicurus verò ea dicit, vt mihi quidẽ risus captare videatur, Epicure me semble dire cela, pour faire rire les gens.* Sic Græci dicunt, τὸν γέλωτα παρέχειν καὶ παρασπουδάζειν, & vno verbo γελωτοποιεῖν, *dictis & factis risum monere, & scurram agere.*

Fingere qui.] Qui potest cõminisci & excogitare, q̃ nõ vidit, i. falsa. Sic Teren. in Eun. Act 1. Sc. 2. *hoc certò scio, neq; me finxisse falsi quicquã.* Sic etiã l. 2. ad Herenn. hæc duo geminãtur: *Si dicemus caussam non fuisse, quare quispiam confingeret & comminisceretur huiusmodi fabulam.*

Sæpè tribus lectis.] Hoc vno verbo dicitur *triclinium*, quod est Græcè τὸ τρίκλινον, & fortassè meliùs ad hanc formam diceretur *triclinum* Latinè, & à Seruio in vers. Aeneid.

Aurea compositit spondâ, mediâmque locauit.

Id est, Regina Dido iam se composuerat super auream spōdam, & mediam locârat, quia conuiuij princeps erat & domina, describitur sic: *Antiqui stibadia, id est, lectos gramineos non habebant, sed stratis tribus lectis epulabantur, vnde triclinium sterni dicitur.* Cic. in Verr. *publicè sibi conuiuia parari sterni triclinia,* τὸ αὐτόγειον στρώννυσθαι τρίκλινα, *etiā in foro iubebat.* Sed in eo Seruius, quod in aliis reprehendit, grauiter errauit. Putauit enim sumi pro cænatione, & conclaui discubitorio, vt refutaret, credo, locum Ciceronis 2. de Orat. & Quint. lib. 11. & Valer. Max. qui quum de memoria locali & artificiosa loquuntur, hæc referunt: *hoc interim spatio conclaue illud, vbi epularetur Scopas, concidisse*, pro hoc Quint. & Valer. dicunt *triclinium.* In Vitruuio geminatur vtrumque li. 4. *in triclinii cæterisque conclauibus maximus est vsus liminum.* Itaque triclinium, & locum, vbi tres lecti ternis mensis circumpositi, vel his plures, significat, & ipsos etiam lectos discubitorios, siue lectisternia: quæ quando Romæ primùm instituta sint, vide Liu. Decad. 1. l. 5. De numero autem discumbentium aliquando certiores simus à Sallustio: *Igitur discubuêre, Sertorius inferior in medio: super eum L. Fabius Hispaniensis Senator: ex proscriptis: in summo Antonius, & infrà Scriba Sertorii Versius, & alter scriba: Mæcenas in imo medius inter Tarquinium & Deatium Perpennam.* Quærendus est locus alibi, atque in hoc loco Seruii. Hîc tantùm nouem conuiuæ memorantur: quot in cæna Nasidieni Sat. 8. l. 2. scribit ipse Poeta discubuisse, & vtrobique hæ voces, summus, vel super, & infrà includunt medium. Itaque terni videntur tantùm in singulis lectis discumbere: ad summum tamen accubitus in singulis lectis constabat è conuiuis quaternis, id est, 12. in 3. lectis: si pluribus; inelegans, incommoda & sordida habebatur accubatio epularis, vt videre est apud Cic. in Pis. Imò verò erat contra præmonitum veteris prouerbii, quem vide apud Erasmum, *septem conuiuium, nouem conuicium.* Hæc autem triclinia videntur à formâ & more discumbentium vocari. Vsitata etiam sunt auctoribus disclinia & hexaclinia, & octoclinia, vnde Pentameter, *Octo capit, veniat quisquis amicus adest.* de quibus lege Vitru. l. 6. c. 10. de Architect. & Iul. Polluc. l. 1. c. 8. De numero autem conuiuarum apto lege l. 13. c. 11. Agell. Hunc autem morem non fuisse antiquis, vt accumbentes epularentur, multis testimoniis confirmari potest: primo Homeri, præter alia Odyss. κ

Ἡμεθα δαινύμενοι πρέατ' ἄπειρα, πολὺ μεθὺ οἶνον.

Sedebamus sumentes multas carnes & vinum suaue.

Secundo Athen. l. 8. ὅτε κατακλίνεσθαι παρὰ τοῖς ἀρχαίοις ἔθος, ἀλλὰ δαίνυντ' ἑζόμενοι, *Neque mos erat antiquorum, vt reclinato corpore recumberent, sed vt sedentes comederent.* Tertio Ser. ex Virg. l. 7. ad vers.

—— *Hic ariete caso*
Perpetuis soliti patres considere mensis.

Maiores enim nostri, scribit Seruius, *sedentes epulabantur, quem morem habuerunt à Laconibus & Cretensibus, vt Varro docet lib. de pop. Romano.* Idem interpres contrarium annotauit priùs in locum Aeneid. 1. modò citatum. Qui volunt conciliare hanc testium dissensionem, duas maiorum ætates constituunt, atque in priore summam fuisse continentiam vitæ, summam duritiem & seueritatem, quæ qualibet sessione facile contenta erat ad parcè duriterque viuendum: in altera verò maximam luxuriam, mollitiem & ingentes delicias, vbi quæsita est hæc mollis accubatio post balnea ad delicatius molliúsque epulandum. Fiebat autem hæc accubatio ita, vt truncus corporis paullulum inflexus in cubitum incumberet, & crura iacerent, aut porrecta aut leuiter inflexa, vt Ode 27. lib. 1. dictum est.

Quauis.] Ellipsis est, vel ratione, i. modo, vel iniuriâ: valet autem idem, quod illud Terentii: *Quo iure, quáque iniuriâ sodalibus suis obtrectat.*

Præbet aquam.] Id est, qui mensas cæteris appositas instruit epulis, & ita προπιῶς est intelligendum vt dicetur in Rhetoricis. Vno nomine dicitur Latinè conuiuator, qui alios conuiuas ad cænam inuitat, nec hoc satis rectè verbo Græco exprimi potest, πάροχος ad ius hospilitatis propriè pertinente: quum hospitibus & peregrè proficiscentibus ligna & salem, id est, ad victum necessaria quispiam præbebat, ideóque ξενοπάροχος dicebatur, vbi nullus erat locus talibus notis: quæ multò turpiores hîc intelligendæ sunt, quàm quæ propter lauationem (sic enim loquitur Cic. Epist. Epist. 5. l. 9. ad Fam. *Antè te certierem faciam, vt lauatio parata sit.*) aspersa fiunt aquâ per lusum: quam sententiam vt viri plerique variæ lectionis, multæque doctrinæ è litera Poetæ expromerent; distinguebât post *præbet*, deinde *aquâ*, legebant: quod longè aliter sensissent, si secum examinassent vim argumenti Horatiani, quo studet Poeta conuincere aduersarium repugnantiæ in iudicando. Dum enim hic maledicum conuiciatorem familiarium & conuictorum appellat virum comem & vrbanum: Horatium autem irrisorem alienæ mollitiei & immunditiæ dictat inuidum & mordacem, non videt hîc pugnantia à se pronunciari: quum Poeta dicendus esset comis & vrbanus è leni facetia: alter ille contrà inuidus & mordax dictandus videretur ex acerbissima contumelia. Verùm vt hæc dissensio magis elucescat, vtrúmque illius enunciatum separatim & ἀξιωματικῶς existimetur: qui vitam omnium maculis indignè aspergit, is est comis & vrbanus. Quis vnquam, nisi maximâ iudicii peruersitate, putaret comitatem & vrbanitatem conuiciatori tribuendàm esse? *in vrbanitate enim*, ait, Quintil. *nihil absonum, nihil agreste, nihil inconditum, nihil peregrinum, neq; sensu, neque verbis, neque ore, neque gestu possit deprehendi.* Item qui mollitiem & & immunditiem hominum irridet, is est mordax & inuidus: & quis rursus, inquam, eum censeret grauioribus verbis obtractationis & inuidiæ appellandum, nisi esset insanus, qui leuiter huiusmodi vitia reprehendit?

Aperit Liber.] Id est, quum ebrietas recludit operta, vt loquitur Ep. 5. & arcana loco suo promouet 11. Epod. & in Theognide, αὐδρὸς δ' οἶνος ἔδαμασσε νόον, *vinum mentem hominis arguit*, in Eratosthene, οἶνός τε πυρὶ ἴσον ἔχει μενος. εὖτ' αὖ ἐς ἄνδρα ἔλθῃ, πυμαίνει δ' οἷα Λίβυσσαν ἄλαο Βορῆς, ἠὲ Νότος, τὰ δὲ καὶ κεκρυμμένα φαίνει, i. βυσσόθεν, ἐκ δ' ἀνδρῶν παντ' ἐτίναξε νόον. *Vinum parem igni habet facultatem. Quum hominem inuasit, illum conturbat, vt Boreas, aut Notus mare Libycum: ex imo pectore in lucem recondita profert: totam hominum mentem exagitat*, vel hominibus, etiam strenuis, totam excutit & adimit mentem, quod Gallice dicas & interpreteris, *le vin faict dire aux Iuconques les secrets de leurs cueurs & pensees.* ob id Plato lib. 2. de legibus vino pueris interdictum e sententia veterum volebat ad certum temporis spatium, vt etiam Seneca refert lib. 1. de Ira. Platonis verba sunt, πρῶτον μὲν τοὺς παῖδας μέχρις ἐτῶν ὀκτὼ καὶ δέκα παράπαν οἴνου μὴ γεύεσθαι· διδάσκοντες, ὡς ὁ χρὴ πῦρ ὀχετεύειν

πεῦαρ ἔστε οὔμα κὴ τὶν ψυχὶν πρὶν ἐπὶ τὸς πόνυς ἐγχειρεῖν πορέυεσθαι τὶν ἐμμανῆ ἐυλαβῆμενοι ἕξιν τῶν νέων, id est, *primum quidem ne pueri vinum gustent omnino vsque ad octodecimum annum, eam tradentes doctrinam, quæ vetet hunc ignem & corpori & animo inferendum, priusquam illi aggressi fuerint labores adire, veriti, ne habitus adolescentum euadat furibundus.* Hoc quoque Seneca Libro de tranquillitate animi ad finem videtur prudenter pueritiæ vt reliquis humanæ vitæ ætatibus prospexisse, quum scripsit, *Indulgendum est animo, dandumque subinde otium, quod alimenti ac virium loco sit, & in ambulationibus apertis vagandum, vt cælo libero & multo Spiritu augeat, attollatque se animus. A signando vectatio iterque & mutata regio vigorem dabunt, conuictusque & liberalior potio: nonnunquam & vsque ad ebrietatem veniendum, non vt mergat nos, sed vt deprimat curas. Eluit enim curas & ab imo animum mouet; & vt morbis quibusdam, ita tristitiæ medetur: Liberque non ob licentiam linguæ dictus est inuentor vini, sed quia liberat seruitio curarum animum, & asserit, vegetioremque & audaciorem in omnes conatus facit. Sed vt libertatis, ita vini salubris moderatio est. At Solonem, Arcesilaumque indulsisse vino credant. Cotoni ebrietas obiecta est: at facilius efficiet, quisquis obiecerit, hoc crimen honestum, quàm turpem Catonem: Sed nec sæpe faciendum est, ne animus malam consuetudinem ducat, & aliquando tamen in exsultationem libertatemque extrahendus: tristisque sobrietas remouenda paulisper. Nam siue Græco poetæ credimus, aliquando & insanire iucundum est: siue Platoni, frustra poeticas fores composui pepulit: siue Aristoteli, nullum magnum ingenium sine mixtura dementiæ fuit. Non potest grande aliquid & supra cæteros loqui, nisi mota mens: quum vulgaria & solita contemsit, instinctuque sacro surrexit excelsior, tum demum aliquid cecinit grandius ore mortali: non potest sublime quicquam & in arduo positum contingere, quamdiu apud se est. deciscat oportet à solito, & efferatur, & mordeat frenos & rectorem rapiat suum, eoque ferat, quo per se timuisset ascendere.*

Hic tibi.] Hic conuiciator modo descriptus videtur tibi, qui mihi aduersaris, & videri vis infestus noxiis hominibus: videtur, inquam, tibi facetus, suavis & & commodus. De notione vocis *infestus*, ipsiusque etymo lege l. 9. c. 12. Agel.

Pastillos.] Expositus est hic versus in enarratione Sat. 2. quem inde repetitum à Poeta nunc arbitror exempli gratiâ, vt opinio maledicentiæ, quam adversarius de nostro Poeta conceperat, facilius remitteretur. Itaque non continuo dictandus est obtrectator & inuidus Poeta, quòd hunc luxuriosè, illum sordidè viuentem irrideat.

Mentio si qua.] Pro hoc Cic. dicit l. 2. ad Q. fratrem. *Mentionem facere de re aliqua*, atq; mutatâ syntaxi *pro Cluent o: Quo tandem igitur ore mentionem corrupti iudicii facitis?*

Capitolini.] Hic Petillius ex eo cognomen Capitolinus retulit, quòd eo quidem tempore curæ Capitolium haberet: quo inde sublata est furto aurea corona: de qua grauiter accusatus, ita caussam suam egit, vt crimine talis peculatus ab Augusto planè fuerit absolutus. Fortassis etiam *Petillius* nomen sortitus est à Petilia vrbe Calabriæ, dicta παρὰ τὸ πέτεσθαι, i. *volare*: quia condita est augurio, vt notauit Seru. in Aen. 3. vers.

Parua Philoctetæ subnixa Petilia muro.

Hic nigræ.] Id est, ista postrema verba redolent simulatam tuam erga Petillium beneuolentiam, & simultatem arguunt: quia si verè & ex animo illum amares, iure ac merito prædicares peculatus crimine absolutum, illiusque innocentiam & integritatem omnibus, vt rem notissimam maximeque testatam, diuulgares & defenderes. Est autem Loligo ex opinione quorundam piscis de genere sepiarum: iudicio aliorum de genere lacertorum marinorum. Priorum opinio firmatur testimonio Aristotelis, qui sic scribit: αἱ δὲ σηπιαὶ καὶ τευθίδες νέουσιν ἅμα συμπεπλεγμέναι. *Sepiæ & loligines simul natant complicatæ*: verum loligo est duplex; maior, quæ Græcè τεῦθος, minor τευθὶς. Quidam sic describunt, vt caput habeat inter pedes & ventrem, constétque è duobus osiculis similitudinem cultelli & calamarii referentibus, & atro cruore, quamuis extinsecus albescat: vnde vulgus & interpres Gallicus Plinii nominant calamarium, *calemar & casseron.* De hoc sic Plinius lib. 32. cap. 2. *Trebius niger loligines euolare ex aqua tradit tantâ multitudine, vt nauigia demergant.* Quod sic Gallicè interpretatus est Antonius Pinetus, *Trebius Niger dit, que les calemars & casserons se jettent quelque fois à si grand randon & à si grande troupe hors de l'eau, que mesme ils en enfoncent les nauires, tant il ien a.* Itaque Varro lib. de ling. Lat. *Loligo* à volatu deflectit, & olim voligo, priori literâ tantùm mutatâ, dictum fuisse scribit. Sepiam porrò, à qua non nisi ferè magnitudine loliginem discrepare tradit Aristotelis, Atheneus lib. 7. pleniùs ita describit: *Octo pedes habet, ac inferiores duos ex iis maximos: promuscides duas: inter pedes & promuscides os & oculos: dentes duos, alterum suprà, alterum infra: in dorso testam: atramentum in mutide, quæ prope os jacet, & vesicæ figuram imitatur. Lata & læuis aluus est bouis omaso perquam similis.* Naturâ eiusdem eodem in loco ipse legas.

Hæc est ærugo.] Morbus est æris, qui & rubigo à colore nominatur: sed hic est communis & ferri, & æris apud Latinos, sicut ἰὸς apud Græcos, de quo sic Dioscorides: ἰὸς σιδήρου ποδαγρικοὺς ὠφελεῖ ἐπιχριόμενος, quod Plinius sic vertit lib. 34. cap. 15. *Rubigo ferri podagras illita lenit.* Videtur autem huic vitio subiicere omnia metalla Philo de mundo, Σιδήρου γοῦν καὶ χαλκοῦ καὶ τὰς τοιουτοτρόπους ὑσίας σύρρις καὶ ἰόνιζομένας, ἐξεαυτῶν μὲν ὅταν ἐρπετωδοῦς νοσήματος τρόπον ἰὸς ἐπιδραμῶν διαφάγοι. *Ferrum igitur & æs eiusmodique naturas quisque comperit obsolescere per se ac disperdi (licet alias tardius aliis) quum rubigo gliscens instar morbi serpentis ipsas depascitur.* Sed Plinius lib. citato excipit aurum, ab huiusmodi vitio mordaci tutum maximè, ideóque quidam putant παρὰ τὸ ὠρεῖν, à custodiendo dictum, id est, vt nulla hîc subsit ambiguitas sensus, quòd se vi suâ seruet & curet, Aerugo etiam de morbo segetum dicitur, vt Theophrastus lib. 4. de caussis plantarum cap. 15. ait, quam vocat & describit sic: Ερυσίβη ἐστί τις σῆψις τοῦ ἐφιστάμενον ὕγρου τοῖς σιτώδεσι. *Erysibe est quidam humor in frumenta incidens & spicas putrefaciens*, qui ferè roscidis locis & conuallibus accidit. Hanc Plin. lib. 18. cap. 17. rubiginem vocat. Quod igitur dubitat hîc aduersarius de vera Petillii absolutione, est mera ærugo, id est, certum indicium amicitiæ contemtæ, violatæ & venenatæ.

Vt si.] Ellipsis est hîc τοῦ *ita.* Ego ita vere promitto me nunquam specie amicitiæ habiturum esse occultum in quenquam odium, vt hic aduersarius in Petillum habet. Ego tamen hîc mallem legere, &, vt esset hæc sententia: Promitto talem simultatem abfuturam ab animo & à scriptis meis, & aliunde, si quid aliud possum promittere. Neque hac lectione Horatius & aduersarius desinent

dissimiliter comparari: sit tamen cuique liberum, vtro libebit, frui.

Inseuit Pater.] Sic Crassus l. 3. de Orat. ad Q. fratrem dicit se summo studio patris in pueritia doctum fuisse: vnde perspicimus curam summam & diligentiam veterum Rom. patrum in liberis rectè instituendis adhibitam. Hic autem locus sonat: Pater meus ingenerauit mihi, tanquam à stirpe sui generis, vt Cic. loquitur pro leg. Agr. hos mores. Recta enim institutio est altera generatio, vt ad exempla virorum sapientiâ, moderatione, continentiâ, æquitate, ac omni virtute præstantium vitam meam effingerem & conformarem, à vitiis autem improborum, diligentissimè ac longissimè declinarem.

Hortaretur.] Ad hoc verbum auctoritatis, cui, quia sæpiùs non est satis ponderis, additur verbum voluntatis à Cicerone, vt orare, & rogare, vt constat è lib. 3. de Orat: vbi hæc geminantur: *Tibi frater, inquit, neque hortanti deero, neque roganti: nam neque auctoritate quisquã apud me plus valere te potest, neque voluntate,* lib. etiam 5 Epist. 18. *Te non hortor solum, verùm etiam pro nostro amore rogo, atque oro, vt te colligas, virumque præbeas.* Quid autem *hortari* habeat commune cum verbo *monere*, quid ab eodem diuersum ostendimus Ode 18. lib. 1. vbi quanquam dictum est illud leniter fieri: hoc seuerè, Epistolâ tamen 5. lib. 10. vsurpat hoc posterius de filio, ac illud prius de amico, *sic moneo, vt filium. sic fauco, vt mihi: sic hortor & pro patria, vt amicissimum.*

Parcè, atq; frugaliter.] Dicitur per anastrop. copulæ, & hoc Græcè pronunciatur, ὅπως βιωσόιμον φειδομένως, λιτῶς, καὶ ἀφελῶς. Non quidem certè potuit Horatius patri suo maiorem tribuere honorem hac rectæ institutionis commemoratione & prædicatione, neq; tectiùs vitiosos notare, etiamsi fuisset excellentiori conditione, vel generis, vel fortunæ, quàm libertinus, & in tenui re positus, vel ipso Theognidis testimonio:

Οὐδένα θησαυρὸν παισὶ καταθήσῃ ἀμείνω
Αἰδοῦς, ἥτ' ἀγαθοῖς αὐξάνεται, Κυρνέ' ἕπεται.
Nullum thesaurum liberis condes meliorem
Pudore, qui semper comes est virorum bonorum
o Cyrne.

Et multis pòst versibus generaliùs:

— Σοφίης
Οὐδένα θησαυρὸν καταθήσειν παισὶν ἀμείνω
Sapientiâ nullum condes liberis thesaurum meliorem.

Hæc autem cohortatio patris ad parcam & frugalem vitam, mediocrem viuendi rationem complectitur, vti hæc duo aduerbia literæ Horatianæ videntur præ se ferre. Nam si pater voluisset habere contentè, arctè ac duriter filium, his aduerbiis vsus fuisset: contrà his, *laurè, molliter, delicatè*, si eundem sic vitam agere statuisset. Itaque neque illum ad sordes, neque ad luxum, sed ad frugalitatem, & mediocritatem victus hortatur, de priori quidem sic Cicero pro Deiotaro, *Hæ sunt regiæ laudes, illæ priuatæ est: vt volet quisque, accipiat: Ego tamen frugalitatem, id est, modestiam & temperantiam virtutem esse maximam iudico.* Idem lib. 3. Tusculan. *verisimile etiam illud est, qui sit temperans, quem Græci σώφρονα appellant: eamque virtutem σωφροσωλὴν vocant: quam soleo equidem tum temperantiam, tum moderationem appellare: nonnunquam etiam modestiam: Sed haud scio, an rectè ea virtus frugalitas appellari possit:* de cuius notatione reuise notas Gram. in Satyram præcedente: ex his lector cognoscit τὴν σωφροσωλὴν dici posse de frugalitate: cuius opus & officium est Aristoteli non admirari perceptionem voluptatis corporalis, nec eius turpitudinem appetere: præterea timidum esse vel in libertate rerum licitarum, & attentum æqualiter esse tam ad parua, quàm ad magna: cuius quidem virtutis comites sunt εὐταξία, κοσμιότης, αἰδὼς, εὐλάβεια, id est, *modestia, elegantia, pudor, innocua cautio*: ad hunc itaque modum pater προξενεῖ τῷ ἑαυτοῦ υἱῷ τὴν τοῦ βίου λιτότητα καὶ τὴν ἀφέλειαν, id est, *conciliat suo filio frugalitatem & simplicitatem*, quæ sunt opera temperantiæ. Itaque προξενεῖ τῷ υἱῷ ἑαυτοῦ τὴν τοῦ βίου λιτότητα καὶ τὴν ἀφέλειαν, *comparat suo filio tenuem victum ac frugalem.*

Albi.] Nomen huius filii non exprimitur: notatur tamen illius acolasia, libido, luxus & intemperantia quæ summâ religione vereor tribuere Albio Tibullo Poetæ & candido iudici poematis Horatiani, cuius nota est ex ipsiusmet scriptis paupertas: sed quum Horatius audiat passim nulli parcere amico, posset hoc ad Albium Tibull. referri, qui luxu & intemperantiâ decidit multùm de primo statu rerum suarum, qui tamen non coactus fit per latrocinia & rapinam vitam tolerare, sed tantùm viuere miserè, vix & ægrè. Exprimitur autem nomen trium aliorum luxu & intemperantiâ perditorum, Barri, Sectani, & Trebonii in documentum temperantiæ, frugalitatis & continentiæ diligenter colendæ.

Ad hos possunt aggregari, qui mox hic ἀνωνύμως καὶ γενικῶς solum memorabuntur primũ ad verba, *habes auctorem, quo facias hoc.* Deinde, *fragret rumore malo quum hic atq; ille* &c. quũ hæc mihi propono accuratius examinanda, discrimen inter duo nomina, *exemplum* & *exemplar*, quod Festus Pompeius statuit, non satis apertè obseruatur in hoc auctore, *vt exemplum fit, quod sequamur aut fugiamus: exemplar verò ex quo simile faciamus.* Quemadmodum enim hîc multi à patre proponuntur, tanquam exempla virtutis, quos filius sequatur: multi quoque, tanquam vitii, quos idem fugiat. Sic episto. 2. lib. 1. Vlysses proponitur exemplar temperantię & sapientiæ ad imitationem Paris fœdissimi adulterii. Agamemnon amoris rapti: Achilles implacabilis, iræ ad deuitationem, videatur vtrobique significari æqualiter his nominibus & virtutis imitatio atque vitii declinatio. Quod autem citatur è Seneca lib. 1. cap. 1. de Clementia, vt ostendatur *Nero Cæsar* propriè dici exemplar singularis bonitatis, quod etiam è vita *Tiberii* apud *Suetonium, vbi mores illius imperatoris, velut exemplaria sæuitiæ, improprie* dici ea putantur, vt illud è lib. 12. *Cor. Taciti, si me incolumem seruauerit æternum exemplar clementiæ ero,* vtrobique τὸ *exemplar* meo iudicio videtur tam proprie dictum, quam illud Flacci; *Vlysses* est temperantiæ exemplar: pro quo etiam Terentius dicit in Adel. act. 5. Sc. 1. *Syrum disciplinæ omnibus exemplum esse debere:* Sed manifestior est locus in orat. pro Muræna, vbi exemplum & exemplar dicuntur sine discrimine pro eodem, quum enim prius illic dictum fuisset, *domesticum te exemplum habere dixi ad imitandum*, mox subiicitur, *ad imitandum verò tam mihi propositum est exemplar illud, quàm tibi.* Sic Isocrates ad Demonicum prius loquutus est, ὀίκειόν τε καὶ καλὸν ἕξεις παράδειγμα τῶν ὑπ' ἐμοῦ λεγομένων, τὸν ἡγοῦμαι Ἱππόνικον, id est, *domesticum ac illustre habebis exemplum eorum, quæ à me dicuntur, Hiponicum patrem tuum:*

Sapiens vitatu.] Prudenter & modestè pater filium Horatium ad Philosophos & professores disciplinæ

moralis remittit, vt ab illis discat caussas, cur hæc fugienda & vitanda, & illa expetenda & imitanda sint: quod videtur quodammodo ipse præstare dum curat id præceptis institutisque Philosophiæ conficiendum. Dicitur autem, quid sit melius vitatu & petitu, eâdem syntaxi, atque illud Cicer. 3. Verr. *Statuunt id sibi optimum esse factu.*

Custodis eges.] Sic *aris egere* dicit Ep. 6. lib. 1. & Cæsar lib. 6. Comm. *auxilii eget*, sed Cic. pro Cæc. *auxilio eget.* Custodem hîc vocat formatorem qualis fuit Iulo filio Aeneæ l. 5. Aen. Aepitides,

At pater Aeneas nondum certamine misso
Custodem ad sese, comitemque impubis Iuli
Aepitidem vocat, & fidam sic fatur ad aurem.

Talem morum formatorem Terentius in Andria Actus 1. Sc. 1. appellat magistrum, quem Donatus interpretatur nomine Græco Pædagogum,

— Nam anteà
Qui scire posses, aut ingenium nosceres,
Dum ætas, metus, magister prohibebant?

Pædagogus autem conflatur ἐκ τοῦ παιδὸς καὶ ἀγωγός: quod posterius retinet vim sui syngenei ἀγωγὴ, quæ est educatio & institutio pueri ex inscriptione libell. Plut. περὶ παίδων ἀγωγῆς, *de puerorum institutione*, & Nigrino Luciani, ἡλικίας τε, καὶ τῆς πρότερον ἀγωγῆς ἐφροντικέναι, *ætatis & prioris institutionis rationem habuit*: sic τὸ ἄγειν καὶ ἄγεσθαι pro instituere atque institui, *formare & formari* sumuntur frequenter à Xenophonte, & Aristotele, vt καλῶς ἤθεσιν ἄγεσθαι ἐν παίδων, *à pueritia rectis moribus informari*: vnde deprehenditur error interpretationis, pueri ductor, vt verbi παιδαγωγῶ puerum sequor & duco. Hæc autem formatio pueri tam domi, quam foris fiebat, vt constat è Plutarchi libello, ὅτι διδακτὸν ἡ ἀρετὴ καὶ αὐτοὶ διδάσκουσιν οἱ παιδαγωγοὶ, μὴ κεκυφότας σὺν ταῖς ὁδοῖς περιπατεῖν, *atque ipsi formatores docent pueros, ne inter viam incedant capite obstipo.* Nunc redeo ad sententiam Terentii de difficultate cognoscendæ puerilis indolis, dum in disciplina pueri versantur: sed quum ex ea semel excesserunt, insolescunt maximè, vt è Bacchidibus Plauti liquet: nam illic Pistoclerus adultiore iam ætate magistro suo Lydo dicit, ipsum dehortanti à turpi amore, *iam excessit mihi ætas è magistratu tuo*: ideoq; Plato 7. de legibus monet pueris etiam adultis semper præficiendos esse pædagogos: quòd illi minùs sint tractabiles quauis bestiâ, & in vndecimo lib. quòd eorum mores sæpè variéque indies mutentur. Quid autem euenire soleat adolescentibus sine moderatore, discendum est l. 4. Ethic. c. 1. Aristot. διὸ καὶ ἀκόλαστοι αὐτῶν εἰσιν οἱ πολλοὶ. σύχερῶς γὰρ ἀναλίσκοντες, καὶ εἰς τὰς ἀπολαύσεις δαπανηροί εἰσι, καὶ διὰ τὸ μὴ πρὸς τὸ καλὸν βλῦ, πρὸς τὰς ἡδονὰς ἀποκλίνουσιν. ὁ μὲν οὖν ἄσωτος ἀπαιδαγώγητος γενόμενος, εἰς ταῦτα μεταβαίνει· τυχὼν δ' ἐπιμελείας εἰς τὸ μέσον, καὶ τὸ δέον ἀφίκοιτ' ἄν. *quare & plerique eorum sunt intemperantes: quum enim facilè impendant etiam in res obscœnas, & ab intemperantia natas, sumtuosi sunt: & quia vitam suam honesti regulâ non dirigunt, ad voluptates animum inclinat: prodigus igitur si sine custode & magistro viuat, in hac mala delabitur: sed nactus, qui eum diligenter curet, ad id quod est moderatum & decorum, perueniat. Valeant igitur asoti illi, qui nomen sanctissimum grauissimumque pædagogi inuidiosissimè criminentur, vt euersores reipu. hac pædagogiâ prudenter fundatæ*, vt in Od. 2. l. 3. annotatum fuit: valeant quoque illi linguæ Græcæ imperiti, & honestatis expertes, qui probri loco & contumeliæ præceptoribus iuuentutis Italicum illud Pædan hodie obiiciunt, *quum nullum munus reipub. afferre maius meliusue possint parentes, quàm si doceant atq; erudiant iuuentutem, his præsertim moribus atque temporibus, quibus ita prolapsa est, vt omnium opibus refœnanda atq; coercenda sit*, ait Cic. l. 2. de diui. initio. Prudenter certè hoc munus magistri præclarum Dionysius minor, qui post patrem Syracusis regnauit, vt Iustinus lib. 22. scribit, animaduertit, quum expulsus regno ad aliquam regni speciem retinendam aperuit ludum Corinthi in triuiis, vt pueris imperando non planè videretur regis maiestatem amisisse. Ob eam præterea necessariam Reipub. institutionem iuuentutis optat Iuuenalis maiorum manibus æternam quietem Satyrâ. 7.

Di date majorum vmbris tenuem & sine pondere terram,
Spirantésq; crocos, & in vrna perpetuum ver,
Qui præceptorem sancti voluêre parentis
Esse loco.

Eódem spectat, quod scribit Theognis.

Ἥβη καὶ νεότης ἐπιμαίνει νόον ἀνδρὸς,
Πολλῶν δ' ἐξαίρει θυμὸν ἐς ἀμπλακίαν.

Pubertas & adolescentia insolentius efferunt mentem hominis,
Multorumq; animum abducunt in errorem.

Durauerit ætas.] Propriè & συνεργητικῶς, vt Od. 14. lib. 1. sumitur hîc *durare*, vt apud Cæsarem libro 6. Comm. *hoc se labore durant adolescentes*: cui opponitur *emollire* in Cello lib. 2. *frictio vehemens corpus durat, lenis emollit*: sic industria lib. 3. Geor. dicitur *vires equorum firmare.*

Virg. 12. Aen. ad Ascanium.

Tu facito mox cum natura adoleuerit ætas;
Sis memor & te animo repetentem exempla tuorum,
Et Pater Aeneas, & auunculus excitet Hector.

Nabis sine.] Hoc Græci dicunt, ἐπινήξη, ἢ ἐπινήσεις μὴν ἄνευ τοῦ λέπους, ἢ τοῦ φελλοῦ, *nabis sine cortice & subere*, (*id est*, nullius operâ & præceptis tibi opus erit & ad tui custodiam & tutelam) οὔτινος νηχότερον δένδρον ὀδὸν καὶ νητικώτερον ἐστὶν, *quo quidem nulla est arbor leuior, nulla ad natandum aptior*, cuius subsidio Pontius Comminius iuuenis γραπτηματικῶς Tiberim traiecit, vt est videre apud Plutarchum in vita Furii Camilli ad hęc verba, λῦ δὲ τὶς σὺν τοῖς νέοις Πόντιος, quem locum *Ioannes Huralthospitalius* mihi in memoriam reuocauit. Tale autem adminiculum natare discentium dicitur à Plauto in Aulul. scirpea ratis, cuius verba sunt: *Quasi pueris, qui nare discunt, scirpea inducitur ratis qui laborent minus, facilius vt nent, & moueant manus.*

Sic me formabat.] In simili argumento simili syntaxi huius verbi vsus est Od. 24. l. 3.

Eradenda cupidinis
Praui sunt elementa, & tenera nimis
Mentis asperioribus
Formandæ studiis. Virgilius alteram syntaxim habet 3. Georg.

Tu quos ad studium atq; vsum formabis agrestem.

Cicero tamen magis videtur sequi priorem 3. de Orat. *exercitatione & stylo nobis formanda est oratio*, & 1. Acad. *formare oportet consuetudinem exercitationis assiduitate.*

Habes auctorem.] Pro quo Terentius Adelph. Act. 5. Sc. 8. dicit, *estis mihi auctores*, quod Donatus interpretatur, *persuasores*, & firmat testimonio Virgilii, *auctor ego fui audendi*, id est persuasor, vnde videtur idem, esse aut fieri auctorem, atque persuadere, vt meritò Cicero lib. 3. Offic. geminârit, suasor & auctor deditionis.

Obiiciebat.] Hoc verbum non est hic exprobrationis vel appositionis malitiosæ, sed exempli probati, & ob oculos appositi. Ita Plutarchus in libell. de puerorum institutione officium patris describit: Hoc igitur, inquit, bene consultis patribus, obseruandum est nunc maximè & vigilandum, vt adolescentes castigent, docendo, interminando, obsecrando, consulendo, pollicendo, exemplis eorum appositis, qui voluptatibus nimis perfruendis in summas calamitates deciderunt: summâ autem continentiâ & laborum tolerantiâ laudem nomenq; bonum sunt consecuti.

Inhonestum.] Id est, fœdum ac turpe. Sic Virg. 6. Aen. dicit, *truncas inhonesto vulnere nares.*

Rumore malo.] Pro hoc suprà dixit, *fama non bella Trebonii.* Cic. definit in Orat. pro Plancio & Epist. 10. l. 12. ad Famil. rumorem *esse famam incertam sine capite, sine auctore, rumore nuncio,* Famæ autem descriptionem lege l. 4. Aen sed fama mali celerior est, quàm boni, vt Dauus queritur in Andr. Act. 5. Sc. 6. *euenit, vt quod sim nactus mali, prius resciscères tu, quàm ego, quod tibi euenit boni.* Idem pro Plancio Cic. *dicit nihil esse tam volucre, quàm maledictum.*

Exanimat.] Id est, perturbare & perterrere, estq; velut animâ priuare, sicut jam monuimus Ode 17. lib. 2. Cic. in Paradoxis, *Te metus exanimant legum & iudiciorum,* ideóq; geminatè dicit idem quoq; pro Milone, exanimare & interimere.

Sibi parcere.] Id est, sibi moderari & incolumitati seruire.

Ex hoc] Id est monitis paternis ego teneor & habeor purus ab exitialib. vitiis & grauibus, & leuib. tantu m nunc laboro, quæ non carent facili veniâ.

Vitiis teneor.] Sic Cic. l. 1. de nat. Deor. loquitur, *quòd æternum beatúmq; sit, id neq; irâ neq; gratiâ teneri.* Gall. *Ce qui est aterne & douè de felicitè, il n'est subject ni a cholere, ni a grace & faueur.*

Fortassu.] Charisius dicitur obseruasse, vt consuetudo obtinuerit *fortasse* potius, quàm *fortassa* dici, id equidem puto posse in oratoribus reperiri: sed è Seruio in vers. Aeneid. 1. *forsan & hæc olim meminisse iuuabit,* scimus hęc *forsan, fortassè fortassu, fortè, & fors* vnum significare, sed variè pro metri ratione poni.

Et isthinc.] Id est, à vitiis me quoque reuocârint longa ætas, cui succreuit ratio, fidele amici liberi consilium, priuata & propria emendatio.

Largiter.] Pro multum absolutè & olim in rectione. Plautus in Truculento, *largiter vini,* & Rudente, *largiter argenti* & *mercedis.* i. multum vini.

Me porticus.] In Grammaticis Od. 15. l. 2. definitur & Græcè appellatur.

Desum mihi.] Huc cadit negatio præcedens, vt sit, neque enim desum mihi, id est, non declino à religione officii, sed siue in lecto iacens, siue in porticu inambulans examino ratiocinatione meas actiones, & prauas corrigo: rectas exorno.

Nunquid ego.] Alii legunt *disiunctim, num quid ego.*

Hæc ego.] Huc pertinet, quod legitur lib. 3. Philonis de vita Mosis, *εν ἀνθρώπῳ δὲ ὁ μὲν ἐστὶν λόγος ἐνδιάθετος, ὁ δὲ προφορικὸς· καὶ ὁ μὲν οἷα τις πηγή, ὁ δὲ γεγωνὸς, ἀπ' αὐτοῦ ῥεῖν, καὶ τοῦ μὲν ἐστὶ χώρα τὸ ἡγεμονικὸν, τοῦ δὲ κατὰ προφορὰν, γλῶττα καὶ στόμα καὶ ἡ ἄλλη πᾶσα φωνῆς ὀργανοποιία,* id est, *in homine ratio quædam est mente comprehensa: altera autem & eadem sermone oris pronunciata: illa quidem est velut principium & fons: sed hæc ab illa deffluit orta: illius est principatum rationis tenere, huius linguâ & ore, reliquaque machinatione omni vocis sensa mentis proferre,* vt in præfatione huius enarrationis dictum est.

Datur otî.] Apocope est pro otii.

Illudo chartis.] Inscribo chartis per ludum & mando literis meas cogitationes: in quibus exprimendis abutor Satyricâ licentiâ, sicq; scribendo perdo meas chartas, quæ perditio est vnum ex vitiis. Dicitur Ptolomæus Philadelphus chartæ, vt Eumenes membranæ inuentor. Vlpianus jurisconsultus lib. 32. ff. tit. de legatis fideicom. l. 52. ita scribit de ratione librorum: *quorum appellatione continentur omnia volumina, siue in membrana sint, siue in philyra, siue in tilia, siue in aliquo corio.* Idem post paullò, *si in codicibus sint membraneis vel chartaceis, vel etiam codicillis:* quem Vlpiani locum habes fusius ab Alexandro lib. 2. Genialium dierum cap. 30. explicatum. Deflectitur autem charta Eustathio ἰλιαδ. ἑ. ad versum πέμπε δέμας λυκίηνδε, *nisi Bellerophontem in Lyciam,* παρὰ τὸ χαράσσειν, ab insculpendo & imprimendo, & Græcè ὁ χάρτης dicitur, quam Dioscorides lib. 1. cap. 116. scribit sic confici πάπυρος γνώριμός ἐστι πᾶσιν ἀφ' οὗ ὁ χάρτης κατασκευάζεται, quod Plinius ita vertit lib. 12. cap. 11. *Præparantur e papyro chartæ, diviso acu in prætenues, sed quàm latissimas philiras:* sed de his vide plura in citato Eustathii loco.

Cui si concedere.] Id est parcere, vel illud ferre.

Iudæi.] Imperante Augusto multi erant iudæi Romæ, qui multos ex aliis gentibus alliciebant è Paganismo in suum Iudaismum, quos proselytos vocabant παρὰ τὴν προσήλυσιν *ab accessu ad religionem.* Veritas huius rei nititur testimoniis diuinis, ac 1. Matthæi c. 33. v. 15. Οὐαὶ ὑμῖν, γραμματεῖς καὶ Φαρισαῖοι ὑποκριταὶ ὅτι περιάγετε τὴν θάλασσαν, καὶ τὴν ξηρὰν, ποιῆσαι ἕνα προσήλυτον· καὶ ὅταν γένηται, ποιεῖτε αὐτὸν υἱὸν γεέννης διπλότερον ὑμῶν. *Va vobis, Scribæ & Pharisæi hypocritæ: quia peragratis mare & terram ad conuertendum* in Iudaismum, vel potius in Pharisaismum ex ipsius Paganismo *aliquem proselytum: atque quum fuerit conuersus, redditis eum capitaliori animo & magis infenso & inimico in Christum, quàm vos estis.* Altero Act. Apost. c. 13. vers. 50. vbi Iudæi exstimularunt mulieris religiosas & honestas matronas, primoresque Vrbis ad Pharisaismum conuersos in Apostolos Paulum & Barnabam, hocque factum est in vrbe Pisidiæ Antiochia.

In hanc.] Donatus in hunc vers. Adel. Act. 3. Sc. 2. Vt *iram hanc in eos euomam omnem.* scribit, pronomen interdum pro qualitate, interdum pro quantitate, interdum denique pro vtroque accipiendum: postremum hîc agnosco.

Concedere.] Id est, sequi ac tueri partes nostras, & aliorum Poetarum, quorum est magna multitudo. Sic Seneca de vita beata loquitur: *præbui ego aliquando Aristophani materiam jocorum: tota illa Comicorum manus in me venenatos sales suos effudit.*

Rhetorica Explicatio.

IN *emuncta nari* metaphora est à corpore ad elegantiam & acerrimum mentis iudicium, quod subtilius sit αἰσθητηρίων μέρεσιν κατάρσει, *partium organicarũ munditie & sensuum puritate:* sic præcedente Satyra dixit *minus aptus acutis Naribus rideri,* sed alio tropo, vt reuisere potes. Vide præterea 12. Epod. Rhet. Hunc certè locum Don. citat in Phor. Act. 4. Sc. 4. ad verba: *Emunxi argento senes,* Gall.] *'ai nettoie les vieilars de leur argent: Mirè,* ait interpres ille, *quum è contrario dicatur emunctus homo elegans & facetus, vt Horatius de Lucillio.* Idem retinetur quidem: verùm alia quædam ipsius ratio afferri potest.

b Similis est tropus pro ingenio non satis bene nato ad poesin politiorem.

c Hac metonymiâ subiecti pro quantitate temporis, quâ quis vnico tantùm pede niti potest, significatur spatium tam copiosæ scriptionis.

d E multiplicata metaphora est allegoria a turbidis & cænosis torrentibus tam ad notam compositioni quam illepidæ & inuenustæ materiæ Satyricæ inurendâm.

e Synecdoche est speciei, quòd inde quiuis sibi sumere & excipere posset, tanquam si ex aliquo torrente quid sibi legeret profuturum.

f Anaphora est, atque simul ἐπανόρθωσις quædam dicti prioris.

g Accessus est ad prosopopœiam Crispini.

h Iam inducitur Crispinus prouocans Horatium, sed sine nota recessus, & est ἀνακοίνωσις quædã κατὰ τὴν παρρησίαν per licentiam dicendi, quâ Crispinus temerè prouocat nostrum Poetam ad certamen Musicum.

i Exclamatio est Poetæ admirantis prouidentiam Deorum, qui in illo pusillum animum & taciturnitatem ingenerarint.

k Permissio est per allegoriam e perpetuis metaphoris a fabrilibus operis, quæ diductione & contractione follium taurinorum flatu excitant flammas ad molliendum ferrum: vnde videretur e follibus in flatum Crispini pectus, & ex auris eiusdem vanæ cogitationes intelligi, vt leuitatem, tumorem & vanitatem talium versuum indicaret. Non admodum dissimili allegoriâ Cic. lib. 2. Epist. 16. ad Attic. videtur notare animum cuiusdam Cnei elatum, e loco quodam Sophoclis: Φυσᾷ γὰρ σμικροῖσιν αὐλίσκοις ἔτι, ἀλλ' ἀγρίοις φύσαισι, φορβείας ἄτερ. *Inflat enim non minutis tibiolis amplius, sed agrestibus follibus, sine capistro.* Quid autem sit τὸ φόρβειον ἢ φόρβεια, vide Scholiast. Aristophanis Comœd. Vesp. & Auib.

l Equidem hîc etiam puto esse exclamationem Poetæ admirantis felicitatem Fannij, cui, non postulantis tamen per impudentiam contra morem, poemata sunt, tanquam aliquid magnum, in publicam Bibliothecam recepta. Apponatur ergò nota exclamationis, *Quam beatus est Fannius!* vel, *O beatus Fannius.* cui tantus honos tributus est. Sed e sub distinctione & supplemento Douzæ nihil tale fiet.

m Synecdoche est, pro, *quilibet euat*, & permissio diligendi, *quemlibet optes, ille vitiosus reperietur.*

n Anaphora est, sicut in *hic* repetito, atque præterea πολύπτωτον.

o Metonymia effecti pro efficiente, quòd ambitio candidatos prensantes afficeret miseriâ.

p Metaphora est ἀπὸ τῶν ἀποπληκτῶν, ἢ ἀπὸ τῶν ἐμβροντητῶν. *a laborantibus apoplexiâ, vel ab ictus fulmine attonitis.*

q Ἐπανόρθωσις est, correctio prioris orationis rem non satis exprimentis: vbi *quin* valet, imò verò, vel, quin potiùs, vt in Adelph. Act. 4. Sc. 2. C. *Perij. S. Quin bono animo es.* pro, imò verò esto forti animo.

r Altera est, prosopopœia planè imperfecta cuiusdam aduersarij quattuor versibus & hemistichio cõprehensa, & per allegoriam tractata a cornutis bestiis ad petulantiam & maledicentiam Poetæ notandam: quali, sed ab equis, vtitur Sophocles, vt Plutar. l. in Gramm. posteriùs citato scribit:

Σὺ δὲ σφαδάζεις ὥσπερ ὑφορβείᾳ,
Γαστήρ τε γὰρ σοι καὶ γνάθος πλήρης.

At tu ferocis, pullus vt pastus nimis, buccis & ventre plenis.

s Sumptum ab inducẽtibus aliquid liquidum & fusum corpori, pro inscribere & notare.

t Synecdoche potest esse generis pro lacu Seruilio in vico Iugario ad Basilicam Iuliam.

u Sumtum est ab ijs, qui inter flores, fructus & lanas carpunt præstantiores. Sic Terent. in Phor. Act. 4. Sc. 4. *Tu id, quod boni est, excerpis: dicis, quod mali est.* Gall. *Tu trie ce qui bon, & dis ce qui est mauuais.*

x Anaphora est.

y Ab animatis sumtum ad Poeticam vehementiam & commotionem.

z Anaphora est.

aa Προκατάληψις est obiecti ab aduersario, quod diluitur ad hæc verba: *Nunquid Pomponius &c.*

bb Allegoria est e synecdochis definitio, pro, *si quis eripiat, faciat, soluat & inueniat*: ac prætereà symploce, similitudo soni in initio & clausula: *eripias & soluas.*

cc In hoc Ennij versu motonymia est adiuncti, pro hominibus tæterrimè, impurissimè & crudelissimè sibi inuicem aduersantibus.

dd Synecdoche membri pro integris foribus, & insuper metonymia subiecti pro foribus Ianiculi.

ee Metonymia caussæ pro effecto poemate, cuius verba tanquam membra sine numero ac lege metrica dissipata & quotidiani sermonis similitudinem referentia vim Poeticam retinent.

ff Hoc genus scribendi est synecdochica periphrasis Comœdiæ & Satyræ, quod vtrumque poema cur aduersarius oderit, nunc ex eo cupit audire.

gg Προκατάληψις est, *præoccupatio* aduersariæ obiectionis.

hh Breuis est prosopopœia aduersarij Poetam accusantis de studio lædendi.

ii Hoc est sumtum a sagittariis, sicut *rodit* a muribus, pro detrahit & obloquitur amico.

kk Epanaphora est in *qui* quater repetito initiis membrorum & in *hic* & *hunc* πολύπτωτον.

ll Sumtum fortassis ab olitoribus incautis, qui vt areas horti sui qualibet aquâ irrigant: sic primũ quemque dicterijs certus quidam homo figit.

mm Synecdochica periphrasis conuiuatoris: qualis est. 5. Tusc. *Is, qui coxerat.* pro coquo.

nn Metonymia caussæ, id est, inuentor pro vino invento, in quo est veritas.

oo Metaphora videtur ab infaustis ac perniciosis rebus, vnde Poetæ, atque in primis Virgil. 1. Georg. ver. 220. *Turbine nigro Ferret hyems.* id est, tempestate noxiâ, interprete Seruio, qui citat hunc locum. Græci quoque dicunt τὸ μέλαν νέφος, μέλαινα θανάτου, atram nebulam, nigram mortem: vel potiùs, ac γενικωτέρως a corpore ad animum, vt sequens *liuidus.* Hinc μέλαν ἦθος, *nigros mores*, id est, *vitiosos, prauos, pestiferos*: vnde illud Pythagoricum a Plutarcho citatum περὶ παίδων ἀγωγῆς: μὴ γεύεσθαι μελανούρων, τοῦτ' ἐστι, μὴ συνιδιατρίβειν μέλασιν ἀνθρώποις διὰ κακοήθειαν id est, *ne gustes, quibus nigra est cauda, hoc est, ne consuescas cum hominibus ob malitiam nigris*: quali tropo nõnulli Theologi scribunt Saulem in Psal. 7. vocari *chusim*, id est: Hebræis Aethiopem & nigrum, ab ipsius profligatis ac perditis moribus: quomodo Cicero pro Cæcinna sumsit: *nec minùs niger, nec minùs considens, quàm ille Terentianus est Phormio.* Sic Iuuenalis Satyr. 3. huiusmodi scripsit:

Maneant, in vrbe sæua *qui nigrum in candida vertunt.*

Franciscus tamen Hotoman in locum Ciceronis modò citatum putat Sex. Clodium dici nigrũ ex histrionis, quem viderat agentem illas partes, colore: quod erat improbitatis argumento plerisque. Huc addit e lib. Athenæi 6. δειπνοσοφ. verba cuiusdam parasiti, quorum est initium: Δύ' ἐστι Ναυσίκι παρασίτων γένη &c.

e quibus poteſt cognoſci moris fuiſſe, vt nigri paraſiti in ſcenam prodirent.

pp De hac voce modificata dictum fuit in Rhetor. Sat.2.

qq Sumptum eſt præcipuè a canibus, quod ſibi iure quodam vindicarunt Cynici Philoſophi apud Laertium in Diogene, qui dicitur propriè φιλεπιτιμήτης, φιλόψογος, κακήγορος, περῖτομος, *promtus ad reprehendendum, ad vituperandum, maledicendum & cauillandum.*

rr Proſopopœia eſt aduerſarij declarantis ſuam erga Petillium amicitiam, ducta vſque ad verba, *Hic nigra* &c. vbi eſt allegoria e metaphoris variis ad fictam & ſimulatam aduerſarij amicitiam erga Petillium, id eſt, maledicam inuidiam indicandam.

ſſ In *hic* & *hæc* polyptoton eſt, vt in *promittere* & *promitto.*

tt Ἐπανόρθωσις eſt, *correctio dicti prioris.* Et certè nihil ſcribitur, nihil dicitur, vel ſaltem debet ſcribi & dici, quod non priùs mente comprehenſum ſit.

uu Anaphora eſt.

xx Sumptum eſt a plantantibus, vt ſæpè aliàs dictum eſt. Sed ſi vulgatam lectionem retines, *Inſuevit pater optimus hoc me*: pro aſſuefecit me huic inſtituto vitæ: vel ita ordinas; *Pater aſſuefecit me, vt hoc fugerem*, nullus erit tropus. Senſus tamen quadrabit ad diſciplinam morum e conſuetudine percipiendam: vnde dicuntur ἔθη ἢ ἐθίσματα: præſertim quum virtus parentum rarò in liberos procreatione transferatur: neque ab hac lectione deterrere me poteſt omninò Syntaxis verborum inſolens Latinis, non tamen huic Poetæ, qui Satyr.2.lib.2. verbo ſimilis coniugij & ſtructuræ vtetur:

Pluribus aſſuêrit mentem corpuſq; ſuperbum.

Sed quum vtriuſque lectionis vim attentiùs examino locum tropo relinquendum arbitror: quia & in eo poteſt retineri notio aliqua conſuetudinis, qui etiam intelligam, ſermonem inſititium & inductum opponi patrio & auito apud Plin.iuniorem Epiſt.68.

yy Proſopopœia patris Horatium adhortantis perfecta ſuo acceſſu ad illa verba ſuperiora: *Inſeuit*, & receſſu ad ſequentia: *Sic me formabat.*

zz Allegoria eſt a ſtudioſis natandi, pro, *non tibi cuſtode & doctore opus erit.* Dicitur autem *cortice* per ſynecdochen generis pro *ſubere*, quomodo locutus eſt lib.3.Ode 9. *leuior cortice.*

*a Anaphora eſt.

*b Metaphora eſt a flamma, quod Cicero ad Attic. lib.4. *flagrare infamiâ, peſſimè audire apud homines.*

*c Metonymia eſt adiunctæ pompæ & exſequiarũ, pro vicino mortuo, cuius morte deterrentur alij ab intemperantia.

*d Obliqua quædam eſt proſopopœia Poetæ ſecum deliberantis.

*e Apoſiopeſis eſt ſeu reticentia, quæ requirit hanc optationem: *Dij tale flagitium a me auertant!*

*f Depoſitio eſt proſopopœiæ.

*g Nota eſt ſynecdoche generis, pro inſcribere per ludum chartis, qualis eſt hæc Tityri pro canere:

Ludere, quæ vellem, calamo permiſit agreſti.

*h Credo ductum a militia, vt Virg.6. Aen. pro exercitu & multitudine: *ardens iuuenum manus*: & ibidem.

Hic manus ob patriam pugnando vulnera paſſi.

quam vocem hæc: *cogemur in hanc concedere turbam* videntur κατὰ τὸν ἐπεξήγησιν explicare.

SATYRA QVINTA.

Poeta facetè explicat, quæ fuerit ratio itineris ſui ab vrbe ad Brundiſium vſq; oppidum.

E *Greſſum magnâ me accepit* a *Aricia Româ*
Hoſpitio modico: Rhetor comes Heliodorus,
Græcorum longè doctiſsimus: inde forum Appî
Differtum nautis, cauponibus atq; malignis.
2. Hoc iter ignaui diuiſimus altius, ac nos,
Præcinctis vnum: minùs eſt grauis Appia tardis,
3. Hic ego propter aquã, quòd erat deterrima, ventri
b *Indico bellum, cænantes haud animo æquo*
Exſpectans comites. 4. Iam nox inducere terris
Vmbras & cælo diffundere ſigna parabat:
c *Tum pueri nautis, pueris conuicia nauta*
d *Ingerere*: e *huc appelle*: *trecentos inſeris*: *ohe*
f *Iam ſatis eſt.* g *Dum æs exigitur: dum mula ligatur:*
Tota abit hora, mali culices ranæq; paluſtres
Auertunt ſomnos: abſentem cantat amicam
Multâ h *prolutus vappâ nauta, atq; viator*
Certatim. Tandem feſſus dormire viator
Incipit: ac miſſæ paſtum retinacula mulæ
Nauta piger ſaxo religat: ſtertitq; ſupinus.
Iamq; dies aderat, quam nil procedere lintrem
Sentimus, donec i *cerebroſus proſilit vnus:*
Ac mulæ nautæq; caput lumboſq; ſaligno
Fuſte k *dolat. 5. Quartâ vix demũ exponimur horâ.*
Oraniamuſq; tua lauimus, Feronia, lymphâ.
Millia tum pranſi tria l *repimus: atq; ſubimus*
Anxuri impoſitum ſaxis late candentibus Anxur.
Huc venturus erat Mæcenas optimus, atq;
Cocceius, miſſi magnis de rebus vterq;
Legati, averſos ſoliti componere amicos.
Hic oculis ego nigra meis collyria lippus
Illinere: interea Mæcenas aduenit, atq;
Cocceius, Capitoq; ſimul Fonteius ad m *vnguem*
Factus homo, Antonî, non vt magis alter, amicus.
6. Fundos, Aufidio Luſco prætore, libenter
Linquimus, inſani ridentes præmia Scribæ,
Prætextam & latum clauum prunæq; batillum.
7. In Mamurarrum laſsi deinde vrbe manemus,
Murenâ præbente domum, Capitone n *culinam.*
Poſtera lux oritur multò gratiſsima: 8. namq;
Plotius & Varius Sinueſſæ, Virgiliusq;
Occurrunt, o *animæ, quales neq;* p *candidiores*
Terra tulit, neq; queis me ſit q *deuictior alter.*
r *O qui complexus & gaudia quanta fuerunt!*
Nil ego contulerim iucundo ſanus amico.
9. Proxima Campano ponti quæ, villula tectum
Præbuit: & parochi quæ debent, ligna, ſalemq;
Hinc muli Capuæ s *clitellas tempore ponunt.*
Luſum it Mæcenas dormitum ego, Virgiliusq;:
Namq; pilâ lippis inimicum, & ludere crudis.
10. Hinc nos Cocceij recipit pleniſsima villa,
Quæ ſuper eſt Claudî cauponas. t *Nunc mihi paucis*
Sarmenti ſcurræ pugnam, Meſsiq; Cicerrhi,

Muſa

Musa, velim memores: & quo patre natus vterq;
Contulerit lites. Messi u *clarum genus Osci,*
Sarmenti domina exstat. x *Ab his maioribus orti*
Ad pugnam venêre. Prior Sarmentus: equi te
Esse feri similem dico. Ridemus. & ipse
Messius: accipio: caput & mouet. y *O, tua cornu*
Ni foret exsecto frons, inquit, quid faceres? quum
Sic z *mutilus minitaris? 11. ac illi fœda cicatrix*
aa *Setosam laui frontem turpauerat oris.*
12. Campanum in morbũ, in faciem permulta iocatus
Pastorem saltaret vti bb *Cyclopa, rogabat:*
cc *Nil illi larua, aut tragicis opus esse cothurnis.*
13. dd *Multa Cicerrhus ad hæc: donasset iámne cathenam*
Ex voto Laribus, quærebat: Scriba quòd esset,
Deterius nihilo dominæ ius esse: rogabat
Deniq; cur nunquam fugisset, cui satis vna
Farris liba foret, gracili sic, tamq; pusillo.
14. Prorsus iucundè cœnam produximus illam.
15. Tendimus hinc rectà Beneuentum: vbi sedulus ee *hospes*
Penè arsit, macros dum turdos versat in igne.
Nam vaga per veterem dilapso flamma culinam.
ee *Vulcano, summum properabat* ff *lambere tectum.*
Conuiuas auidos gg *cœnam, seruosq; timentes*
Tũ rapere, atq; omnes restinguere velle hh *videres.*
16. Incipit ex illo montes Appulia notos
Ostentare mihi, quos terret Atabulus, & quos
Nunquam ii *erepsêmus: 17. nisi nos vicina Triuici*
Villa recepisset, kk *lacrymoso non sine fumo,*
Vdos cum folijs ramos vrente ll *camino.*
Hic ego mendacem stultissimus vsq; puellam
Ad medium noctem exspecto: somnus tamen aufert
Intentum mm *Veneri: tum immundo somnia visu*
Nocturnã nn *vestem maculant, ventremq; supinũ.*
10 *18. Quattuor hinc rapimur viginti & millia rhedis,*
Mansuri oppidulo, quod versu dicere non est:
Signis perfacile est: Venit vilissima rerum
Hic aqua, sed panis longè pulcerrimus: vltrò
Callidus vt soleat humeris portare viator.
19. Nam Canusî lapidosus: aquæ non ditior urna,
Qui oo *locus a forti Diomede est conditus olim.*
Flentibus hinc Varius discedit mæstus amicis.
20. Inde Rubos fessi peruenimus, vtpote longum
20 *Carpentes iter, & factum corruptius imbri.*
Postera pp *tempestas melior: via peior, ad vsq;*
Barri mœnia piscosi: de hinc qq *Gnatia lymphis*
Iratis exstructa dedit risusq; iocosq;:
Dum flamma sine tura liquescere limine sacro
Persuadere cupit. rr *Credat Iudæus apella:*
Non ego. 21. Namq; Deos didici securũ agere æuum.
Nec, si quid miri faciat natura, Deos id
Tristes ex ss *alto cœli demittere tecto.*
30 *22. Brundisium longæ finis* tt *chartæq; viæq;.*

Analysis Dialectica.

Ἡ μὲν σάτυρα ὁδοιπορικὴ ὅσα περιέχει τὴν χωρογραφίαν, ἢ μᾶλλον μιμησιπολίαν καὶ σκωμμὸς καὶ τὰς ἐν τῇ ὁδοιπορίᾳ γενομένας τῷ ποιητῇ. *Hæc quidẽ Satyra, quum sit viatoria, complectitur locorum descriptionẽ,* aut potiùs obseruationem Satyricæ materiæ, quæ cernitur in curiosa reprehensione nautarum, prætoris Fundani insignibus elati, scurrarum duorum, incuriæ hospitis Beneuentani, in irrisione profectionis, partim nauiculâ, partim 40 mulis, partim rhedâ cõfectæ: vnde facetæ existit narratio: tum mansiones, tum casus, qui in profectione Poetæ contigerunt: in quibus Satyricè, id est, vrbanè & facetè notandis, non solùm nõ amicorum intimis, sed ne sibi quidẽ ipsi parcit. Αἱ δὲ ἀλλαγαὶ καὶ αὐλισμοὶ κατὰ τὴν ὁδόν, *migrationes autem, mansiones, & diuersoria inter viam* numerantur ad septemdecim, quæ ad categoriam subiectorum referendâ sunt, vt casus & euenta ad locum adiunctorum: sic bipartita huius Satyræ materia, & alterutram reliqua nos accommodabimus 50 argumenta, quæ tamen pauca sunt. Primum igitur Poeta iter Româ profecti terminatur Aricià & exiguo diuersorio, & comitatu Heliodori Rhetoris Græci, qui collatione minorum celebratur, *quòd illo doctrinâ cæteri Græci longè inferiores essent:* Malo hîc agnoscere minorum contentionem, quod Heliodorus sit in quęstione, ad cuius doctrinam illa cæterorum Græcorum nihil aut parùm esse videatur. Alterum foro Appij, quod ciuium conditione describitur.

2. Vrbanè & festiuè suam & comitum ignauiam & 60 impatientiam laboris maiorum collatione notat, *quòd viatores ipsis expeditiores iter illud vno die confecissent, in quo ipsi conficiendo biduum consumserunt:* quæ comparatio ex adiuncta viæ commoditate & facilitate propter frequentiam diuersoriorum declaratur.

3. Quid ipsi in foro Appij contigerit, verbis facetis & sale conditis narrat, quod propter impuritatem aquæ coactus sit in gratijs ἄδειπνος, *incœnatus* cubare. Ratio hæc, quòd in cœnis Horatius cubuerit, est e categoria caussarum: sed dubitatur ad vtram referri debeat, efficientémne, an ad finalem: quod vbi consideraui, videtur mihi ad posteriorem referendum: ad quam coniecturam adductus sum hoc Ciceronis exemplo: *Tironem propter humanitatem & modestiam malo saluum, quàm propter meum vsum.* Hîc manifesta est finalis caussa, sed comparatè tractata: quæ caussa hoc modo enunciata multò erit in loco Poetæ apertior: abstinui à cœna in foro Appij, ne mihi aqua impura esset bibenda.

4. Iam ea narrantur, quæ, quum vmbra rebus noctem offudisset, incœnato Poetæ contigerint, mutua nautarum & famulorum, qui heros sequebantur, convicia, inquies nocturna, insomnia propter infestam culicum importunitatem, palustrium ranarum loquacitatem, amatorias cantilenas & Bacchicos clamores, quibus adimebatur somnus, perfugium laborum omnium & solicitudinum. Quantum autem sit incommodi σὺν τῇ ἀγρυπνίᾳ, quum fit iter, declarat Cyrus apud Xenophontem 5. παιδ. διὰ τὸ παραχθῆναι σὺν νυκτὶ πολὺ μεῖζόν ἐστι πρᾶγμα, ἢ σὺν τῇ ἡμέρᾳ καὶ δυσπαραστατώτερον: ὃ σύνοιδα ἥτε σιωπὴ δεινοτέα, *Atq; nocte turbari multò maius faceßit negotium, & sedatu difficilius, quàm interdiu. Eamq; ob rem agendum est silentium.* Hîc præterea ipsi nautæ, viatori & mulæ vectariæ attribuuntur suæ cuique affectiones, vinolentia, segnities, rhonchus, lassitudo, pascendi libertas. Ita peregit noster Poeta incœnatus insomnem noctem, ac peruigilauit vsq; ad diluculum, quum quidam aliquantò naturâ iracundior

fuste nauram, mulionem & mulam e somno exsuscitat ad nauigationem.

5. Tertium iter Feroniæ terminatur orâ, quò vix adnauigatum est quartâ post exortum solem horâ, quò peruenisse ante solis ortum oportuisset: vbi salubres aquæ repertæ sunt: inde ad Anxur lentè ventum est, quartam stationem: vbi Poeta potuit lippitudini suorum oculorum facere medicinam: qui locus ex adiunctorupium candore, vbi erat oppidum situm, describitur, & aduentu Mæcenatis & Cocceij Neruæ Iurisconsulti legatorum, & fine: quòd hi missi essent, vt Augustum Cæsarem & Antonium placarent, & inter se conciliarent. Huic conciliationi Fonteius Capito vir spectatissimis moribus & probatissimis interfuit ex partibus Antonij, cui perinde carus erat, atque carissimum quicque. Nosti lector, argumenti genus & comparationis.

6. Quinta est statio Fundis oppido in via Appia, quæ temporis & personæ circumstantiâ declaratur: *quòd illuc ventum est, quum Aufidius Luscus Prætor magistratum gerebat, e scriba factus Prætor Fundanus, & insignibus talis magistratus prætextâ & lato clauo, publicisq; prunis decoratus, quorum quidem insignium nomine insolenter elatus Aufidius fuit ludibrio prætereuntibus Romanis, quibus notus erat.*

7. Sexta mansio fuit Formijs, vbi Muræna tecto comitatum excepit, & Capito cænam illi apparauit.

8. Postridie prandium sumtum est Sinuessæ, quæ fuit septima statio: vbi tres viri insignes occurrerunt legatis: quorum hîc fit descriptio διὰ τ ἐπιβολῆς τινος primùm ex efficientibus: *quòd ille dies illorum occursu longè gratissimus & iucundissimus illuxit Poetæ.* Deinde e duplici parium comparatione, & vna minorum: *quòd nihil sit ipsis candidius & integrius: nihil, cui magis sit Poeta obligatus:* aut ita clariori enunciatione: *Plotius, Varius & Virgilius mihi tam candidæ occurrunt animæ, quàm quod candidissimum, quibus etiam tam obligatus sum, quàm qui alteri est obligatissimus: nihil deniq;, quod sit cum iucundissimis amicis conferendum,* id est, *quòd hi tres viri & animi candore & integritate & magnitudine beneficiorum erga Horatium certare possint cum integerrimis quibusq; & liberalissimis viris. Nihil etiam, quod æquè se iuuet, atque amici illi,* qualis est minorum collatio apud Plutarch. de dignoscendo assentatore ab amico: αὐχηματιστερος πυρὸς καὶ ὕδατος ὁ φίλος· *amicus magis est necessarius quàm ignis & aqua.* Lælius in dialogo de amicitia, vbi varios ac multiplices amicitiæ fines proposuisset, eosdem collatione parium illustrauit, *amicitia plurimas res continet, quoquò te verteris præsto est: nullo loco excluditur, nunquã intempestiua, nunquam molesta est. Itaq; non aquâ, non igni, non aëre (vt aiunt) pluribus locis vtimur, quàm amicitia.* Ideoq; Latini voluerunt *amicum* dici quasi *animæquum* ab æqualitate animi, & amicitiam ἰσοψυχίαν ἢ ὁμοψυχίαν καὶ συμψυχίαν, quæ sic περιφραστικῶς primum a Sallustio exprimitur, *ea demum firma est amicitia, idem velle, ac nolle idem:* deinde a Cicerone lib. 5. epist. 2. ad fam. Metellum, *Mutuum dicitur in amicitia, quum par voluntas accipitur ac redditur:* Ideoque definitur a Platone, ἢ φιλία λέγεται ὁμόνοια ὑπὲρ καλῶν καὶ δικαίων μετ' εὐνοίας καὶ κοινωνίας τῶν εὖ ποιῆσαι καὶ παθεῖν, id est, *amicitia dicitur concordia super rebus honestis atq; iustis cum beneuolentia & societate benè merendi ac se mutuò afficiendi:* pro quo Cicero in Lælio definit sic, *est autem amicitia nihil aliud, nisi omnium diuinarum, humanarumq; rerum cum beneuolentia & charitate summa consensio: quâ quidem haud scio, an exceptâ sapientiâ quicquam melius homini sit a dijs immortalibus datum:* quæ definitio continenter illustratur dissimilium collatione, quâ Lælius censet diuitias, bonam valetudinem, potentiam, honores, voluptates amicitię posthabendas: quæ definitiones sunt periphrases, id est, circumloquutiones notatæ vocis *amicus* in Satyrâ, i. lib. 2. ad verba, *Maiorum amicus.*

9. Octaua est mansio in villula, quæ ex subiecto & adiunctis declaratur: *quòd vicina sit Campano ponti: quòd eius incolæ e suo munere publicè missis cænã apparârint: quòd muliones ab hac villula Capuam opportunè iverint onera illic positum & pernoctatum: quòd in villula Mæcenas ludo pilæ se oblectârit: ipse verò Horatius & Virgilius somno se intereà recreârint: quòd talu lusio lippitudine & stomachi eruditate laborantibus insalubris.*

10. Nona est statio in villa Cocceij Neruæ, quæ rerum abundantiâ & vicinitate cauponarum Claudianarum commendatur: vbi periucundum contigit inter Sarmentum vix liberum & Messium Cicerrhum Oscum, siue Campanum parasitum, duellum de conditione vtriusque: quem Poeta vtrumque e procreantibus descriptum sic inducit & committit inuicem sibi obloquentem: Sarmentus ὡς ἄρχων ἀπροβολίσεται, *tanquam incipiens velitari,* prior facit cõtumeliam Messio e collatione similium, *quòd indomiti equi similis sit:* quam idem auget, perspectâ Messij comminatione, minorum comparatione: *Si Meßius exsecto cornu iam mutilus in minis iactandis periculisq; intendendis tam animosum præ se ferat pectus, tamq; violentum; quid faceret integrâ fronte, pleneq; armata?* in posteriori membro collationis locus quæstionis est, in priori argumentum, cuius quantitate minore illa quæstionis ostenditur maior futura. Idem erit, si inuersis membris clariùs & breuiùs sic enunciemus ad exaggerandam Messij audaciam: *Quid faciat Meßius Cicerrhus συνέρως insigniter cornutus & armatus, quum νήνορος, exarmatus tantum audeat?* Subijciendum: *Sæuiores minas iactaret, geminо cornuum ictu peteret.* Simili contentione pastor ille Virgilianus Menalcas vtitur, in huiusmodi tamen facta verbis velitatione:

Quid domini facient; audent quum talia fures? id est seruí.

Simili quoque Cicero Philipp. 13. *Si victi Pompeiani tam insolentes sunt, victores quales futuri sint, vos potiùs experiemini.*

11. Illud κυνιγματῶδες cornu exsectum patefacit Poeta ex efficiente: *quòd luculentam plagam olim accepisset in parte faciei sinistra, vt fœda cicatrix aperiè declarat,* quam Græci vocant οὐλὴν & definiunt τὸ ἐπιπολαίως ἕλκος εἰς ὑγείαν ἦκον: *hulcus & vulnus in summa cute ad sanitatem perductum.* Illud tamen τὸ ὑγιὲς, & naturale carnis integumentum instar calli vultum deformatum reliquit.

12. Poeta repetit præter deformitatem vultus alios iocos Sarmenti in Messium, quibus admiscet patriæ vitia, *Campanorum impuritatem, incestum, arrogantiam.* Sed facetijs has petitiones potuisset Messius declinare, si, quod Anacharsis cuidam Attico patriæ suæ vitia objicienti respondit, reposuisset: ἐμοὶ μὲν ὄνειδος ἡ πατρὶς· σὺ δὲ τῇ πατρίδι. *Mihi quidem mea patria est dedecori & ignominiæ: tu verò tuæ patriæ.* Alij quidem ioci sunt e loco similium: *quòd Meßius Polyphemum gestu, motu & statu corporis imitaretur, nec illi opus esset larua & nouo vestitu ad huiusmodi personam decenter sustinendam.*

12. Vicissim Messius Cicerrhus iocatur in seruilem conditionem Sarmenti, fugam, strigosum corporis habitum & tenue victus quotidiani demensum ex effectorum & adiunctorum loco.

14. Locus est ex efficiente: *quòd illa deniq; faceta contentio fuerit condimento cænæ vniuersæq; sodalitati summæ voluptati, vel conuiuij voluptate condierit cænam.*

15. Deci-

15. Decima fit Beneuenti mansio, vbi tristis casus, qui non sperabatur, interuenit. Nam hospitium, vbi tota turba viatorum diuersabatur, ferè incensum est, quum prandium parabatur. Incendij caussa non exprimitur: sed illius vires ostenduntur.

16. Hoc quoque ad situm Beneuenti pertinet: *quòd inde mons Venusinus*, cuiâs erat Horatius, *prospicitur*: qui ex adiunctis declaratur, *quòd* καυσώδης, id est, *æstui valdè opportunus & ἀνάπνοος*, id est, *transitu difficilis fit.*

17. Statio vndecima est in suburbana villa Triuici oppidi: vbi & fumo & mendacio malè exceptus est Poeta. Huc accesserunt per noctem, quæ in Problem. Aristotel. scribit, διὸ καὶ ταχὺ καὶ αὖον ὀργασίας οὐ τοῖς ὕπνοις οἱ ἐξουσιαζόμενοι γίνονται. *Itaque citò & sine opere inter somnum genitura profluit.* Idem sectione ἰῶτα quærit, διὰ τί τὰ ζῶα, τὰ μὲν ὑπνεξουσιάζει τὰ δὲ ὀλιγάκις, *quare animalium alia non inter somnum effundunt semen, alia rarò*: ipse respondit, *id accidere e supina cubatione & specie rei visæ & cupitæ animo oblatæ, quæ duo hominis solius propria sunt.* Vnde perspicitur ingenium Poetæ, qui, dum nemini parcere studet, parùm famæ existimationique suæ consulere videtur.

18. Triuico celeriter rhedis vecti sunt Equotutium, vbi fuit duodecima mansio: cuius loci nomen, quia versum ingredi non potest, describitur e diuersis: *Etsi*, inquit, *aqua est Equotutij vanalis, quæ alibi nullo in pretio habetur: illic tamen optimus pinsitur panis: quo viator prouidus metu deterioris peram suam onerat.*

19 Statio est tredecima enunciata primùm comparatè: *Canusium tam inops est salubris aquæ, quàm Equotutium*: deinde illustratur e procreantibus: *quòd a forti Diomede conditum fit*, cui adiungitur tristitia e discessu Varij Poetæ.

20. Statio decima quarta fit Rubis oppido Campaniæ, quò grauissimo labore peruenerunt propter viam lutosam & imbrem vsque ad Barium Apuliæ oppidum, vbi decima quinta potest esse statio: inde venimus Gnatiam siue Egnatiam oppidum Salentinum, decimam sextam mansionem, quæ describitur ex adiuncta potabilis aquæ penuria, & eiusdem penuriæ caussa efficiente duplici, vel sapore salso & amaro, vel ignis miraculo, qui sponte in aris struem lignorum incendit sine ture & flamma: quod irridet e loco diuersorum: *Non equidem id credo: sed credendum credulo Iudæo relinquo.*

21. Citat contrariæ persuasionis auctorem suum Epicurum, qui Deos docuit perturbationum expertes esse, id est, nullâ tangi curâ rerum humanarum. Impius certè fuit talis doctor: impia quoq; eiusdem doctrina, iam diu sanctissimis grauissimisq; Christianæ religionis decretis improbata. Itaque a nobis repudianda & immotâ fide credendum, minima quæque huius Vniuersitatis Deo Opt. Max. patri Domini nostri Iesu Christi esse curæ.

22. Id est, desij facere iter, ac illud describere, postque Brundisium perueni: quæ est decima septima & postrema mansio.

Enarratio Grammatica.

E*Gressum magna.*] Ferunt Horatium in descriptione huius profectionis, vnà ab eo cum Virgilio & Varo susceptæ comitandi Mæcenatis gratiâ (vt verisimile est) imitatum fuisse Lucillium: qui libro tertio, ita describit iter suum Româ Capuam vsque, ac inde vsque ad fretum Siciliense. Grammatici autem quidam, vt Seruius 2. Aeneid. notant hîc interdum dici egredi Romam, vt Sallustius, *rarò egressus suos fines*, & Quintil. lib. 5. *Nondum scholam egressi*, cuiusmodi sunt illæ notæ Iohannis Pierij in verba lib. 1. Aeneid. *Patriaq; excedere suadet*: in antiquissimis aliquot exemplaribus, ait, *patriam* incusandi casu legere est: verba enim motum significantia, vbi præpositionem de loco sibi vindicauerint, sui quasi cuiusdam iuris facta, solent sibi adiungere accusatiuum, quum dicimus, ex domo eo, mox, exeo domum, quanquam & domo. Ita illud Comicum: *caue, ex isthoc excesseris loco*: non ineleganter dixeris, caue, hunc excedas locum: vsitatior est rectio præpositionis vel intellecta, vel per geminationem iterata, eaque Ciceroni maximè: cuius exempla passim apud eum reperias: sed illa syntaxis rarior est, atque tum iunctura videtur ab *extra* fieri: illa Terent. frequentior in Andr. *Egreditur ab ea.* Item 2. Catil. *Egredi Vrbe*, & 1. Comm. Cæs. *E castris vetat egredi*, &, *a proposito etiam egredi*: & tum quoque coniunctio fit ab ex.

Aricia.] Interuallum ab Vrbe ad Ariciam quidam sic constituunt, vt decem millia passuum pateat: sed Strabo lib. 5. scribit: μετὰ δὲ τὸ Ἀλβανὸν Ἀρίκια ἐστὶ πόλις ἐπὶ τῇ ὁδῷ τῇ Ἀππίᾳ. σταδίοι δ' εἰσὶν ἐκ τῆς Ῥώμης ρξ. *Post autem Albanum est vrbs Aricia in via Appia: distat autem ab vrbe Roma stadia centum sexaginta.* Quod si stadium constet ex centum viginti passibus, vt Plinio videtur placere libr. 2. cap. 23. dimensiones istæ valde inter se dispares erunt. Itaque Geometres veniat in rem præsentem, & cernens iudicet. De hac sic Lucanus libro 6.

Parua Mycenæa quantum sacrata Dianæ,
Distat ab excessu nemoralis Aricia Roma.

Sic Stephanus, vt Strabo, scribit per iota in antepenultima syllaba: reperiatur tamen Ἀρίκια.

Hospitio modico.] Dubium est, vtrùm angustia hospitij, an frugalitas Mæcenatis hîc noretur. Ita loquitur Cicer. ad Attic. *Te agresti hospitio accipiemus.* Hinc Grammatici distinguunt hæc verba: hospitio angusto excipimus, amplo accipimus.

Græcorum.] Post hoc quidam pro *longè* malunt legere, *linguæ*, non malè.

Forum Appi.] Per Apocopen alterius i, vt *cara peculi*, pro, forum Appij, quod situm memorant ad Pontinas paludes, ideoque a nautis illic nauigantibus frequentatum: hinc Feroniam itur per dictas paludes. De hoc nomine dicitur etiam forum Claudij pro ciuitate Centronum in Alpibus, nunc Tarentesa. Item forum Claudij pro vrbe Tuscorum.

Differtum.] Deflectitur a verbo eiusdem coniunctionis, atque refercio, a farcio, & syntaxeωs. Nam vt dicit Cicero, *Literas refertas omni officio, diligentiâ & suauitate*: Item, *refertam negotiatorum Galliam esse ac plenam Romanorum ciuium*: sic corpus odoribus differtum Tacitus: Item Catul. Epig. in Alinium.

Est enim lepôrum differtus puer ac facetiarum,

Id est, plenus omni ex parte, sicut *ds* videtur notare.

Cauponibus.] De hac voce dictum est in Grammaticis Odes 28. lib. 1. sic caupones notantur propter iniustam rerum mensuram & nimis angustam.

Hoc iter.] Videtur mihi ellipsis sic explenda: Nos ignati diuisimus hoc iter ab Vrbe ad forũ Appij, quod solet esse vnum, id est, vno die cõfici a viatoribus præcinctis altiùs, quàm nos sumus. Hic locus citatur a Seru. in Ver. Aen. *Hic Nomadum genus & disc.* Est autem diuidere iter, τὸ περιδιαιτᾶν τὴν ἀνάπαυλαν. i. profectionẽ intermittere ad interquiescendum.

Altiùs ac nos.] De particularum *ac*, & *atque* recta conuenientia lege Grammatica 12. Epodῶν. Minùs est grauis, id est, lentis viatoribus minùs est molesta pro-

pter frequentes quietes & anapausas diuersoriorum.

Appia.] Ellipsis est, via, quam Appius Claudius Cēsor strauit, vt scribit Liu. Decad. 1. l. 5.

Hic ego.] In foro Appij cogo stomachum inediam & famem pati, propter insalubres aquas, quod non dicit sine lepōre.

Propter aquam.] Hæc propositio caussam dicit hîc, sed in hoc Virg *templum de marmore ponam Propter aquā*, locum designat, vt in Adel. Act. 2. Scen. 1. *hic propter hūc* 10 *asiste*, id est, iuxta.

Iam nox.] Ita Virg. Eclo. 5. *inducite fontibus vmbras Pastores.*

Cælo.] Cælum stellis candidum fieri incipiebat.

Conuicia ingerere.] Dicitur sæpiùs in oratione soluta, ingerere dicta in aliquem & probra, pro maledicere & conuiciari. Conuicium quidam malunt e notatione Festi scribi per c, a vico deflectente, vbi priùs habitatum est conuicium: vel immutatione literæ, conuocium, vt sit dictum iocosum quasi e vicis triuijsque 20 ac e populari voce peritum, quod posterius Vlpianus probauit. Prioris autem ratione niti etiam videtur comœdia, a triuiali cantu dicta, Vnde sumpta est *αὐτὶ τῆς ὕβρεως ἢ διασυρμοῦ ἢ σκώμματος, ἢ λοιδορίας.* *Ingerere* autem conuicia Græce dicitur *ἐπιβολεῖν, λοιδορεῖν βλασφημεῖν* sicut inde orta *ἐπίβολος, λοίδορος, βλάσφημος, λέξεις ἱστοπιωαμένης κεῖνται*, ait Eustathius in *ῥαψῳδ. τ̄ Ὀδυσσ.* pag. 159. atque vis earum spectat ad aliquem maledictis ac ignominijs, tanquam telis & ferro, appetendum; sed est in Latino vis quædam cumulandi male- 30 dicta maledictis, quo modo videtur sumendum illud Charini Andr. 4. 1. 16. *ingeram mala multa* quasi tela, inquit Donatus: vbi mala sumuntur pro maledictis, in Plauti Pseudo. *ingere mala multa*, id est, in eum multa probra iactato, posteriorem vocis rationem videtur confirmare hæc phrasis Ciceronis e geminatis, *clamore, conuitiog, iactari*, Gallicè, *estre huic & outragè de parolles iniurieuse.* Idem præstare potest prouerbium, *septem conuiuium, nouem conuicium*: quo præscribitur numerus cōuiuarum, qui neque infra tres Gratias de- 40 scendat, neq; supra nouem Musas ascendat, imò verò ne ipsarum quidem gradum attingat: sed inter ternarium & septenarium consistat, alioqui conuiuium solet esse clamosum, tumultuosum, insuaue ac molestum, & quid amplius? hoc dicet Poeta 5. epist. lib. 1.

Sed nimis arcta premunt olidæ conuiuia capræ.

Huc appelle.] Propriè hîc sumitur *τὸ appellare*, vt monet Donatus in prologum Andr. quum ex pelago, aut freto, aut flumine quis ad littus & ripam accesserit, & ita verbum est nauticum, sed indè translatè, quum dicimur appellere ad aliquid animum pro adiungere, adijcere & applicare. Hîc ellipsis est *nauem*, quomodo loquitur Cicero 3. de natur. Deor. *qui quum ad Peloponnesum classem appulisset.* Etsi videtur Quintil. lib. 7. cap. 4. dixisse absolutè, *Pater eius a transmarina peregrinatione, quum ad littus idem appulisset, lecto nomine suspendisse se.* Ego tamen non dissimilem Ellipsin vocis *nauem* vel *classem*, hîc agnosco: quod Græci dicunt, *προσώπειλεν ἡ ναῦς τῷ αἰγιάλῳ, appulsa est nauis ad littus*, vbi verbū ponitur absolutè, item *προσορμίζεσθαι ταῖς ὄχθαις, applicari ripis.* Homerus tamen idem sæpius per verbum *ἐπιπέλλειν*,

Ἡ μὲν ἔπειτα ἠπείρῳ ἐπέπελσε. i.

Nauis postea ad terram appulsa est,

quo verbo ter vsus *Ὀδυσσ. ἰῶτα*, vt Eustathius annotat ad vers.

Ἀλλ' ἐπιπέλσαντ' &c.

τὸ δὲ πέλλειν πρωτότυπόν ἐστι καὶ ἐξ αὐτοῦ κατὰ πλεονασμὸν τὸ ὀπέλλειν· τρὶς γοῦν ἐνταῦθα χρᾶται τῇ λέξει διὰ τοῦ ο. id est, verbum *πέλλειν* est primigenium, atque ex ipso per additamentum literæ fit *ὀπέλλειν. hic certè ter vtitur verbo sine o. paruo.* apud eundem tamen *Ὀδυσσ. μ.* vers. 185.

Νῆα κατάγησον, ἵνα νωϊτέρων ὄπ' ἀκούσῃς. i.

Nauem appelle, vt nostram vocem audias.

Sic interpretor verbum Homericum, imitatus auctorem breuium scholiorum qui per verbum *καθόρμισον* idem exposuit, quamuis Eustathius velit positum pro simplici, *στῆσον.* i. *sistite, vt dicimus, gradum sistere atq, cursum.*

Trecentos inseris.] Alia est Ellipsis vocis *vectores παθητικῶς* accepta, pro, imponis naui plures vectores, quàm pacti sumus. Grammatici tradunt verbum *inserendi*, vt simplex, ac reliqua huius coniuncta, facere præterita per *eui* & supin. per *itum*, quoties de statione & insitione vsurpantur: sed quum de alia positione, per *tui*, & *ertum*: vnde hîc dicendum videretur, inserui in præt. & insertum in sup. Sed quid illi ad hoc, quod fuit Sat. 3. antecedente,

——————denique teipsum
Concute, numquam tibi vitiorum inseuerit olim
Natura.

Respondebunt? Credo equidem id factum vi modificati verbi, vt illud Virgilij Eclog. 1. *En queis consenimus agros* & *τροπικῶς* dictum, fortassis etiam hoc præsens.

Iam satis est.] Alia est Ellipsis, pro, iam satis est vectorum in naui, vel, iam satis multi homines ingressi sunt in nauem.

Abit hora.] Sic Terentius 2. 3. 40. loquitur in Eunucho: *Dum hæc dicit, abijt hora.* Ita Ouidius lib. 2. Met. veloces horas vocat, & Deas facit solis mistras Hesiodum imitatus, qui facit illas Iouis & Cronidis filias. Ita quoque Cicer. pro Muræna loquitur. *Abijt tempus illud, mutata ratio est*, pro præterijt & elapsum est.

Culices.] Nomine culicis videtur quilibet vermiculus alatus significari, de quo lege Plinium lib. 11 capite 22. & Aristot. lib. 5. de histor. Anim. vbi dicitur hoc insecti genus nasci ex acescente vino dormiturientibus valdè infestum, cùm punctione, tùm bombilatione. Vt autem Latinè est communis generis (nam Plautus in Casina. vocat, canam culicem, senem amatorem.) sic Græcè *κώνωψ, ωπος, ὁ*, tamen fæm. gen. reperitur in Epigr.

Ὀξυβόαι κώνωπες, ἀναιδέες, αἵματος ἀνδρῶν
Σιφῶνες

Acutè bombilant culices, impudentes, sanguinem hominum
Exsugentes, ac velut per tubum & canalem trahentes.

Ranæ palustres.] Hîc si Poeta tanto valuisset imperio, quanto Suetonius scribit Augustum in ipsius vita valuisse, iussisset fieri silentium: sic enim cap. 94. ibidem: *Quum primùm Augustus fari cœpisset, in auito suburbano ranas obstrepentes forte silere iussit, atque ex eo negantur ibi ranæ coaxare.* Plinius scribit lib. 4. cap. 12. in Seripho Insula maris Ægæi & vnâ Cycladum ranas prorsus omnino mutas esse: vnde *τροπικῶς* homines dicendi & canendi valde imperiti dicuntur *βάτραχοι ἐν Σεῖφῳ* i. *ranæ Seriphiæ*: quod prouerbium Michael Hospitalius Franciæ Cancellar. vsurpauit epistolâ lib. 1. ad Carol. Lothar. Card. sic incipiente. Quum tenuistra diu, *&c.*

Languenti quondam solui, viaq, labore
Alcidæ somnum ranæ impediere palustres;
Illum orasse Deos, vt vocem demere, mutas
Seriphias perhibent ex illo tempore ranas.
Me tu, quando volens, precarer si forte molestus
Esse tibi; verbo potes vno reddere mutum
Pisce magis.

Vide-

Videtur autem Epithetum *palustres* distinctionis gratia hîc adhibitum. Nam Ranarum aliæ sunt terrestres in veprib⁹ degentes, rubetæ dictæ Latinè, Græcè φρῦνοι: e quibus venenum paratur, vt Iuuenalis Satyr. 2. ostendit.

Occurrit Matrona potens, quæ molle Calenum
Porrectura viro miscet fitiente rubetam.

de quo Plinius lib. 8. cap. 31. Aliæ sunt quæ in fruticem ascendunt, & inde cantantes nomen inuenere calamitæ: sed hîc βάτραχοι sunt, quorum meminit Virg. 1. Georg. sub finem post Aratum, vt qui sint prænuncii pluviæ futuræ:

Et veterem in limo ranæ cecinere querelam.

quale Cic. prognosticum obseruauit l. 15. ad Atticum: *Equidem etiam pluuias metuo, si prognostica nostra vera sunt: ranæ enim ῥυτορεύουσιν.* de quibus etiam 3. Georg. *Ranisq; loquacibus explet.* Earum autem coaxationem sic Aristoph. in Ranis Comœdia describit aduersum βρεκεκεκὲξ κοὰξ κοὰξ. De ijsdem sic Aratus.

Ἢ μᾶλλον διεπλὰς γενεὰς, ὕδρῃσιν ὄνειαρ
Αὐτόθεν ἐξ ὕδατος πατέρες βοόωσι γυρίνων.
Aut magis misera progenies hydris esca
Indidem ex aqua patres coaxant ranularum.

Sunt autem γυρίνοι, ranulæ rotundæ & ranarum pulli, quibus nondum pedes sunt enati: sed de etymo vocis Latinæ *Rana*, nihil dum compertum habeo, nisi quod Isidorus tradit eas, a garrulitate dictas: vnde Aegyptias ranas Origenes interpretat garrulos Sophistas: tantùm in præsentia dicam de illo Græcæ βάτραχος, ab asperitate soni nominari, tanquam τραχύφωνον, *asperè sonantem* diceres, aut proprius etymo βοήτραχω, τοῦτ' ἐστὶ τὸ τλὺ βοὶὺ τραχεῖαν ἔχον.

Auertunt.] Pro hoc Virg. dicit, *abrumpere somnos*, & Iuuenalis Satyr. 3.

Stantis conuicia Mandræ
Eripiunt somnos vrso. Itē Cicero, *adimere* & ipse Poeta Ode 25. l. 1. *nec tibi somnos adimunt.*

Fessus viator.] Exple de via, vt loquitur Cicero more Græcorum, qui dicunt, κεκοπιακὼς ἐν τῆς ὁδοιπορίας, quod etiam Plautus conuertit, *lassus de via.*

Cantat certatim.] Gall. *ils s'efforcent, a qui chanterale plus haut.* Sic Virgilius de auibus in stagnis certatim sese lauantibus.

Certatim largos humeris infundere rores.

Proluitus.] *Proluere.* Grammaticis est multùm diuque lauare, quòd facilè perspicitur ex eluuie Eridani in fin. 1. Georg.

Proluit in sano contorquens vortice syluas
Flauiorum rex Eridanus.

Et l. 1. Aen. v. 743. *Pleno se proluit auro,* id est, repleuit & consperſit se vino ex aurea patera. Hic igitur *prolutus* valet madidus & repletus vino evanido, Gallicè, *qui a beu diu vin euentè & gastè.* De *vappa* lege Gramm. Satyr. 1. Placet hic quibusdam agitatorem mulæ significari nomine viatoris, vt funes per retinacula, quibus mula trahebat lintrem & hic ad littus religabatur mulâ solutâ, qui Græcè possunt dici σύρται ἢ ρυτῆρες, τὰ πείσματα ἢ ἕκματα.

Lintrem] Linter est σκάφη, τοῦτ' ἐστὶ τὸ εἶδος τῆς πλοίου ἐφελκομένου ἢ διὰ τῶν ἐρέτων ἐλαυνομένου, *scapha est genus navigij, quod trahitur vel remigib⁹ impellitur.* fortassis a lingendo & legendo littore dicta.

Cerebrosus.] Quem Græci dicunt ὀξύθυμον, ὀξυκάρδιον, ὀξύχολον, ἀπρόχολον, *animi præcipitem, & ad irascendum facilem,* qui non regit iram, nec continet: Gall. *qui se met aisement hors de ceruelle.*

Quarta.] Si hoc contigit Aequinoctio, potuit hora decima solis esse ab exortu.

Exponimur.] Hæc est natiua huius verbi significatio, quasi extra lintrem in terra ponimur. Cæsar sic loquitur sub finem libro quarto de bello Gallico, *quibus ex nauibus quum essent expositi militet circiter* CCC. Sic quoque Græci: Synesius τὰ πεμφθέντα μὲν εἰς Ἀλεξανδρείαν δὲ ἐκτεθέντα διὰ τὸν δυσχείματον ἀποπλοῦν, *quæ missa fuerāt in Alexandriam, exposita sunt propter periculosam nauigandi difficultatem.* Sic etiam Liuius, *exercitum in Africam exponere.* Aliæ autem Latinè & Græcè significandi formulæ siue abijciendi ac fortunæ committēdi, siue explicandi sunt paullùm ab illo priori immutatæ, qualis est illa Terent. Act. 4. Sc. 1. Heaut. *Annulus qui cum exposita est gnata.* Exponere, ait Donat. ibi, est morti obijcere & tradere. Ita Liuius de Remo & Romulo, *Regis imperio in proxima illuuie pueros exponunt.*

Lauimus.] Hic locus citatur ab interprete Virgilij in 2. Aen. v. 717. quum nihil tractetur hic sacri a contaminato cæde: sed mūdities tantum, aut refrigeratio viatorum ostenditur.

Feronia.] Situs Feroniæ sub Soracte monte non est procul ab vrbe Tarracina, de qua & de templo Feroniæ lege Plin. l. 2. c. 55. Est quoque eiusdem nominis Dea, de qua Virg. l. 7. Aeneid.

Et viridi gaudens Feronia luco.

Dionys. autem Hal. l. 3. τῶν Φερώνειαν ex aliorum sententia triplici affecit nomine, Antophoron, Philostephanon, Persephonem, florigeram: vnde Latini Deam a ferendis arboribus dictam volunt, gaudentem coronis, & Proserpinam: credebatur etiam libertorum Dea, qui in ipsius templo pileum accipiebant capite raso. Vnde Plautus in Amphytr.

Quod vtinam ille faxit Iupiter, vt raso capite portem pileum.

Est denique eiusdem nominis fons.

Anxur.] Ex Festo Anxur est vrbs Volscorum nunc Tarracina dicta, & de hoc nomine Iupiter Anxurus dictus fuit, quòd in illo tractu Campaniæ cultus fuerit, quasi ἄνευ ξυροῦ, sine nouacula & nondum barbâ rasâ, Liu. l. 4. sic describit, *Anxur fuit, quæ nunc Tarracina sunt vrbs prona in paludes.* Item Plin. l. 3. c. 5. *a Circeis palus Pontina est, dein flumen Vfens, supra quod Tarracina oppidum linguâ Volscorum Anxur dictum:* Tacit. l. 20. municipium vocat. Eius autem Tarracinæ situm perspicuè demonstrant verba Poetæ *repsimus & impositum saxis,* quia his temporibus adhuc Tarracinensis vrbs in altissimo monte erat: indè postea in æquiorem locum deposita est: vt non solùm sint adhuc vestigia ædificiorum in monte, sed & murorum.

Cocceius.] Ferunt hunc Cocceium Neruam Iurisc. fuisse auum Neruæ Imperatoris.

Magnis de reb.] 1. de lite & discordia Cæs. Augusti & M. Antonii componenda, quę tandem in ciuile bellū euasit. Hoc Græcè dicitur ἐπὶ μεγάλαις αἰτίαις ἀποπεμφθέντες. Præpositio *de.* valet hîc, *propter* res magnas, vt Cic. Epist. 9. l. 6. ad Fam. *eadem de caussa nostrum vterq; cecidit,* & 7. ad Att. *de Numertano multùm te amo* id est, eandem ob caussam, & apud Terent. in Eun. *Ecquid me amas de fidicina isthac,* id est propter fidicinam, ait *Donatus &c.* Huc accedat notatu dignum, τὸ *legare* propriè dici de magnis rebus publicisque negotiis, vt ipsius coniunctum *allegare* de paruis ac priuatis. Plaut. *si allegassem aliquem ad hoc negotium.* Terent. in And. Act. 5. Sc. 3. *ne credas à me allegatum hunc senem,* id est Donato, adhibitū ad nuptias impendendas, item Cic. p. Rosc. *homines nobiles allegat, ne ad Syllam adirent,* pro quo idem in 4. Verr. *summittebat iste Timarchidem.*

Capitoq;.] Hic a Dion l. 56. dicitur C. Capito Fonteius fuisse Consul. cum Germanico Vrb. cond. 765.

Auersis] 1. Conciliare animos Augusti & Autonij abalienatos: quod minimè præstiterunt. Eamque ob rem Augustus tandem abrupit societatem, vt Sueton. scribit in Oct. c. 16.

Hic ego.] Est infinitum pro finito, illinebam & vngebam, aut cœpi illinere: propriè dictum puto, τροπικῶς autem Satyr. 4. superiori:

Et quodcunq; semel illeverit chartis,

sicut est ibi annotatum. De lippitudine & collyriis dictum fuit Satyr. 3. Addam Ciceronem sæpè hoc morbo laborasse vt apparet e multis Epist. ad Attic. l. 7. 8. 10. & ad Q. Frat. 2. Epist. 2.

Ad vnguem.] Hoc Plutar. Græcè pronunciat lib. de Bon. valet. ἡ μὲν οὖν ἀκριβὴς σφόδρα καὶ διόνυχος λεγομένη δίαιτα, *exacta igitur viuendi ratio, quæ dicitur ad vnguem examinata*: quod idem hic Auctor Epist. ad Pis. effert, *Carmen reprehendite, quod præfectum decies non castigauit ad vnguem.* Sensus igitur hic est. Fonteius Capito fuit omnibus numeris perfectus & absolutus.

Fundos.] E Strab. l. 3. discimus Fundos fuisse vrbem in via Appia sitam.

Aufidio.] Hic Aufidius Luscus prætor fuit Fundanus. Fuit alter Cni Aufidius Cæcus Romæ prætor de quo posteriori vide 5. Tusc. & 5. de Fin. Gens autem Aufidia fuit Fundana, ex qua credita est auia Tiberij Cæsaris, id est, mater Liuiæ Fundana, & filia Aufidi Lingonis, cui erat alterum cognomen Lurco: additur Luscus ridiculè: ex veritate tamen vitij Suet in Tib. c. 5. & in Calig. c. 23.

Prætextam.] Fuit Prætexta initiò habitus honoris & insigne magistratus Ethrusci: deinde vestis puerilis, quâ pueri induebantur vsque ad annum 17. quo sumebant togam virilem: atque tàm viri quàm mulieres nobiles eâ vtebantur: vt constat e 3. in Verr. *Eripies igitur pupillæ prætextam togam*; vbi Cicero tribuit prætextam pupillæ, quam viro iuncta connubio deponebat. Fuit etiam prætexta magistratus insigne ornamentum: vnde Cicero pro domo sua dicit, *videre prætextatos inimicos*, id est, magistratu fungentes, & honoribus ornatos: Græcè dicitur περιπόρφυρος ἐσθής, vel vno verbo πορφυρὶς, ἱδλος, *latus clauus*, vel *tunica lati claui*, vt loquitur Suetonius, πλατύσημος, quæ a Fabio. Quint tunica palmata ob latitudinem clauorum etiam dicitur, & ἐμπόρφυρος ἐσθὴς καὶ ἔφηλος, *vestis impurpurata & inclauata*: a purpurea toga, vel vt posteà dicta est a Festo picta toga differre perspicitur e 36. lib. Diodori Siculi de bello seruili, τιβέρνανδε περιπόρφυρον περιεβάλλετο, καὶ πλατύσημον ἐνεδυκιτῶνα, *togam purpuream circumindebat tunicæ lati claui*, vel *lato clauo*. Huc quoque spectat, quod Suetonius scribit in Augusto cap. 73. *Veste non temerè aliâ, quàm domestica vsus est ab vxore & sorore, & filia, neptibusq; confecta, togis neque restrictis, neque fusis: clauo nec lato, nec angusto.* Tunica autem tota lati claui distinguebatur latè nodis purpureis, qui similes erant capitibus clauorum. Plinius autem lib. 9. cap. 39. de tempore, quo primùm purpura fuit in vsu, sic memorat: *purpuræ vsum Romæ fuisse semper video, sed Romulo in trabea. Nam togâ prætextâ, & latiore clauo Tullium Hostilium e regibus primum vsum Ethruscis deuictis satis constat*, quæ verba Gallicus interpres fideliter sic reddidit: *Ie trouue, que de tout temps la pourpre a esté usitee a Rome, toutesfois Romulus n'en usoit sinon en son manteau Royal: car Tullius Hostilius fut le premier Roy Romain, qui porta longue robbe, auecla chumarre brochee d'escarlate a forme de tesies de cloux. Et cela fut apres la victoire qu'il obtint contre les Thoscans, ainsi qu'on peut voir par les annales.* Latus autem clauus erat, quo maiores magistratus Romæ, Consules, Senatores, Prætores, Aediles maiores vtebantur pro insigni muneris sui. De prætexta & picta toga, & vtriusque origine, & quibus daretur, vide plura lib. 1. ca. 5. Saturn. Macro ex oratione quoque Cic. pro Archia perspicitur, prætextam tribui solitam non solùm pueris puellisq; atque magistratibus patriciis, sed etiam virtute aliquâ præditis *prætextatum esse*, ait; *non solùm ingenij ac literarum, verùm etiam naturæ, atque virtutis fuit.* Huc accedat, esse; qui quinque hominum generibus colligant ex antedictis prætextam tribui solitam: pueris ad annum 17. omnibus vel Vrbanis, vel Coloniariis & Municipalibus Magistratibus, magistris ludorum compitalitiorum, Senatoribus dies festos Deorum celebrantibus, Sacerdotibus & Auguribus, prætereà triumphantibus e lib. 7. cap. 1. sed distinctam aliquo genere coloris.

Scriba.] Scribarum curia fuit Romæ ex infimo hominum genere: quem ordinem latè fusum Romæ, non tamen vilem liberti certo pretio emere solebant, vt cognosci potest e 3. lib. in Verrem. Scribas tradit Festus ex eo dici, quòd rationes publicas in tabulis scriberent, & magistratibus, ne dum Quæstoribus, apparerent, qui propter multitudinem tributi sunt in decurias, & ordinem equestri proximum sortiti, de quibus vide Cic. 5. Verr. vnde hic Aufidius Luscus præmii loco promotus fuerat ad Præturam Fundanam. Itaque hic ipse, vt Prætor municipialis poterat prunas sumere e publicis balneis, vel iubere ignē præferri sibi, qui præter alia pro more magistratib⁹ & imperatoribus debebatur, eaque præbenda dicebantur Græcè πορεύσεα. Longè clariori loco Græci & Ethrusci munus scribæ habuerunt, vt perspicitur e lib. 2. 1. De cadis apud Liuium, qui dum memorat facinus magnum & memorabile C. Mutij nobilis adolescentis: *Hic*, inquit, *abdito intra vestem ferro proficiscitur: vbi eò venit in confertissima turba prope regium tribunal constitit. Ibi quum stipendium fortè militibus daretur: & scriba cum rege sedens pari ferè ornatu multa ageret, ne ignorando regem semetipse aperiret, quis esset, quò temerè traxit fortuna facinus, scribam pro rege obtruncat.* Græci autem honorificè appellant scribam ciuitatis vel cōsilii, vt lib. 7. Thucyd. ὁ δὲ γραμματεὺς τῆς πόλεως παρελθὼν ἀνέγνω τοῖς Ἀθηναίοις, *Scriba ciuitatis quum aduenisset, recitauit Athenienfibus.* Sic Demosthenes pro corona, γραμματεὺς τῆς βουλῆς, *Scriba consilij.* Sed longè alia fuit ratio & munus aliud apud Iudæos, γραμματεῖς καὶ ἦσαν παρ' αὐτοῖς νομοδιδάσκαλοι ἑρμηνευταὶ καὶ μεταφραστὰι τοῦ ἱεροῦ νόμου καὶ νομοφύλακες, *Scribæ enim apud ipsos doctores & interpretes sacræ Legis & custodes erant*, perinde atque nostri Scribæ sunt custodes publicarum tabularum. Aemilius quoque Probus in vita Eumenis ait, scribæ munus multo esse apud Græcos honorificentius quam apud Romanos: *nam apud nos*, inquit, *reuera sicut sunt mercenarij scribæ existimantur, at apud illos contra. Nemo ad id officium admittitur, nisi honesto loco natus, & fide & industria cognita, quod necesse est eum omnium consiliorum esse participem.*

Batillum.] Grammatici deflectunt hanc vocem ἰωνικῶς a batulum, quod rursus vnius literæ mutatione volunt dictum quasi patulum, id est, Pala ferrea, Græcè πυρολαβὶς, *Paelle a brasier.* Alij deflectunt παρὰ τὸ πατάνιον, & definiunt ἐπιπέταλόν τι λοπάδιον, quod etiam πατέλλιον nominatur, & per β βατταύιον. Inuenitur scriptum & βατέλλιον, *ampla patella.* Illa diminuta voce Plin. l. 33. c. 8. vsus est, vbi de bonitate argenti exploranda præcipit, *Batillis ferreis candentibus ramento impositio, quod candidum permaneat, probatur. Mettant de la raclure ou limaille d'argēt sur une paelle ou placq; de fer chaud, s'il demeure blanc, il est bon & fin.*

Prunaq;

Prunaque &c.] Seruius in lib. 2. Aeneid. sic definit prunam, vt, quamdiu ardet, a perurẽdo dicatur, quum autem exstincta fuerit, carbo nominetur. Idem dicit lib. 11. ad vers.

Cultores multâ premimus vestigia prunâ.

Culinam, &c.] Nonius e Varrone vult culinam ab eo dici, quòd ibi colebant ignem, & sacrabant.

Mamurrarum.] Familia Mamurrarum Romæ fuit, quæ originem duxerat ab hac vrbe Formiis, ex qua fuit Mamurra eques Romanus, & præfectus Fabrorum C. Cæsaris in Gallia, vt Plinius refert lib. 36. cap. 6. cuius loci hæc est Gallica interpretatio, *Touchant nos Romains, Cornelius Nepos dit, que Mamurra de Formia, ville du roiaume de Naples, homme d'armes Romain, colonnel iadis des pionniers & ingeniaires qui sut voient le camp de Cæsar en France.*

Sinuessa.] Hoc oppidum e lib. Strab. 1. situm est in Sentino sinu Campaniæ, vnde nomẽ inuenit, cui balneæ calidæ sunt proximæ. Sinope olim dicebatur.

Iucundo &c.] De vi huius vocis dictum fuit Epodis primis: *nil ego cõtulerim, &c.* Mich. Hospitalius Frãciæ Cancellarius imitatus est hoc argumentum & hanc Phrasin epistol. 1. lib. 1. epist. ad Musas Romanas de Bellaio Cardinali iu Galliam reuocando.

At Tiberim (quamuis Aegyptia pondera iactet)
Non ego contulerim Sequana &c.

Campano ponti.] Hic pons distabat a Capua decimum tertium lapidem: quæ vox si a pendendo, vt quidam putant, deflectitur, non longè recedit ab etymo vocis Græcæ γέφυρα, quasi ἡ ἐφ' ὕδατος γῆ πεπυσμένη, *sit terra super aquam sita*: alii dicunt παρὰ τὴν γεῦ φυρᾶσθαι, *a subacta terra*: a quo quidem etymo non multùm abludit ratio suoticii pontis, nisi genere solùm materiæ. Fit enim e trabibus sublicis, vel potiùs auctore Ios. Scaligero, subliquis: sub quibus decurrunt aquæ fluminis liquentes,

Et parochi.] Hæc vox πάροχος, (de qua in Grammaticis Sat. 4. παρὰ τὸ παρέχειν, τουτ' ἔστι, πορίζειν, a præbendo & suppeditando dicta) significat eum, qui lege Iuliâ magistratib⁹ Reip. caussâ peregrè proficiscentibus omnia necessaria suppeditabat: quæ vno nomine vocabantur παροχὴ: quod Agellius vertit præbenda lib. 15. cap. 4. quorum redemtio sordida videbatur, vt ostendit citatus locus de Ventidio Basso. Ab his præbendis vt Cicero abstinuerit in prouinciam proficiscens, lege epistolas 10. & 21. lib. 5. ad Atticum. Quando autem πάροχος deflectitur ἀπὸ τοῦ παροχεῖσθαι, quod est veni assidentem lateri alterius, valet tum τὸν παράνυμφον, ἢ νυμφαγωγὸν, coniugum conciliatorem & auspicem, qui vel genere, vel amicitiâ illis coniunctus erat, cui plurimum deferebatur in Græcia, vbi, vt scribit Pausanias, in nuptiali curru tres tantùm sedebant sponsa quidem media, & a lateribus ipsius sponsus & Parochus. Hoc quidem ab hoc loco est alienum, sed accipe appositum distinguendæ vocis ambiguæ gratiâ.

Hinc muli Capuæ.] Videtur hîc vel Ellipsis esse participij, profecti, vt sit sensus: Muli ab hac villula profecti tempestiuè deponũt onera sua Capuæ, vel verbum *ponunt* habere vim mot⁹ de loco. Præterea, *tempore* sumendum est ἐπιῤῥηματικῶς, vt solet, *tempori*, quomodo Plut. in Asinar. sumit & geminat cũ *opportunè*, vt *tempore opportuneq; attulisti.*

Capuæ.] Cic. Phil. 12. Capuam vocat alteram Romam, & mirum in modum laudat in oratione contra Rullum, vt in Gram. 16. Epodõn annotauimus, quam dicit Capyn Assaraci filium & Anchisæ patrem condidisse Aen. 10. ad hunc versum.

Et Capys, hinc nomen Campanæ ducitur vrbi.

Vbi tamen Seru. scribit Liuium a campestribus locis eam denominasse & Tuscos construxisse: *idem Historicus eandem sic notat, inde Capuam,* (Annibal.) *flexit iter, luxuriantẽ longa felicitate, atq; indulgẽtia fortunæ*: quòd *Capys* linguâ Tuscul. significat falconem (fortassè a capiendo, vt omne genus accipitrum dici videtur) cuius augurio viso Campania est nominata. De qua vide Plin. l. 5. Pro, muli ponunt clitellas, Græci dicunt, ἀποσάτ̓ουται ἡμίονοι, *Muli exonerantur.* Ex hoc loco cognosce, lector, errorem Grammaticorum, qui primam syllabam in *Clitellas* corripuerint, quam hîc, vt in epist. 13. lib. 1. cernis produci; sed pro, *eo cormitum ego,* Cicero dicit epist. 26. l. 9. ad Papir Pætum, priusquam *me conferam dormitum.*

Nam pilâ.] Hieronymus Mercurial. lib. 5. cap. 2. Gymnasticæ hunc locum explicat de pila trigonali, id est, parua, cuius missione ac remissione valdè oculi in omnem partem frequenter ac celeriter dimouentur præter alia corporis membra: ideoque Poeta suæ lippitudini optimè consuluit, nec minus prudenter Virgil. debilitati stomachi sui & cruditati, quum vterque ab illo ludo se subduxit, ac quieti dedit his affectibus saluberrimæ. Ludus autem pilæ, quòd omnes corporis partes æqualiter exerceat, vsitatissimus fuit antiquis Principibus, quod ex vltima Ep. Platonis constat ad Dionysium iuniorem Siciliæ Tyrannum, vbi iubet collusores pilæ cum Tyranno saluere, καὶ τοὺς συσφαιριστὰς ἀσπάζομαι ὑπὲρ ἐμοῦ, *dic tuis collusoribus pilæ meis verbis salutem*: sed eò cuiuis accedendum est, vt salubris exercitatio sit corpore bene purgato & intemperantiæ cautione, sicut in cæteris rebus, de quo lege Galenum lib. de sanitate tuenda. Pilæ, sicut alearum, & tesserarum inuentum Græci tribuunt genti Lydorum: sed de pila lege Herodotum lib. 1.

Lippus.] Quid lippus sit, & quo modo Græcè dicatur, vide Gramm. Sat. 3. Crudi dicuntur Græcè δυσπεπτοῦντες καὶ ἀπεπῆοι, quæ vox hîc sumi videtur συνεφυτικῶς, pro his, qui cibos non conficiunt quomodo sumitur epist. 6. lib. 1. *crudi tumidique lauemur.* Illud autem Iuuenalis Satyrâ. 1. *pauonem portas crudum* παβυτικῶς, cibo minimè cocto, nec in chylum laudabilem converso. Ferunt hos Poetas, Virgilium & Horatium fuisse Cæsari Augusto adeò familiares, vt inter eos aliquando inuentus sit sedens a Mæcenate, cui, quid agerent, interroganti, respondit Augustus subridens, sedeo hîc, inquit, vt vides, inter lacrymas & suspiria, notans lippitudinem Horatii, & cruditatem Virgiliani stomachi, quę cogebat eum identidem suspirare: Sic eum habuisse corpus constitutum scribit Donatus in ipsius vita, *corpore* ait, *& staturâ fuit grandi, aquilino colore, facie rusticanâ, valetudine variâ. Nam plerumque ab stomacho & faucibus ac dolore capitis laborabat, sanguinem etiam sæpius eiecit, cibi vinique minimi.* Ex eo tamen, quod Seneca scribit epistola 55. se dubitare, quo nomine Græco appellet morbum, e quo laborabat, & ἀδθμὰ putabatur. 1. spirandi difficultas, cognoscitur facile idem Latine & apte dici posse suspirium, quomodo diximus paulò antè Augustum nominasse. Itaque Virgilius putaretur potius laborasse pulmonibus, quàm stomacho, aut sententiâ Donati vtroque simul morbo: de quo iam præmonitum fuit ode 15. lib. 1. ad verba sublimi anhelitu. Sed de cruditate vide Grammatica 8. Epodõn.

Claudi.] Pro, Claudij cauponas per Apocopen:

collocat villam Cocceij Neruæ sic supra, tabernas Cocceij oppidi, vt his illud immineat.

Osci.] Plinius lib. 3. cap. 5. collocat Oscos in Campania, sicut Tarracinos, vltra Circeios montes: atque quamuis gens Oscorum Campanorum fuerit totius Italiæ libidinosissima, & flagitiosissima, vt *obscœnum* inde deflecti posset: verior tamen mihi videtur notatio Varronis illud a scena deriuantis: in qua turpissima quæque proponi & reprehendi soleant, vt dictum est in Grammatic. Sat. 1.

Domina exstat.] Adhuc Sarmenti domina superstes est, vnde significat Sarmentum non ita pridem manumissum fuisse & libertum factum. Operæpretium hîc fuerit adolescentes cognoscere consilium Agell. l. 6. c. 11. ex oratione. Q. Metelli Numidici, maledictis non esse cum aliis certandum: sic enim ille: *cum inquinatissimis hominibus non esse conuicio decertandum, neque in maledictis aduersus impudentes & improbos velitandum: quia tantisper similis & compar eorum fias, dum paria & consimilia dicas atque audias.*

Quo patre natus, &c.] Hæc præpositionis ellipsis est ferè perpetua Poetis, vt prænotatum fuit in Oden. 1. lib. 1. & in 5. l. 4. quamuis mox eam expressurus sit, *ab his maioribus orti.*

Et ipse.] Messius respondet se vulnus accipere a Sarmento.

Turparit.] Iam hoc verbo vsus est Od. 13. l. 4. *Te quia rugæ turpant & capitis niues.* vnde repetes quid hoc verbum differat a dedecorare, pro vtroque videtur Agell. lib. 12. cap. 1. *vsurpasse deuenustare, tanquam pulcritudinis sibi insignia deuenustet.*

At illi.] Verba sunt Poetæ iocos Sarmenti explicantis.

Campanum in morbum.] Hic videntur Campani notari lue Neapolitanâ, non admodum dissimili Elephantiasi, quali dixit Od. 37. l. 1. Eunuchos Cleopatræ contaminatos: sed multò turpioris exempli est in epigramma 70. Ausonij subscriptum picturæ Crispæ mulieris impudicæ, quæ apud Nolanos Campaniæ populos dicitur omnes Veneres in vno corpore exercuisse, & moli solita per vtramque cauernam. Ita Lamprid. narrat Heliogabalum exceptare solitum libidinem per omnia corporis caua: sed de Campanis iam plura, quàm integritas morum requirit. Alij tamen maluntad mentis impuritatem & arrogantiam referre.

Saltare Cyclopa.] Id est, more Cyclopum. Simili syntaxi Suetonius dicit in Nerone cap. 14. *sub exitium quidem vitæ palàm vouerat, si sibi incolumis status permansisset, proditurum se partâ victoriâ, ludis etiam hydraulam & choraulam & vtriculatium, ac nouissimo die histrionem saltaturum*, hoc est, gestu, motu & sermone imitaturum: vnde Cyclopea dicuntur Scenici ludi, vbi Polyphemus inducebatur saltans præposterè, inconditè & monstrosè, id est, vno verbo, extra numerum & decorum, quod Hesychius dicit ῥιχνῦσθαι, τοῦτ' ἐστι, κινεῖσθαι ἀσχήμως, *turpiter & impudenter moueri*: quod Virg. enunciat Georg. 1. v. 350. dare motus incompositos, tametsi Virg. 4. Georg. facit Cyclopas cudere fulmina Iouis numerosè & modulatè:

Illi inter sese magnâ vi brachia tollunt
In numerum.

De hac voce & illius ratione vide Gramm. Od. 4. lib. 1.

Donasset iam.] De huiusmodi donarijs post liberationem vel periculi, vel alicuius laboris lege Grammatica in 5. Od. l. 1. & quæ dicentur in Epist. l. 1. De seruis stigmatiis & catenatis sic Martial.

Has cum gemina compede dedicat catenas
Saturne tibi Zoilus annulos priores.

Scriba quòd esset.] Hæc ideò dicuntur, quod serui manumissi, id est, liberti, qui, vt modo dictum fuit munus scribæ pretio emebant, non omnino erãt immunes ab omni opera patronis suis debita, neq; conditione seruili plenè soluti.

Vna farris.] Ex Dionysio Halicarn. discimus far fuisse apud veteres notionem communem omniũ frugũ, & ex eo dici, quòd illud terra ferat vel faciat: hinc farina. Farris autem libra quantum frumenti contineat, vix exactè sciri potest. Quidam putant illud demensum, quod Domini singulis Calendis mensium suis seruis in singulos menses appendebant, & admetiebantur: inde nominari Græcè & Latinè σιτόμετρον, quasi mensuram frumenti. Quod si ita est, victus menstruus dici debet, non diurnus: atque quum audimus veteribus in more positum fuisse, vt vnoquoque mense singulis seruis modios frumenti quaternos appenderent, & vnum modium continere chœnicas octonas, quæ quater adhibitæ 32. chœnicas efficiunt, vna chœnix singulis diebus cederet, & ad finem mensis duæ superessent, quibus Terentianus Geta Actus. 1. Scen. 1. Phorm. dicitur miserè parsisse, suum defraudans genium. Χοῖνιξ autem est mensura duorum sextariorum, vel quattuor cotylarum. Vt autem huius libræ farris magis ostendatur quantitas, profertur consuetudo veterum Romanorum, quæ in victum diurnum cuique non plus se librâ tribuebat: quantum lex 12. Tabul. & decemuiralis debitoribus vinctis assignabat, vt licet perspicere e cap. 1. lib. 20. apud Agell. *Si volet, scilicet debitor vinctus, suo viuito: ni suo viuit, qui eum vinctum habebit, libram farris semis*, id est, dimidium libræ *indies dato.*

Produximus cœnam.] Sic Orator loquitur in Catone maiore, *conuiuium ad multam noctem, quàm maximè possumus, vario sermone producimus.* Et ipsemet Poeta ad Pison. dicit per simplex, *cœnam ducere.* Hoc non propriè interpretaremur per verbum *protrusimus*, quo vtitur Cicero Epist. 26. lib. 10. *Comitia, quantum reip. arbitramur conducere, in Ianuarium mensem protrudimus*, quia prorogatio comitiorum habet nescio quid necessarium & laboriosum: contrà, cœnæ quid hilare ac iucundum.

Prorsus iucundè.] Hoc dicitur Græcè σὺν κεφαλαίῳ εἰπεῖν, ἁπλῶς ἐκεῖνο τὸ δεῖπνον παρετείναμεν: ita Ia. Douza videtur mihi rectè coniectasse distinguendum post *prorsus*, & explicandum per notam cuiusdam complexionis, *ad extremum, in summa, vt paucis complectar.*

Tendimus hinc.] Sic Cicero ad Att. lib. 16. *dubito. an Venusiam tendam, ibique te expectem*, id est, pergam. Sed 1. Aeneid. *Tendimus in Latium.* Plin. lib. 3. cap. 11. Beneuentum facit oppidum Samnitum in Italia, quod Strabo sic Græcum facit, Βενεούεντον, & Stephanus Βενέβεντος, nomen a bono omine impositum, quum anteà Maleuentũ a malo diceretur, & a Diomede conditum. Ratio autem, cur huius votis penultima δίχως pronuncietur, modò per υ dipthongum, modò per βῦτα petatur ex Apologetico Huralthospitaliorum pro veteri ac germana linguæ Græcæ pronunciatione.

Dum versat.] Puto hoc significare, dum torret & assat, Græcè ὀπτῶ. *Pendant qu'il fait rostir les griues estãt fort officieux, maus non assez auise.*

Turdos.] Notatur hospes hac macrorum turdorum appositione officiosus quidem, sed minimè cautus. Huius autem auis tria ponuntur genera Aristot. lib. 9. De natur. animal. tum à Plin. l. 10. c. 29. & 53. de præstantia sapo-

tiâ ſaporis, qui percipitur ex ipſius eſu: quorum generum primum ab Ariſtotele dicitur ἐξοβόρον, & ab Athenæo ἐξοφάγον. 1. quod viſco ſoleat veſci, vnde prouerbium natum eſt, *Turdus ipſe ſibi malum cacat*: quia viſco ſolent aues capi: quod Plinius locis citatis ſcribit non prouenire, niſi maturatum in ſtomacho ac redditum per aluum auſum, maximè palumbium & turdorum Seruius in verſus ſextæ Aeneidos deſcribẽtes par columbarum huius rei meminit,

Quale ſolet ſyluis brumali frigore viſcum
Fronde virere nouâ, quod non ſua ſeminat arbos.

Bene, ait hic interpres, *addidit poeta, brumali. Tunc enim maturum eſt, & auri imitatur colorem*: Idem ex Plinio etiam profert illud viſcum *de ſimo Turdelarum naſci in certis arboribus.* Vnde Plautus, *ipſa ſibi auis mortem creat*: vbi cenſeo legendum *cacat*, vt Græcum præſefert, κίχλαι χέζει αὐτῇ κακόν, in eos vſurpari ſolitum, qui ſibi per imprudentiam ſunt exitio: dicentur autem plura de Turdo, ſi Deus voluerit, in epiſt. 15. lib. 1. notandum hic, quod veteres Gloſſæ in Perſij Satyram 6. mouent, Perſium abuſiuè dixiſse. *Nec tenuem ſolers turdarum noſſe ſaliuam* id eſt, ſaporem. Sic Poeta Ep. 15. lib. 1. *Nil melius turdo.* De quo etiam ſic fecit Martial. Epig. l. 13. 92.

Inter aues turdus, ſi quis me iudice certet,
Inter quadrupedes gloria prima lepus.

item l. 2.

Subdola tenduntur craſſis modò retia turdis.

a Græcis dicitur κίχλαι.

Torret Atabulus.] Hic ventus peſtilenti flatu calidiſſimus Apuliam afficit, & illius regionis proprius dicitur a Plin. lib. 17. cap. 24. *quædam temporum cauſſa, aut locorum non propriè dicuntur morbi, quoniam protinus necãt, ſicut tabes quã inuaſit arborem, aut vredo: vel flatus alicuius regionis proprius. vt eſt in Apulia Atabulus, in Euboea Olympias*, & ab Agel. eiuſdem indigena: de ventis quorundam locorum proprijs ſic Plin. lib. 2. cap. 27. *Sunt etiam quidam peculiares quibuſq; Gentibus venti, non vltra certum procedentes tractum, vt Athenienſibus Scirون, ab Argeſte paulùm deflexo, reliquæ Graciæ ignotus, alicubi: elatior idem Olympias vocatur.* Grammatici notant Atabulum dici παρὰ τὸν ἄτλον βαλεῖν. 1. *a dando malo & damno*: annumeratur hic ventus a Seneca l. 5. c. 17. Natural. Quæſt. his, *qui ſunt quorundã locorum proprij: qui non tranſmittunt, ſed in proximũ ferunt. Non eſt illis a latere vniuerſi mundi impetus. Atabulus Apuliam infeſtat: Calabriam Iapyx: Athenas Scirون. Pamphiliam Cataegis: Galliam, præcipue Narbonenſem, Circius: cui ædificia quaſſanti, incolæ tamen gratias agũt, tanquam ſalubritatem cœli ſui debeant ei*, & ab hac peculiari vi ac dominatu eundem nominant *Maiſtros*, quaſi magiſtratum illic gereret. *Diuus certè Auguſtus templum illi, quum in Gallia moraretur. & vouit & fecit. Infinitum eſt, ſi velim ſingulos perſequi. Nulla enim propemodum regio eſt, quæ non habeat aliquem flatum ex ſe naſcentem & circa ſe cadentem.*

Incipit oſtentare. &c.] Hoc Græcè dicitur, ἄρχεται ἐκεῖθεν ἡ Ἀπυλία μοι ἀναφαίνειν τὰ γνώριμα ὄρεα. Gall. L'Apoville cõmence de là a me deſcouurir les montagnes, que ie congnois bien: ἢ τῶν αὐτῆς ὀρέων ἀνατέλλειν ἐξαίφνης, vertices montium ipſius apparere mihi incipiunt.

Erepsêmus.] Syncope eſt pro erepſiſſemus, id eſt, vix tranſiiſſemus, Poetis admodum vſitata in omni verborum coniugatione. *Erepo* autem eſt lentè & extra curſum progrediendo vado, Græcè ἀνέρπω. De ſimplici verbo vtriuſque lege Grammat. in Sat. 1.

Triuici villa.] Triuicum oppidum collocatur in finibus Campaniæ.

Camino lacrymoſo.] Quidam intelligunt hîc Caminum caruiſſe tubis ad fumum foras emittendum: ſunt tamen, qui emiſſoria habeãt, nec propterea deſinũt perfumare cubiculũ. Caminus autẽ eſt vox originis Græcæ, ad cuius rationem genere muliebri ſolet vſurpari, vt apocalypſeos cap. 9. καὶ ἀνέβη καπνὸς ἐκ τοῦ φρέατος, ὡς καπνὸς καμίνου καιομένης μεγάλης. 1. & *aſcendit fumus putei, vt fumus fornacis ardentis & magna.* ἐτυμολογεῖται δὲ παρὰ τὸ ὑπομένειν καιομένων. 1. *notatione autem declaratur ex eo, quòd ardorem ſuſtineat.*

Ramos vllos.] Humida & virida ligna.

Exſpecto.] Nonius interpretatur maneo & obſeruo, & Sipontinus Antiſtes deducit ab exſpicio, quaſi diligenter aſpicio, in illo Ter. And. Act. 1. Sc. 1. *exſpecto quid velis*, id eſt, obſeruo, ſed hîc pro maneo & operior, quod Græcè dicas, μενῶ μοῦ ἐγὼ ἀνόητος τὸ κάριον ψευδὲς μέχρι μεσονυκτίου.

Somnus.] Id eſt, quòd libido mea intendebat vigilando, ſomnus id aufert quidem, ſed diurna cogitatio & appetitio dormiẽdo redit, & rem viſam & cupitam ſomniando repræſentat, quę concitat ἐξωνειρωγμόν. De huiuſmodi ſomnio Pamphili ſic loquitur Charinus in Andr. Act. 5. Sc. 6.

-----Num ille ſomniat ea, quæ vigilans voluit?

Idem quoque illud Poetæ.

Omnia, quæ ſenſu voluuntur vota diurno,
Hæc eadem noctu reddit amica quies.

vnde nata parœmia de iuuene apud Ariſtoph. οὐ νεῦ, ὀνειροπολεῖ καὶ καθεύδων ἱππικόν, id eſt, *ſomniat etiam dormiens equeſtre ſtudium.* Hic præclaram parentum rem ſtudio equorum alendorum ſtrinxerat. Ita ferè omnibus contingit, vt quæ inter diu verſata ſunt animo, noctu ſomnientur.

Quatuor hinc rapimur.] Hoc verbo ſignificatur celeritas & feſtinatio itineris.

Quod non eſt.] Quod oppidulum non mihi licet in Epicum carmen includere, nec proprio nomine deſignare: illud quidam nominant Equotutium, alij Eutractitium, ideoque περιφραστικῶς deſcribitur. Meminit huius oppidi, Cic. lib. 6. ad Attic. initio Epiſt. 1. *accepi literas, quas ſcribis Lentuli pueris & Equotutico, & Brundiſio datas*: conditum fuit a Diomede vt Seru. ſcribit in Aeneid. 8. 47.

Venit viliſſima rerum aqua.] Ellipſis eſt hîc meo iudicio τοῦ *quanquam*, vt ſenſus ſit: Equoturii venditur aqua, quanquam nullo ſit in pretio alibi: neque me ab hac ſententia lectio *dulcior* deducet, tum vi argumenti in eam inductum, tum loco Euthydemi Platonici a Lambino citati in eadem retentum, τὸ δ' ὕδωρ σπανιώτατον, *aqua cuiuis parabilis ac nihili.*

Canuſî.] pro Canuſij: Canuſium autem, ſicut Agyrippa, duæ fuerunt vrbes a mari non admodum remotæ, vt Strab. lib. 6. ſcribit. Horum verborum ſyntaxis eſt huiuſmodi: panis Canuſii eſt lapidoſus, quem locum, id eſt, quod Apuliæ oppidũ fortis Diomedes olim condidit, vt Agyrippã, vbi non plus eſt aquæ, quàm Equotutij propter vnicum fonticulum, quem vnâ ſitulâ facilè poſſis exhaurire: vnde prouerbium de ſumma aquæ penuria.

Inde Rubos.] Rubi, Ruborum, oppidum eſt Campaniæ, vel a copia ruborum, vel a colore dictum: vnde vimina rubea ſuppeditabantur texendis fiſcellis, vt e primo Georgicorum cognoſcitur ſub medium libri.

Nunc facilis Rubeâ texatur fiscina virgâ.

Vbi Seruius citat hunc locum, dicens Rubeam virgam abundare circa Rubos Italiæ oppidum. Posset tamen a rubo deduci, qui & flexibilis est, & inter vitilia connumeratur.

Postera.] Aetate priscorum Latinorum vox *tempestas* in vsu fuit pro tempore, & modò pro secundo, vt hîc pro posteriori, sicut Epist. 2. lib. 2. ad Q. fratrem: *Velim quàm primùm bonâ & certâ tempestate conscendas:* sic libro 14. ad Terentiam, *nautæ noluerunt prætermittere tempestatem*, id est, commodam nauigandi tempestatem. Contrà Lucret. dicit lib. 4. *turbidam tempestatem:* nemo autem veterum sæpiùs Sallustio vtitur hac voce pro tempore.

Bari.] Per apocopen pro Barij a Barium, quod est oppidum Apuliæ, & alluitur mari, vnde dicitur piscosum. *Gnatia* vel *Egnatia* est oppidum Salentinum, de quo Strabo quoque lib. 6. Regio Salentinorum, quæ terra *de Bari* dicitur, finitima Apuliæ est: illic est promontorium Iapygium, de quo sic Sallust. *Omnis Italia coacta in angustias, scinditur in duo promontoria Pachinum & Salentinum.*

Lymphis iratis.] Has dicit iratas, quia illic nõ fundunt aquas potabiles & salubres.

Limine sacro.] In ipso templi vestibulo & aditu primo.

Iudæus apella.] Quidam communiter sumunt *apella* pro eo populo, cui fœderis nomine summa cutis glandis in mentula circumcisa est, Græcè ἀκροβυστία, & ἀκρόβυστος, παρὰ τὸ τὴν τοῦ πέους ἄκραν βέβυσθαι, *a tecta penis summitate*, id est, præputio. Quidam putant τὸ ἀκροβυστία corruptum esse ex ἀκροποσθία: alij vtramque vocẽ autumant idem significare, sed etymo solum inter se differre: illum à pellicula glandem penis virilis integente, ac præsertim eius extremum, quo tegitur vrinę meatus, hanc ab explendo animalis desiderio dici, πόθεν γὰρ λέγεται, οἷον πόθεν πλεονασμῷ τοῦ: Porrò qui ita circumcisus est dicitur αὐτεψωλημένος καὶ λιπόσδορμος, περιτεμνόμενος ψωλὸς παρὰ τὸ ψᾶν, τὸ κόπτειν, aliquid tamen ampliùs significans, quàm verpus curtus apella aut recutitus, quum pro eo accipitur, ὅτινος τὸ αἰδοῖον εἰς τέλος ἀποπολυπῆται, *cuius pudendum vel a calce ad caput vsq; euulsum est.* Quidam tamen τὸν verpum malunt definire eum, cui glans potiùs est tentigine, quàm incisione denudata, atque inde hæc vox inclinamentum habet suum. Alij propriè ac meliùs sumunt *Apella*, quo nomine libertus Fab. Galli dictꝰ est l. 7. Epist. 25. ad Fam. Meminit etiam alius cuiusdam D. Paulus Epist. ad Rom. cap. 18. ἀποδόξασθε Ἀπελλῆν, qui vnus creditur esse e Iudæis Romæ habitantib. Huc accedit insolens & ridicula cõiunctio vocis a Græca particula τῶα, & a *pellis* Latina: quicquid sit, ego existimo hîc religionem, cultum & ceremonias totius gentis Hebrææ, καὶ τὴν σύντελεστέραν γνῶσιν, καὶ πληροφορίαν αὐτῆς, ratam & certam de Deo fidem ab Ethnico Poeta contumeliosè derideri, cuius sacrificia flammâ cælitùs delapsâ legimus passim in Prophetis absumpta fuisse: quod licet cognoscere ex hoc Petronij Epigramm. cuius initium est:

Iudæus licet & porcinum numen adoret,
Et cæli summos aduocet Auricolas, &c.

Idem e Iuuenali,

Nil præter nubes & cæli numen adorant.

Ad hos quidem potest aggregari L. Ann. Seneca, cui fuerunt ceremoniæ Hebræorum simili ludibrio, eaq; in primis quæ sabbathis tot accenderet lampades.

Tristes Dij essent.] Id est, solliciti ac laboriosi, si res humanas curarent, ideoq; minimè beati: in hac etiam fuit hæresi Virg. l. 4. Aen.

Scilicet is superis labor est, ea cura quietos
Sollicitat.

Vbi loquitur Epicuricè, vt l. 6.

Desine fata Deûm flecti sperare precando.

quò addit Seruius, quæ semel Dij decreuerunt, & loquutus est secundùm Epicureos, qui dicunt,

Nec bene pro meritis capitur, nec tangitur irâ.

& paullò post Stoicè, ἀλλὰ μὴν ἀποροπτικῶς, quum dicit, *Spero equidem medijs* (vndis te pœnas daturum) *si quid pia numina possunt:* qualem disciplinæ varietatem in hoc Poeta sæpè notauimus. Qui autem affinxit Dijs huiusmodi non-curantiam rerum humanarum primus, Athenis exustus est, vt refert Seru. e lib. Ciceronis de natur. Deor. vbi vide opinionem Epicuri. Palinodia autem huius peruersæ opinionis videtur Ode 34. lib. 1. cani, quam tu, lector, vt nostras in ipsam notas, reuisere poteris: vnde disces e Pindaro precibus piorum virorum magnas virtutes a Dijs impetratas & requiem ex occupationibus laboriosis quæsitam: quò lubet nunc addere Abrahamum a Deo impetraturum Sodomitis veniam, si decem iusti inter ipsos fuissent. Mosis precibus populo peccanti Deus fuit conciliatus: eodem quoq; inter pugnas orante Israelitæ superiores hostibus fiebant: precibus quoque Diui Pauli 275. homines e naufragio seruati sunt act. ap. cap. 27. ad extremum accedat eodem D. Iacobi testimonium exemplo Eliæ illustratum ὁμοιοπαθὴς ἡμῖν, ijsdem rebus obnoxij, quibus nos sumus: vbi scribitur, πολὺ ἰσχύει δέησις δικαίου ἐνεργουμένη. i. *multum enim valet deprecatio iusti efficax.* Valet igitur hæc Epicureorum impia opinio de non-curatia Dei Opt. Max. Hæc autem vox, lector, tibi fortassè videbitur vsus perari, ac plerisq; alijs hîc duriusculè a nobis vsurpata, p Græca, ἀμέλεια: sed ego, quia Ciceronem video per illam interpretatum Græcam epist. 8. l. 2. ad Q. fratrem, minimè veritus sum, eâ vti: alibi orator etiam τὸ ἀσώματον expressit per, non corpus, quasi per ὑφὴν, id est per subunionem, vt apud Terentiũ more vnius dictionis ꝓnunciatur Heri semperlenitas: qualia Græcis vsitatiora sunt ἀειβλαστὴς, ἀειπίνης, ἀειναῦται, ἀειθεὸς, & alia infinita, sempergerminans, sempermotus, sempernautæ, semperolens, ἀειπάθεια, semperdurans affectio.

Brundisium.] De Brundisio lege Plin. l. 33 c. 11. quam vrbem & portum Calabriæ Gręci primùm dixerunt πετυνήσιον: vnde πετυνήσια ὄρεα, montes piceis arboribus consiti: & πετυνήσιοι, populi Brundusij, Græcè βρεντεσίνοι, deinde μεσάπιον. Ratio autem nominis a figura capitis ceruini, quod μεσάπιοι sic nominant propter multos vno ore portus: vnde ab hoc Geographo vocatur σύλιμενον βρενδήσιον καὶ ἄπλυστον, *optimè portuosum & tranquillum:* quod Tacit. videtur init. lib. 3. Annal. vertisse, *Brundisium nauiganti celerrimum fidissimũq; appulsu erat.* Præterea tota via Appia Româ ad Brundusium 360. milliaria continet, vt Strabo scribit lib. 6. Hæc autem vrbs hodie dicitur *Brindes.*

Explicatio Rhetorica.

DVbito hîc, vtrùm propriè sumam hanc vocem *Ariciam*, & verbum *accepit*, quomodo Terent. loquitur Heaut. Act. 2. Sc. 3. *Dij boni quid turbæ! ædes nostras vix capient, scio:* quomodo etiam ipsemet Poeta l. 2. Sat. 3. *Cepit te vacuum villula*, pro *continebunt* & *continuit:* an metonymicõs *incolæ & habitatores Aricia hospitio modico me acceperunt:* sed angustiæ hospitij faciunt, vt mihi propriè sumendum videatur, quæ parùm ciues hospites decerent, vel ipsum Mæcenatem, si tam frugalem profectionis sumtum faceret.

b Sumptum est ab hostibus iniuriam facientibus, quibus denunciatur bellum, pro, *sustineo inediam inuitus*, sic Cic. voluptatibus indecere bellum.

c Duplex est polyptoton, ac præterea quidam accessus ad prosopopœiam conuiciantium

d Sic loquitur Terent. Act. 4. Sc. 1. Ver. 16. And. *Ingeram mala multa*: id est, iaculabor in eum probra multa, eundemque maledictis multis onerabo: vbi Donatus annotauit: *quasi tela, ita se dicit ingesturum mala.* Vnde apparet sumptum a præliantibus & mutuis telis sese petentibus.

e Verba sunt puerorum ad nautam de admouenda certo littoris loco naue, ac de non pluribus in eam recipiendis.

f Hæc quoque verba fortasis sunt dominorum, qui pueros suos præmiserant.

g Συμπλοκὴ est, eiusdem soni similitudo in principijs & clausulis, quæ præterea Græcorum ἰσόκωλα facit.

h Aptissima est metaphora ad immoderatum potionis vsum indicandum, & sumpta a quadrupedib⁹, quæ inter largos aquæ haustus demergunt labra, & propè dixerim totam tanquam promuscidem in flumen patulis naribus efflantes, quo modo Virg. 1. Aen. sub finem describit Bitium egregium potorem:

--- ille impiger hausit
Spumantem pateram, & pleno se proluit auro.

i Hoc quidem epitheton propriè videtur eum significare, cui plurimum sit cerebri: sed in hac significandi ratione non reperitur: vnde non satis perspicio analogiam tropi, qui hîc latet. Nam si statuero, metaphoram esse ad hominem facilis iracundiæ indicandum; constat ex Physica, illum, qui cerebro abundat, irâ non facilè accendi. Tu videris, Lector, fortasis hîc me acutiùs. Satis mihi est tibi leuiter rem demonstrasse.

k Nota est metaphora a fabris lignarijs, qui asperrima quæq; solent complanare, pro, *cædit, percutit, & verberat*: quo tropi genere Galli vtuntur in comminationibus: *Ie te doberai bien, pour, ie te battrai bien.*

l Sumptum quoque a serpentibus, pro, lentè & tardè progredimur.

m Metaphora est a marmorarijs, qui iuncturarum æquationem, vel, vt Græci loquuntur, τὴν ὁμαλότητα καὶ ἀνωμαλίαν σωμάτων, *leuitatem continuam & asperitatem corporum* vnguibus probant, vt Grammat. notant in 2. Georg.

--- nec seciùs omnis in vnguem
Arboribus positis secto via limite quadret.

Vbi Poeta quincuncialem ordinem videtur significare, quo in figuram X literæ quinæ arbores recto versu continuantur. Hoc autem tropo vtuntur, qui perfectionem alicuius rei volunt examinare & indicare.

n Metonymia est subiecti pro cœna, quæ illic paratur: ni malis referre ad morem Principum & diuitum, qui curant sua esculenta & poculenta, quocunque proficiscuntur, a suis promis & coquis circumgestanda.

o Synecdoche est partis, pro *homines*: quo tropi genere Cic. lib. 14. Epist. fam. Epist. 14. appellat Terentiam & filiam animas ad indicium amoris singularis: *Vos meæ carissimæ animæ, quàm sæpissimè ad me scribite*: qui tropus, vt cæteri, cùm in multis vocibus alijs, tum in hac peculiaris linguæ Hebraicæ: Act. 2. Καὶ προσετέθησαν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ψυχαὶ, ὡς εἰς τρισχίλιαι, *& additæ sunt illâ die animæ circiter ter millenæ*, id est, tria circiter hominum millia, & 1. Pet. cap. 3. εἰς ἣν ὀλίγαι, τουτ' ἔστι ὀκτὼ ψυχαὶ διεσώθησαν δι' ὕδατος *in qua* arca Noei *paucæ animæ*, id est, *octo homines seruati sunt in aqua.*

p Sumptum est a corpore ad animum, vt puritas, integritas, candor horum hominum significaretur. Sententia est: Plotius, Varius & Virgilius tales nobis occurrunt homines, quales non tulit terra, quibus magis sim obligatus.

q Metaphora a corporibus arctis ad bonos animi affectus, qui debentur bene de nobis merentibus.

r Exclamatio est admirantis magnitudinem lætitiæ, quam ex aduentu talium virorum percepit.

s Vide num hoc μετωνυμικῶς sumendum sit, pro, sarcinas & onera. Ita certè perplexè loquor, vt Seruius in hunc versum Georg. 1.

Sæpè oleo tardi costas agitator asselli,
Vilibus aut onerat pomis.

aut reuerà, inquit ille, *costas*, id est, *dorsum, aut clitellas Virgilius dixit, vt Horatius: Hinc malè, &c.* citans hunc locũ. Quod equidem dum accuratiùs vel potiùs ῥητορικωτέρως exquiro, in *muli* altera est metonymia, pro mulionibus sarcinas exonerantibus, αὐτὶ τῶν ὀνηλάτων τὸς γόμους ἀποφορτιζομένων.

t Apostrophe est ad Musam, quam, vt rem magnam aggressurus, & parùm ingenio suo in re tanta confidens, poscit opem. Ita Seruius in hæc: *Musa mihi.* 1. Aeneid. ex Horatio ad Pisones docet, non esse inuocandum, nisi quippiam supra humanas vires requirimus. Hinc Horatius:

Nec Deus interfit, nisi dignus vindice nodus
Inciderit.

In *Musa* autem synecdoche generis est pro Calliope, vt Donatus notat ibidem: quòd illa præsit Heroicis.

u *Osci sunt clarum genus Meßij*, dicitur εἰρωνικῶς: quia Osci fuerunt populi obscurissimi & maximè ignominiosi.

x Apparatus est prosopopœiæ, vbi Sarmentus scurra inducitur per dialogismũ cum Messio Osco prior loquens.

x Exclamatio est Sarmenti comminationem Messij deridentis.

z Metaphorâ est a bestijs mutilatis, quibus exsecta sunt cornua, vel naturâ nõ adnata. Sic Cæsar. 6 Com. de bell. Gall. *Sunt item quæ appellantur Alces: harum est consimilis capri figura, & varietas pelliũ, magnitudine paullò antecedunt, mutilæq; sunt cornibus.* Item Colum. l. 7 c. 3. *Non est melior mutilus aries.* At quoniam hic tropus ducitur e categoria similium, vt aliâs monuimus, cicatrix Messij in fronte habebat aliquid simile bestiæ mutilatæ: quam vocem deflectunt Grammatici a *mutus*, quod valet truncatus & comminutus.

aa In hac metaphora est facetia, vbi Messius Cicerrhus comparatur cum aprisetosis: quum pro piloso & hirsuto vocat eum setosum. Est autem seta pilus rigidior & crassior, vnde grex suum dicitur pecus setigerum.

bb Hîc agnosco eum metonymiæ modum, qui ponit caussam pro effecto. i. inuentorẽ pro inuento: quod est hîc genus saltationis a Polyphemo vel inuentæ, vel saltatæ: quo tropi genere dicitur Πυλάδης ἀρχεῖσθαι Διόνυσον αὐτὶ τῶν τῶν Διονυσιακῶν ὀρχήσιν μιμεῖσθαι, pro, *Bacchicã saltationẽ imitari.* l. 1. Epig. Græc. πεφ. ια. Simili tropo vtitur Suet. in Ner. Claud. c. 54. *quomodo ex voto Nero saltaturus esset histrionem Virgilij Turnum.* Præterea est in *Cyclopa* synecdoche generis pro specie Polyphemi.

cc Allegoria est e metaphoris a personis scenicis, quæ se comparare solent conuenienter rei, quam volunt repræsentare. Itaq; quum facies sit Messio sæua, trux & deformis, & cicatricosa, statura quoque corporis procera, nil erat opus laruâ & cothurnis ad similitudinem huius saltationis & personæ decenter referendam.

dd Hic par refert Sarmento ſcurræ proximis deinceps quinque verſibus, in quorum fine clauditur dialogiſmus narratione iucunditatis inde captæ.

ee Duo hîc ſunt modi metonymiæ: prior eſt adiuncti pro domo hoſpitis, qualis eſt 2. Aen. *proximus ardet Vcalegon*: alter eſt cauſſæ, id eſt, inuentoris pro igne a Vulcano inuento.

ff Sumptum eſt a canibus linguâ & molli tactu catulos linguentibus. Eodem tropo vſus eſt Virgil. 3. Aen. in deſcriptione Aetnæ calidum exhalantis hyperbolicõs.

Attollitq; globos flammarum, & ſidera lambit.

gg Synecdoche totius pro ipſis opſonijs, quæ coquebantur.

hh Synecdoche eſt certi ac definiti pro infinito & incerto: *quivis poſſet videre famelicos conuiuas rapere ex incendio, quæ ad cœnam parabantur*: idem ſerui præſtabant metu heri.

ii Similis eſt tropus ſuperiori, *tria repimus.*

kk Metonymia eſt effecti pro exprimente lacrymas & prouocante.

ll Metonymia eſt ſubiecti pro igne adiũcto & vrente: propriè enim caminus eſt fornax, vt in illo Virg. 3. Aen. *ruptis flammam exſpirate caminis*. Hac quidem ſimiliter immutatâ voce vtitur hic ipſe Sat. 3. l. 2. ſub fin.

Adde poemata nunc: hoc eſt, oleum adde camino.

id eſt, reſtingue ignem oleo. Eſt autem ὁ λάϊ ἡ κάμινος vox Græca, quæ modò, vt Latina facta, propriè ſumitur pro fornace, cuius exempla paſsim reperias, modò tropicõs, vt apud Chryſoſt. lib de ſacerdotio: λάϊ τλὺ σιδηρᾶν τῆς χηρείας ὑπ ἐφυγον κάμινον· *atque ferreum viduitatis ardorem non effugit*: & recta eſt translatio: nam dicitur ἀπὸ τῆς καύματος, *a calore.*

mm Metonymia eſt cauſſæ pro amore & libidine, cui ſomnus aufert, quod intendebat, & expetebat.

nn Eſt hîc quædam ſynecdoche generis pro induſio, ἢ αὐτὶ τῆ εὐδοτάτη χιτωνίσκη.

oo Synecdoche eſt generis pro Canuſio oppido.

pp Synecdoche hîc eſt altera, ſed totius pro die poſtera.

qq Metonymia eſt ſubiecti pro miraculo ignis, quod illic fit, ac præterea metaphora in *dedit*: quia tribuitur motus & ſenſus rei inanimæ.

rr Conceſsio eſt γελοίαστος.

ſſ Synecdochica eſt periphraſis ipſius cæli & metaphorica.

tt Metonymia eſt ſubiecti pro ſcriptionis & profectionis fine, id eſt: *Ego Brundiſii finem feci pergendi aliò & canendi ſeu ſcribendi plura.*

SATYRA SEXTA.

Nobilitatem hominis non generis ſplendore, nec titulis auorum, ſed honeſtate morum, virtute & αὐτάρκειᾳ metiendam eſſe.

Non quia, Mæcenas, Lydorum quicquid Ethruſcos
Incoluit fines, 2. nemo generoſior eſt te:
Nec quod auus tibi maternus fuit, atq; paternus,
Olim qui magnis legionibus imperitârunt:
Vt plerique ſolent, a naſo ſuſpendis adunco
Ignotos, vt me libertino patre natum:
3. Quum referre negas, quali ſit quiſq; parente
Natus, dum ingenuus. 4. Perſuades hoc tibi verè,
Ante poteſtatem Tullî atq; ignobile regnum,
b Multos ſæpè viros nullis maioribus ortos,
Et vixiſſe probos, amplis & honoribus auctos:
Contrà Lævinum Valerî genus, vnde Superbus
Tarquinius regno pulſus fuit, vnius aſsis
Non vnquam pretio pluris licuiſſe, notante
Iudice, quem nôſti, populo: 5. qui ſtultus c honores
Sæpè dat indignis: & famæ ſeruit ineptus:
Qui ſtupet in titulis & imaginibus: 6. quid oportet
Nos facere a vulgo longè lateq; remotos?
7. d Namq; eſto: populus Lævino mallet honorem,
Quàm Decio mandare e novo: cenſorq; moueret
f Appius, ingenuo ſi non eſſem patre natus:
Vel meritò, quoniam in propria non g pelle quieſſem.
Sed fulgente trahit conſtrictos h gloria curru
Non minùs ignotos generoſis. 8. Quò tibi, Tulli,
Sumere depoſitum i clauum, fieriq; Tribunum,
Inuidia accreuit? priuato quæ minor eſſet.
9. Nam vt quiſq; inſanus nigris medium impedijt crus
k Pellibus, & latum demiſit pectore clauum:
Audit continuò, l quis homo hic eſt? quo patre natus?
Vt ſi qui ægrotet, quo morbo Barrhus, haberi
Et cupiat formoſus: eat, quacunq; puellis
Inijciat curam quærendi ſingula: quali
Sit facie, ſurâ quali, pede, dente, capillo:
Sic qui promittit, ciues, Vrbem ſibi curæ,
Imperium fore, & Italiam & m delubra Deorum:
30 Quo patre ſit natus, num ignotâ matre inhoneſtus,
Omnes mortales curare, & quærere cogit.
10. n Túne o Syri, o Damæ, aut o Dionysî filius audes
Deijcere e ſaxo ciues? aut tradere Cadmo?
11. At Nouius collega p gradu poſt me ſedet vno.
Namque eſt ille pater quod erat meus. 12. Hoc tibi q Paullus
Et q Meſſala videris. 13. At hic, ſi plauſtra ducenta,
40 Concurrantq; foro tria funera, magna ſonabit,
Cornua quod, vincatq; tubas: ſaltem tenet hoc nos.
14. r Nunc ad me redeo libertino patre natum:
Quem ſ rodunt omnes libertino patre natum.
Nunc quia, Mæcenas, tibi ſum conuictor, vt olim,
Quòd mihi parêret legio Romana Tribuno.
Diſsimile hoc illi eſt: quia non vt forſan honorem
Iure mihi inuideat quiuis, ita te quoq; amicum:
15, Præſertim cautum dignos aſſumere, prauâ
50 Ambitione procul: felicem dicere non hoc
Me poſſum caſu, quòd te ſortitus amicum.
Nulla etenim mihi te fors obtulit. Optimus olim
Virgilius, poſt hunc Varius dixêre, quid eſſem.
16. Vt veni coràm, ſingultim pauca loquutus
(t Infans namque pudor prohibebat plura profari)

Non

Non ego me claro natum patre, non ego circum
Me Satureiano vectari rura caballo:
Sed, quod eram, narro. Respondes (vt tuus est mos)
Pauca: ab eo: reuocas nono pòst mense, iubesq;
Esse in amicorum numero. 17. Magnum hoc ego duco,
Quòd placui tibi, qui turpi secernis honestum,
Non patre præclaro, sed vitâ & pectore puro.
18. Atqui si vitijs mediocribus, ac mea paucis
Mendosa est natura, alioqui recta: velut si
Egregio inspersos reprehendas corpore nævos:
u *Si neq; auaritiam, neq; sordes ac mala* x *lustra*
Obijciet verè quisquam mihi: 19. purus & insons
(Vt me collaudem) si viuo & carus amicis;
Caussa fuit pater his, 20. qui macro pauper agello
Noluit in Flauî y *ludum me mittere magni:*
Quò pueri z *magnis e Centurionibus orti*
Lævo aa *suspensi loculos, tabulamq;* bb *lacerto,*
Ibant octonis referentes Idibus cc *æra.*
Sed puerum est ausus Romam portare docendum
Artes, quas doceat quiuis Eques, atq; Senator
Semet prognates: 21. vestem seruosq; sequentes
In magno vt populo si quis vidisset, auita
Ex re præberi sumtus mihi crederet illos.
22. Ipse mihi custos incorruptissimus omnes
Circum doctores aderat. Quid multa? pudicum
(Qui primus virtutis honos) seruauit ab omni
Non solùm facto, verùm opprobrio quoq; turpi.
23. Nec timuit, sibi ne vitio quis verteret, olim
Si præco paruas, aut, vt fuit ipse, dd *coactor*
Mercedes sequerer: neq; ego essem questus. Ob hoc nũc
Laus illi debetur & a me gratia maior.
24. Nil me pœniteat sanum patris huius: eoq;
Non, vt magna dolo factum negat esse suo pars,
Quòd non ingenuos habeat clarosq; parentes,
Sic me defendam: longè mea discrepat istis
Et ee *vox & ratio. 25. Nam si natura iuberet*
A certis annis ff *æuum remeare peractum,*
Atque alios legere ad fastum quoscunq; parentes,
Optaret sibi quisq; meis contentus, honestos
Fascibus & sellis nollem mihi sic mere: 26. demens
Iudicio vulgi, sanus fortasse tuo: quòd
Nollem onus haud vnquam solitus portare molestum.
27. Nam mihi continuò maior quærenda foret res,
Atq; salutandi plures: ducendus & vnus,
Et comes alter, vti ne solus, rúsve peregré-
10 *ve Exirem: plures calones, atq; caballi*
Pascendi: ducenda petorrita. Nunc mihi curto
Ire licet mulo, vel, si libet vsq; Tarentum.
Mantica cui lumbos onere vlceret, atq; eques armos.
28. Obijciet nemo sordes mihi, quas tibi, Tulli,
Quum Tiburte viâ Prætorem quinq; sequuntur
Te pueri, lasanum portantes, Oenophorumq;.
Hoc ego commodius quàm tu, gg *præclarè Senator,*
Multis atq; alijs viuo. 29. Quacunq; libido est,
20 *Incedo solus: percontor, quanti olus ac far:*
Fallacem hh *Circum, vespertinus q; pererro*
Sæpè forum: asisto diuinis: inde domum me
Ad porri & ciceris refero, lachaniq; catinum.
Cœna ministratur pueris tribus & ii *lapis albus*
Pocula cum cyatho duo sustinet: assat echinus,
Vilis cum patera guttus, Campana supellex.
Deinde eo dormitum, non sollicitus, mihi quòd cras
Surgendum sit manè: obeundus kk *Marsya, qui se*
30 *Vultum ferre negat Nouiorum posse minoris.*
Ad quartam iaceo: post hanc vagor: aut ego lecto,
Aut scripto, quod me tacitum iuuet, vngor oliuo:
Non qua fraudatis immundus Naca lucernis.
Ast vbi me fessum sol acrior ire lauatum
Admonuit, fugio rabiosi tempora ll *signi.*
31. Pransus non auidè, quantum interpellet inani
Ventre diem durare, domesticus otior. 32. Hæc est
40 *Vita solutorum miserâ ambitione, grauiq;.*
His me consolor, victurus suauius, ac si
mm *Quæstor auus, pater atq; meus, patruusq; fuisset.*

Analysis Dialectica.

HOc theticum est ad hæc verba: *Qui turpi secernis honestum*, &c. vbi vtile proponitur exemplar veræ nobilitatis, cuius idæam & effigiem statuit in Mæcenate, qui etiamsi clarus natalibus, fundis, imaginibus, titulis, currib⁹, calceis & reliquis insignibus ornatus esset; virtus tamen ipsum veriùs his omnibus nobilitaret: idem affirmat Ouidius Epist. ad Pisonem:

Nam quid imaginibus, quid auitis fulta triumphis
Atria, quid pleni numeroso Consule fasti
Profuerint, si vita labat? perit omnis in illo
Gentis honos, cuius laus est in origine sola.

Idem quoq; Iuuenalis Sat. 8.

Tota licet veteres exornent vndiq; cera
Atria, nobilitas sola est, atq; vnica virtus.

Itaque non patricij solùm Romæ nobiles, sed plebeij etiam homines, qui singulari aliquâ excellerent virtute, appellabantur: atque adeò illic nemo honoribus excludebatur, qui sic ornatus perspiciebatur, quæ profectò omnia videntur e Dictye Euripidis sumpta. Sic enim ille:

Εἰς δ' εὐγένειαν ὀλίγ' ἔχω φράσαι καλά.
Ὁ μὲν γὰρ ἐσθλὸς εὐγενὴς ἐμοὶ γ' ἀνήρ.
Ὁ δ' ἀλίκαιος, κἂν ἀμείνονος πατρὸς
Ζυνὸς πεφύκῃ, δυσγενὴς εἶναι δοκεῖ.

Pauca quidem de nobilitate possum honestè dicere. Vir enim bonus mihi nobilis videtur. Sed qui non est iustus, quamuis patre præstantiori natus, quàm ipse Iupiter, sit, ignobilis mihi videtur. Quod autem Mæcenas definire soleat virum nobilem non imaginibus maiorum, quibus nonnulli arroganter elati despiciunt humiles & obscuros, sed proprijs ipsius virtutibus, vt Od. 17. l. 3. dictum, docet Poeta dissimilium collatione: *non, vt plerq; solent obscuro & humili loco natos contemnere & irridere, sic me libertino patre natum despicit Mæcenas, ac superbè illudit.*

2. Antapodosis diuersis approbatur, quorum prior pars enunciatur primùm minoribus: *Mæcenas omnibus Lydis, qui in Etruriam migrârunt, præluceret generis splendore:* deinde procreantibus caussis: *Mæcenas ex illustribus & summis imperatoribus ortus est: neq; tamen inde tantum sibi spiritus sumit, vt de vera nobilitatis origine sentiat aliter atq; Stoici Philosophi, qui illam verè dicunt a virtute sola ortum habere:* quæ fuit Athenodori sententia, quam Cicero nouus homo libenter, vt hic Horatius, probauit: contrà, in politicis Aristoteles eam in claritate maiorum ponit: Stoici sententiam suam mordicus tuentur. Itaq;

inter cæteros Sen. l. 1. c. 9. de Clem. vbi Augustus inducitur sic consilio Liuiæ vxoris Cinnam alloquens, *Cedo si spes tuas solus impedio, Paulus ne te, & Fab. Max. & Cossi, & Seruilij ferent, tantumq; agmen nobilium, non inania nomina præferentium, sed eorũ, qui imaginib suis decori sunt?*

3. Idem confirmat diuino Mæcenatis summi ac sapientissimi viri iudicio ac testimonio: *Qui nullam soleat aut patriæ aut parentis rationem habere in æstimatione nobilitatis, dum modò quis præ se ferat probitatem, & morum ingenuitatẽ*, id est virtutis doctrinæq; rationẽ. Hac iudicij veritate monemur, ne in æstimanda re aliqua oculos conuertamus ad putamina, sed ad ipsos nucleos. Idem prorsus fuit iudicium Menandri:

Ὡς αὐ σὺ γεγονὼς ἢ τῇ φύσει πρὸς τ' ἀγαθὰ
Κἂν Αἰθιόψ ἢ μήτηρ ἐστὶν εὐγενής.

Qui naturâ probè est affectus ad bona, etiamsi matre natus sit Aethiope, nobilis est.

4. Approbatio est iudicij a Mæcenate rectè vereque facti ex aduersis exemplis: *Seruius Tullius rex sextus Romanorum e matre serua natus regiam potestatem nactus est. Permulti quoq; ignobiles nullâ generis commendatione vitam honestè degerunt: summis amplissimisq; honoribus Reipub. ornati sunt: Lælius, Lælinus illustri & claro genere natus, a gubernaculis Reip. tum Iuppiter repulsus est & a populo contẽtus quòd a grauitate contestataq; patris virtute degenerasset:* in qua qui natalium splendori non respondet, eò illustrior est ipsius nequitia, & quis nobilem eum prædicauerit e sententia Iuuenalis, qui

Indignus genere, & præclaro nomine tantùm
Insignis miserum est aliorum incumbere famæ!

Quàm autem minimi Læuinus ille factus sit, paribus demonstratur: *non pluris æstimatus est a populo, quàm quicque minimum.*

5. Contentio de generis Læuini dilatatur loco disparatorum, siue repugnantium: *Populus qui splendore generis capi solet, & ei plus tribuere, quàm virtuti, hunc nobilissimum repudiauit.* Ornamenta enim magistratuum in virtute & industria posita lucent: sed in Antonio lustris & popinis dedito Cicero dicit Philipp. 13. obscurari.

6. Rursus hoc populi iudicium declaratur loco minorum, vt illud Mæcenatis superius magis illustretur: *Si populus semper ferè perturbationibus animi affectus, rectè tamen ac verè de vi & natura nobilitatis sensit, quid Philosophi, constantiâ, grauitate & sapientiâ egregiè ornati, de eadẽ statuere debeant? nobilitatem nihil aliud esse, nisi cognitam virtutem: quæ propria sit viri, non generis.*

7. Hic Satyricè & facetè in ambitiosos ignobiles sermonem grauem conuertit e loco diuersorum, *quãuis ipse populus leuis contrà sentiat, ac modò dictum est, seuerusq; sit censor, qui aliquando in senatum allegit homines generis libertini ac viles, malitq; deligere ad magistratum virum nobilem, aut certè ingenui filium & liberti nepotem*, cuiusmodi fuit Poeta, *quàm ignobilem: perinde tamen obscurus, atq; clarus, cupiditate honoris ducitur:* prior huius diuersitatis pars confirmatur collatione maiorum: posterior autem enunciatur alterâ parium, *quòd ignoti iuxtà, atq; nobiles generosi, appetant honores.*

8. Ex adiuncta inuidia, eaque saltem minori docet, *quid ignobilẽ, vbi summos amplissimosq; honores adeptus est, maneat, quantamque inuidiæ molem cogatur sustinere*, quæ ipsi leuior fuisset, si priuatus & sua sorte contentus vixisset.

9. Ratio inquirendi in hominem ignotum, vbi magistratum accepit, collatione similium explicatur: *Quemadmodum Barrus homo mulierosus, immodicoq; studio formæ & cultus elegantioris deditus, quacunq; faciat iter, inuitat puellas nihil alioqui de ipso cogitantes, vt oculis lustrent singulas ipsius partes, & metiantur: ita homo ignobilis & nimis ambitiosus in honoribus petendis & impetrandis facit, vt omnes in ipsum oculos conijciant, & in ipsius ingenium, mores vitam & genus inquirant.*

10. Apodosis augetur loco disparatorum: *Hic homo ignotus est seruilis conditionis & infimæ: non igitur debuit habere tribunitiam potestatem Romæ ciues damnãdi, de saxo Tarpeio deijciendi, securi percutiendos carnifici tradendi.*

11. Diluit homo ignobilis obscuritatem sui generis minorum collatione: *quòd si Nouius collega ipsius in hoc magistratu toleratur, quum uno gradu generis sit ipso inferior, tantò magis ipse tolerandus est.*

12. Populus obijcit arrogantiam rursus ignobili ambitioso e parium collatione: *quòd si vno gradu generis præstet Nouio, existimet se Paulo & Messalæ, summo loco natis, æquandum.*

13. Idem populus reponit ex eodem argumenti genere, *Tu, o ambitiose, Nouio quidem antecellis vno generis gradu: at ille tibi vocis bonitate & dicendi facultate: quâ delectamur & illius obscuritatem faciliùs toleramus:* Non quidem dicit: *Nouius te vincit vocalitate*, sed: *quæq; maximè sonora & vocalia superat, vel ipsum Stentorem*, quod est maius. Ita exaggeratur apodosis parium. Ita Poeta facetè mordet populum Rom. & ambitiosos: illum; quòd huiusmodi hominibus deferat honores: hos; quòd imprudenter vnius vocalitatis & eloquentiæ garrulæ nomine dignos se muneribus publicis iudicent.

14. Adhuc eleuauit in genere inanem nobilitatis auitæ iactationem, quo faciliùs humilitatem & ignobilitatem patris sui virtute commendaret: nunc ostendit duas res sibi contigisse, quæ ipsi conflarunt inuidiam; militarem olim tribunatum, & hodie familiarem, quotidianumque cum Mæcenate conuictum: quorũ quidem alterum dissimilitudine docet reprehendẽdi, iure sibi inuideri posse, alterum minimè posse. Argumentum autem sic clariùs enunciari solet: Quemadmodum fortassis quiuis potest mihi iure tribunitiam potestatem inuidere: non ita me carpere potest iure, quòd sim Mæcenati ὁμοδίαιτος familiaris & quotidianus conuictor.

15. Antapodosis approbatur ex efficiente primum per se, quòd in familiaritatem Mæcenatis maturo ipsius consilio & iudicio de moribus suis & virtute facto intrârit, in quam cadere non debet inuidia. Deinde remotione fortuitæ caussæ, quæ multa sæpè mandat indignis, & confirmatione adiuuantium Virgilij & Vari, qui testimonium virtutis Horatianæ quærenti Mæcenati attulerunt, sed nullum rogatum ambitiosè interposuerunt.

16. Eódem spectat hîc locus aduersorum: Mæcenati dixi apertè me ex humili loco & obscuro natum: nec falsò mihi genus clarum, & illustre arrogani. Hæc autem oppositio amplificatur primum ex adiuncta Poetæ timiditate & verecundia, quæ custos habetur & est omnis virtutis, ex paucitate verborũ, quæ more principum, Mæcenas addidit narrationi, ac postremò reuocatione mei post nouem menses: vnde tollitur omnis suspicio amicitiæ ambitiosè petitæ, sed consilio & iudicio Mæcenatis & Poetæ virtute conciliatæ: quod vtrique summæ ducitur laudi.

17. E superiori sermone conficit, quod initiò positũ est: *rectè & sapienter à Mæcenate nobilẽ definiri, non generis splendore & imaginibus maiorum: seu virtute, innocentiâ vitæ, & animi integritate, tam propriâ, quàm paternâ*, quod ipse deputat in bono omnium maximo: quippe qui hoc vero definitionis genere videat irrisores obscuritatis suæ conuictos & refutatos.

18. Ad soluendum obiectum vtitur loco diuersorum: *Etsi*, inquit, *non planè a vitijs & delictis sum liber, purus & integer; ijs tamen solùm teneor, quæ nemini noceant*: quod declarat similibus: *Illa mediocria naturæ meæ vitia & pauca sic reprehendenda sunt; vt leues quidam naui in corpore venusto.*

19. Hæc pertinent ad obscuritatem patris illustrandam sumpta e loco caussarum efficientium: *quòd ego sanus ab illis vitijs, quæ pernictem ferunt, & mediocribus, quibus ignoscas, teneor; id totum educationi & institutioni paternæ fero acceptum.*

20. Augetur talis caussa loco diuersorum: *Non curauit meus pater sordidis artibus & quæstuosis me instituendum: quibus solent pueri aliquot e claris parentibus orti, institui: sed Romæ liberalibus & honestis instituendum, quarum studiis liberi Senatorum & Equitum formantur.* Hinc perspicitur summa in patre Horatij prudentia, qui, quanquam sciret, esse parentum, τοῖς τέκνοις θησαυρίζειν *thesauros congerere liberis*; e definitione tamen τοῦ πλούτου, quem sic Chilon Lacedæmonius definiuit comparatè: πλοῦτος λιανίας μᾶλλον, ἢ λιαλοπαγάδας ἐστὶν ὑπηρέτης *diuitiis sunt magis administræ vitij, quàm honesti*, προεῖρητο τὸν υἱὸν παιδεύειν αὐτὴ τοῦ πλουτεῖν *posthabuit diuitias institutioni filij.* Pater Pomponij Attici commendatione paternæ institutionis sic laudatur à Cor. Nepote: *qui, prout ipse amabat literas, omnibus doctrinis, quibus pueri is ætas imperiri debet, filium erudiuit.* In cæteris autem longè dissimilis fuit conditio vtriusque. Non dissimilem fuisse curam patri suo, Cic. scribit institutionis suæ, in exordio, Dialogi de Amicitia. *Ego autem a Patre ita eram deductus ad Scæuolam, sumpta virili toga, vt quo ad possem & liceret, à senis latere nunquam discederem, itaq; multa ab eo prudenter disputata, multa etiam breuiter & commodè dicta, memoriæ mandabam, fieriq; studebam eius prudentia doctior.*

21. Eadem caussa dilatatur accessione huiusmodi sumptus, vestitus & comitatus, *vt, qui vidisset puerum Horatium tali ornatu & comitatu stipatum, illum existimasset non ex auo liberto prognatum, sed ex aliquo nobili diuite.*

22. Pergit patris sui studium & diligentiam in se formando explicare ex adiunctis & factis: quę posteriora maiorum collatione augentur: *Pater non solùm seruauit me pudicum & ab omni turpitudine intactum; sed etiam ab omni suspicione impudicitiæ longè remotum.*

23. Altera est maiorum comparatio eódem spectás: *Non potuisset non laudari pater meus, si vel præconis artem vel coactiones argentarias, quas ipse exercuerat, facitassem: nunc, quum me liberalibus disciplinis tradidit, more nobilium, præter rationem & modulum facultatum suarum & ordinis instituendum; multò illi maiora me & laus & gratia debetur.* Hic Horatius verissimè exprimit officium patris, qui, quum propter tenuitatem rei ac doctrinæ inopiam non posset filio esse & pater & pædagogus simul; utrumq; tamen munus exsequi studebat, nec sine principum exemplo. Cyrus enim lib. 8. vbi suos liberos satis videbatur edocuisse, quales inter se deberẽt esse, remittebat illos πρὸς τὸ μανθάνειν παρὰ τοῦ παραγεγονυῖαν. αὐτὴ γὰρ ἦν διδασκαλία. Huc pertinet, quod de Aristippo legimus, à quo cum quidam quæsiuisset, quid boni filio suo allatura esset eruditio: Si nihil aliud, inquit ille, hoc certè quod in Theatro lapis in lapide nõ sedebit. Idem ipse alteri, qui cum sibi nimiam mercedem pro filij institutione posci videret, responderat, ista pecunia seruum mihi emere possem. Tu verò, inquit, etiam hoc amplius, si enim vnum emeris duos habebis. Dionys. Halicarnas. narrat, Patrem Isocratis Theodorum fuisse vnum ex mediocribus Athen. ciuibus, cui famuli erant fabri tibiarum, & ex illarum cõfectione ac quæstu se & familiam sustentasse: honestè tamen filium Isocratem educandum, & à pueritia instituendum curasse, nihiloque deterius, quam quisquam Athenienſium suis liberis idem soleret præstare. Hæc profectò pietas Horatij filij in patrem pudefacit multos Christianorum liberos.

24. Quòd nunquam ortus sui conditio parùm sibi cara & beata futura sit, declarat loco dissimilitudinis: *Nunquam, quemadmodum permulti culpam ignobilitatis suæ conferunt in obscuros parentes; sic meam accusatione patris mei defendam, longè aliter atq; illi educatus & institutus.* Idẽ paribus dilatare potest, non minus animo grato genus meum, Mæcenati recensere possum, quam Glaucus suum Diomedi apud Homerum potuit. *Hippolochus*, ait ibid. *qui ternis Bellerophontis liberis supererat, me genuit, & huc ad bellum Troianum dimisit, multis verbis iubens, vt semper ad optima niterer, & inter cateros existerem eminentissimus, ne alioquin genus meum dedecorarem, degenerarem q; à maioribus, quos constat ex omnibus, qui vel in Ephyra vel in Lycia fuerunt, longè fuisse eminentissimos.*

Τούτου τοι γενεῆς τε καὶ αἵματος εὔχομαι εἶναι.

Huius equidem generis & sanguinis me glorior esse.

Vterque profectò & Glaucus & Horatius videtur ad hanc erga terrenos parentes pietatem instructus consilio Menadri, qui palam professus est, illos ortus nostri, nostræq; vitæ tanquam Deos esse. Θεοὶ μέγιστοι τοῖς φρονοῦσιν οἱ γονεῖς. *Parentes, ut sapientibus Dij maximi.*

25. Eodem argumento genere docet, se parentibus suis contentum maximè, neq; sibi delecturum alios clariores ad gloriam & ostentationem, vt pleriq; alij facerent, si liceret renasci per naturam, & quos mihi liberet, deligere parẽtes. Similem huic posset adhibere optionis concessiæ negationem, & recusationem, qua vtitur Cato sub fin. Dial. de Senect. vt ostẽdat suã moriendi cupiditatem, hac maiorũ collatione. *Equidẽ efferor studio Patres vestros, ô Lælii & Scipio, quos colui & dilexi, videndi, neq; eos vero solum conuenire aueo, quos ipse cognoui, sed illos etiam de quibus audiui & legi, & ipse conscripsi*, quam cupiditatem auget duplici similitudine, altera sumptâ à lusoribus puræ, altera à cursoribus. *Quò*, id est, ad quos Patres, *me quidem profiscentem, haud sanè quis facile retraxerit, neue tam quam prius retorserit. Quod si quis Deus mihi largiatur, vt ex hac ætate repuerescam, & in cunis vagiam, valde recusem, nec verò velim quasi decursio spatio ac cursu ad carceris ostium vocari.* Aliam quoq; simili em ad præcedentes habet Homerus Ιλιαδ. ι. qua Phænix vtitur ad Achillem.

Ὡς αὖ ἔπειτ' ἀπὸ σεῖο φίλου τέκος οὐκ ἐθέλοιμι
Λείπεσθαι οὐδ' εἴκοι μοι ὑπεκπροφέρων θεὸς αὐτὸς
Γῆρας ἀποσσύσας, θῆσαι νέον ἡβώοντα,
Οἷον ὅτε πρῶτον λίπον Ἑλλάδα καλλιγύναικα.

Quare dilecte fili, abs te velim equidem
Deseri, neq; si mihi Deus ipse promitteret,
Senectutem abradem, efficturum me iuuenem pubescentẽ
Qualis eram cum primum reliqui Græciam formosis mulieribus ornatam, &c.

26. Huiusmodi Poetæ institutum declaratur aduersis: *Vulgus imperitum & speciosis imaginib. maiorum capitum insimularet me his parentibus contentum summæ dementiæ & vituperaret: tu verò Mæcenas, qui nullos vnquam magistratus gesseris, & ordine Equestri ac loco contentus vixeris, nec prudentiæ huius nomine miris laudibus prædicares, qui onus meis humeris insuetum non recepissem.*

27. Locus item est aduersorum, tractatus tamen cõparatè: *Vt splendor generis aduersatur obscuritati: si quæ circumstant vtrumq; sibi aduersari videntur. Illud magnas facultates, sumptus, prensationes, plures seruos, comites, equos, vehicula requirit: hoc, rem tenuem, perexiguum sumptum, vnicum*

caudâ curtatâ mulum, nullum famulum, nullum vehiculum desiderat, quum peregrè proficiscendum est.

28. Hic status humilis & obscurus Poetæ dilatatur minorum comparatione: *quòd mille commoditatibus superet Senatorium*: cuius apodosis approbatur ex adiunctis. Hic enim, nisi magnificè nitescat vsquequaque, statim inelegans, sordidus & immundus habetur.

29. Protasis quoque illustratur accessione variarum commoditatum: *quòd humilis status vbiq; facilem viam, parabilem victum, facile ministerium, supellectilem, facilia deniq; omnia somnium, & ex eo expergiscendi & obeundi vadimonij, rursusq; cubandi, inambulandi, deinde post lectionem & scriptionem vngendi oleo longè alio, atq; est illud, quo Naca vngitur* (vbi est argumentum a dissimilibus) *liberam facultatem habeat.*

30. Huc accedit alia commoditas, *corpus lauandi, quũ Sirio torrentur omnia, & domi quiescendi.*

31. Rationem sui victus ostendit parium collatione: *quòd tantum prandeat, quantum satis sit ad exspectandam cœnam, sine latratu ieiuni stomachi & murmure intestinorum.*

32. Concludit Satyram minorum collatione: *se humili loco natum, honestis studijs septum, & sua sorte contentum nobilius ac iucundius victurum quolibet generoso & ambitioso*, vt nobilitas a Mæcenate fuerat definita. Itaque de Horatio idem statuamus, quod P. Ramus de Virgilio in ipsius vita, vt ipsi attigimus in vita Horatij a nobis initiò huius operis digesta: *Satis constat Virgilij genus patriâ obscurius & ignobilius fuisse, vt tantò magis miremur ignobilis & patriæ & generis tam nobilem partum exstitisse: & quas vulgus magnorum hominum & excellentium caussas præcipuas putat, caussas sæpè nullas esse: veramq; hominis nobilitatem virtute cùm corporis, tum animi constare, a fortuna vel loci vel generis nihil admodum pendere.*

Enarratio Grammatica.

Lydorum.] Lydi fuerunt incolæ Lydiæ, quæ regio fuit minoris Asiæ, vbi olim Crœsus regnauit. Lydia autem nomen inuenit a Lydo filio regis Aryos & fratre Tyrrheni: e qua genealogia Ethrusci dicuntur originem duxisse: de quibus copiosè scribit Dion. Halic. l. 1. antiquitatum & de nominibus illorum: itẽ nonnihil Herodotus lib. 1. Præterea Lydi memorantur maximâ fuisse & expeditissimâ celeritate: vnde Pindarus παρὰ Λύδιον ἅμα πεῖσ' ἰχνεύων' *Currum Lydium velocitate exaquare*, quod abijt in prouerbium in eos, vt est in Periegesi Dionys. & in scholijs Eustathij præcipuè, *οἱ συνωριοχείᾳ ἠτιῶντο, qui in aurigatione vincuntur:* memorantur quoque promti ad seditiones concitandas: ideoque Cyrus victo Crœso interdixit illis armorum vtu: vnde ad luxum cultus, vitæ, Veneris, Bacchi reliquarumq; deliciarum se traduxerunt: quibus remollescere illis animi cœperunt. Hinc factum est λυδοπαθὴς, *mollis & voluptarius*, & λυδίζειν, pro, *mollitiem illorum imitari.*

Quicquid Lydorum.] De hoc genere syntaxeωs diximus in Grammaticis 5. Epodωn, quod hîc valet, quotquot vel quicunque Lydi regionem Ethruscorum incoluerunt, nullus eorum tibi præstat generis claritate. Hæc quidem comparatio, si quos fortè tum habuit Mæcenas patrueles in Lydia, videtur iniuriosa e ratione syntaxeωs in Epod. 5. notata & sumpta ex interprete Terentij.

Generosior.] Hæc vox geminatur Paradoxo. 3. *cùm nobilis: lapsa est libido cum muliere ignota, dolor ad pauciores pertinet, quàm si etiam petulans fuisset in aliqua generosa ac nobili virgine*: ita 2. de Repub. Platonis γενναῖος huic respondens geminatur cum ἁπλοῦς, οὐδὲ ἁπλοῦν ἢ γενναῖον δοκεῖν, *virum simplicem & ingenuum videri.* Item cum θυμοειδὴς Herod. lib. 2. γενναῖος ἢ θυμοειδὴς, *generosus & animosus.*

Legionibus imperitârunt.] *Imperitare & seruire* Sat. 7. l. 2. *Tu mihi, qui imperitas alijs, seruis miser:* item *imperare & parêre* mutuâ se relatione afficiunt, quod posterius infrà vsurpatur, *quòd mihi pareret legio Romana Tribuno.* Recentiores autem Græci e Latino *legio* fecerunt τὸν λεγεῶνα, licet Etymol. deflectat παρὰ τὸ λέγειν, vt Latini Grammatici a delectu militum, ita docent legionem nominari, quâ sex millia & sexcentos & sexaginta sex milites Suidas scribit contineri: sed paullò aliter Varro lib. 4. de ling. Latina, & Veget. lib. 2. cap. 2. quos, si vis, lege. De partibus autem legionis ita ex historijs statuere possumus, vt per ordinem ætatis singulas distinguamus. Itaque in legione prima ætas est Triariorum, altera principum, tertia hastatorum, vltima velitum, quæ, velitum demtâ, subdiuiduntur sigillatim in decem centurias: quibus singulis præficiebantur primarij centuriones. Singulæ autem centuriæ sic in triarijs vocabantur, primum pilum, secundum pilum, tertium pilum, ac deinceps ad decimum vsque pilum: in principibus, primus princeps, secundus princeps, vsq; ad decimum: in hastatis, primus hastatus, secũdus hastatus, ad decimum etiam vsq;: duces præterea ita quoq; appellabãtur, primi pili centurio, primi principis centurio, primi hastati centurio & ita vsque ad decimum: sed velites in has triginta centurias pro rata parte subdiuidebantur. Itaque quum legemus in historijs aliquem esse primi pili, vel primum principem vel primum hastatum, intelligamus eum esse primæ centuriæ triariorum, vel primæ centuriæ principum, vel primæ hastatorum. De legione & cohorte reuise, quæ dicta sunt in Oden 3. lib. 1. quò potest addi ex eodem Vegetij lib. antè citato proprium Romanarũ legionum signum fuisse aquilam, & in prima cuiusque legionis cohorte vexillum illud gestari solitum. Huic autem aquilæ positum erat modicum sacellum, vbi inerat effigies aquilæ vel argentea vel aurea. Id vexillum, vel eam capsulam hastæ impositam ex inferiori parte acutæ, quâ defigi posset in terram, gestabat is, qui vocabatur aquilifer, vt Dio refert lib. 40. Locus autem Ciceronis in prima Catilinaria indicat illam aquilam diuino cultu affici solitam, tanquam Deam; a qua quidem Catilina cum veneratione precabatur triumphos & honores Marij, qui eam habuerit in bello Cimbrico. Verba autem Ciceronis sunt, *a Manlio etiam aquilam illam argenteam, quam tibi ac tuis omnibus perniciosam esse confido & funestam futuram, cui domi tuæ sacrarium scelerum tuorum constitutum fuit, sciam esse præmissam. Tu, vt illâ deuius carere non possis, quam venerari ad cædem proficiscens solebas: a cuius altaribus sæpè istam dextram impiam ad necem transtulisti.* Liuius lib. 8. scribit in prima acie hastatos collocari, in secunda principes, qui & antepilani dicebantur & robur exercitus, quò illud Thrasonis in Eunuch. Act. 4. Scen. 7. *Tu hosce instrue: hic ego ero post principia: inde omnibus signum dabo*, & Suetonij in Othone capite 6. *Inter faustas acclamationes strictosq; gladios ad principia deuenit*, pertinet, in tertia denique acie triarios. Sed de ratione institutisque castrorum Romanorum lege Pollybium σὺν τῷ περὶ πολιτείας Ρωμαίων.

Vt pleriq;.] Qui hanc scribunt vocem per *e*, videntur ipsam deflectere ab obliquis comparatiui *plus*, *u* in *e* conuerso: Qui verò per *a*, a Græco πλήρης: Sed utramlibet sequaris scripturam, vis tamen eadem retinebitur significandi maiorem hominum partem in auorum

auorum imaginibus nobilitatem collocantium: quæ significatus ratio poteſt facilè cognoſci ex oppoſitis apud Saluſtium, *in diuiſione orbis terræ plerique omnes in tertia parte Africam poſuêre: pauci tantummodo Aſiam & Europam.* Similis eſt oppoſitio. lib. 2. Epiſtol. 1. huius poetæ.

Si quædam nimis antiquè, ſi pleraquè durè,

ad hanc autem ſignificandi exſuperãtiam apertius ex primendam accedit ſæpè τὸ *Omnes.* Terent in And. act 1. Sc. 1.

Quod plerique, omnes faciunt adoleſcentuli.

Idem in Heaut. *dixi pleraquè omnia.* Agellius lib. 1. *verſus ex Georgicis pleriquè omnes ſic legunt:* hæc prætereà loquendi formula manauit Priſciano lib. 8. ab Atticis, qui ſic dicunt, πλείονες δὴ πάντες τοῦτο λέγουσιν ἄνθρωποι.

Naſo ſuſpendis.] Pro hoc Perſius Sat. 1. dicit nimis vncis naribus indulges, atque ad Galat. cap. 6. Græcè dicitur, μυκτηρίζειν, *ſubſannare:* μὴ πλανᾶσθε, θεὸς οὐ μυκτηρίζεται, *ne ſeducimini, Deus non irridetur.* Eſt autem propriè naſo indicare ſe grauiter aliquid ferre & faſtidire. μυκτὴρ γὰρ ὑβρίν πνεῖ καὶ περιφρόνησιν, *naſus enim contumeliam ſpirat & contemtionem,* quæ Quint. lib. 11. cap. 3. confirmat, *Deriſus,* inquit, *contemtus & faſtidium naribus ſignificantur.*

Quum referre.] Id eſt, quum nihil intereſſe dicis in definienda nobilitate, e quib. natus ſis parentib⁹, dum probus & ingenuus fueris. *Re* autem ſyllaba in hac verbi notione, pro vtile eſſe & prodeſſe, producitur, a nomine *res* variatum & iunctum.

Poteſtatem Tulli.] Apocope eſt pro, Tulli, & ellipſis *regiam in poteſtatem.* Fuit autẽm Seruius Tullius vt refert Liuius. 1. Decad. lib. 1. & Dionyſ. Halicar. lib. 4. ex Ocriſia adhuc ſerua natus, poſteà gener Tarquinij Priſci, & hoc mortuo rex ſextus Romanorum ſocru Tanaquili ſic hortante: *Tuum eſt,* inquit, *Serui, ſi vir es, regnum: non eorum, qui alienis manibus peßimum facinus fecêre: erige te, Deosq; duces ſequere, & qui ſis, non vnde natus ſis, reputa.*

Ingenuus.] Hoc epitheto εὐψυχία ſignificatur, fortitudo & animi præſtantia, quæ in ſeruis etiam reperitur, vt in Plauto ſeruilis fortis, in Terentio, & in aliis pleriſque, quos lectio hiſtoriarum tibi facilè indicabit, qualem Pomponius Lætus ſcribit fuiſſe imperatorem Flau. Val. Iuſtinum Thracem ſine imaginibus, ſine tribu, vtroque parente ignobilem, in adoleſcentia ſubulcum, &c Itaque Cic. lib. 3. ad fam. Epiſt. 7. ad Appium Pulcrum e ſententia Athenodori, qui fuit Suidæ Sandonis filius, Philoſophus & Cæſaris Auguſti præceptor, oſtẽdit intereſſe inter εὐγένειαν, & nobilitatem, quia poteſt quis εὐγενὴς eſſe, id eſt, e claris parentibus natus, qui non ſit nobilis. Contrà, poteſt aliquis eſſe nobilis, qui tamen non ſit εὐγενὴς, id eſt, ex illuſtri familia ortus: vnde apparet nobilitatem non a maioribus accipi, ſed a virtute ſummiſque in Remp. meritis comparari, ex quo bene apud omnes audiuit, atque ijſdem ſumma cum laude ſpectatus fuit: quod eſt nobilem eſſe, quaſi noſcibilem diceres. Ad quam vocis rationem Cicero ad Hircium ſcribit nobilitatem nihil aliud eſſe, niſi cognitam virtutem: quam nec illa εὐγένεια, maiorum claritas, nec ipſamet propria εὐφυΐα μόνη, bona indoles ſola cuiquam dare poteſt: oportet igitur nobilitatem æſtimare ſolâ virtute: actionibuſque honeſtis. Itaque ferunt meritò Themiſtoclem, vt eſt apud Ciceronem, Seryphio cuidam in iurgio reſpondiſſe, quum ille dixiſſet: *non eum ſuâ, ſed patriæ gloriâ ſplendorem aſſecutum. Nec hercle,* inquit, *ſi ego Seryphius eſſem, ignobilis eſſem: nec ſi tu Athenienſis eſſes, clarus vnquam fuiſſes.* Huiuſmodi magnitudinem animi requirens in filio mulier Lacæna hoc Græco epigrammate celebrata eſt l. 1. Epigram. c. εἰς ἀνδρίαν.

Μήτηρ ὑᾶ λιπόντα μάχλιν μετὰ πότμον ἑταίρων
Ἑπτανεν ὠδίνων μνῆσιν ἀνηκαμένη.
Καὶ γὰ γνήσιον αἷμα διαπρίνει Λακεδαίμων
Ἀλκὴν μαρναμένων, ὃ γενὲν βριφέων.

Mater filium relicto prœlio poſt necem ſociorum occidit, dolores partus oblita. Quòd legitimos liberos ſecerneret ab illegitimis Lacedæmon fortitudine pugnantium, non natalibus infantium:

Ignobile regnum.] Id eſt, ab ignobili detentum: contrà iactat Helena Paridi regnum eſſe nobile, Epi. Helenæ Paridi apud Ouid.

Nec te Palladios, nec te Iunonis honores
Auditis Helenes propoſuiſſe bonis.

Nullis maioribus.] Sic Græci vocant ὀτιδανοὺς ἀνδρὰς, ἢ ὀδαμινὰς, *homines contemtos & nihili & nullo quaſi loco habitos* ὀδαμᾶ ὄντας, qui nuſquam ſint, nec vllo in pretio habeantur.

Lauinum Valerî genus.] Id eſt, progeniem. Hunc P. Valerium eſſe Liuius lib. 2. Decad. 1. ſcribit, quem poſt L. Tarquinium Conſulatu motum L. Iunius Brutus comitiis centuriatis collegam creauit, quo adiutore reges eiecerat, cui poſteà, quòd popularis eſſet, inditum eſt nomen Publicolæ, a cuius virtute ſic Læuinus deſciuit & contemtiſsim⁹ fuit filius, vt quidam volunt: vel ab illa familia ducit originem, quæ initiò nacta eſt hoc cognomen a ſiniſtra & improba morum opinione.

Vnius aßis.] De aſſe vide Gramm. Sat. 1.

Licuiſſe.] Repete a priori, vere perſuades Læuinum nunquam æſtimatum fuiſſe pluris vno aſſe. Eſt autem hoc verbum notionis paſſiuæ, vt l. 12. ad Attic. *Hortos Druſi, quanti licuiſſet ſcribis.*

Qui ſtultus.] De ſtultitia populi ſic Iſocrates ad Demonicum: Εὐλαβοῦ τὰς διαβολὰς παρὰ ψυδεῖς ὦσιν. οἱ μὲν γὰ πόλλοι τὴν μὲν ἀλήθειαν ἀγνοοῦσι. πρὸς δὲ τὴν δόξαν ἀποβλέπουσιν. *Cauendæ ſunt calumniæ, licet falſæ. Vulgus enim veritatem ignorat, & ſolùm ad famam reſpicit.* Ideoque Phocylides admonet:

Λάῳ μὴ πίσευε πολύτροπός ἐσιν ὅμιλος:

Ne populo fidas, varium & mutabile vulgus eſt.

Imaginibus.] Polybius lib. 6. hac deſcriptione imaginem declarat, vt ſit inſignis alicui⁹ viri ſimulacrum, ore ſimilitudinem artificiosè effictam, coloribus, pigmentiſq; adumbratam referens: quod in parte domus inſigniori & celebriori poſitũ, ligneo armario includebant, Plin. 35. interpretatur partem illam, atrium: vbi Seruius annotat veteres conſtruxiſſe ſolitos culinam: vnde imagines maiorum etiam incluſæ fiebant longo interuallo fumoſæ, quarum commendatione & hominum errore Piſo dicitur obrepſiſſe ad honores, vt iam Od. 1. lib. 3. annotatum fuit ad verba: *ſublime ritu moliar atrium?* in veriloquio τὸ *atrium* enucleando. Ellipſis eſt hîc maiorum, quorum imagines in atriis ædium ordine habebant Romani collocatas, & in funeribus geſtabant, ad claritatem ſui generis arguendam. De quo fuit Od. 17. l. 3. & Epo. 8.

Remotos.] Pro quo dicit Cicero: *longè multumq; vulgo præſtantes.*

Namq; eſto.] Concedatur, quod ſequitur, populum anteponere nobilem ignobili.

Quam Decio.] Intelligit P. Decium prænomine Murem, qui primus e Deciis Conſul ſuâ virtute & in Remp. fide cum Tito Manlio Torquato vt Liu.

1. Decad. l. 8. & Cic. lib. 1. de Diuin scribunt: *Decii solâ virtute & in remp. fide nobilitati sunt sine vlla imaginum auitarum commendatione.* Idem scribit lib. 3. ad famil. Epist 13. *Insignia virtutis multi etiam sine virtute maiorum assecuti sunt: talium virorum tanta studia assequi sola virtus potest.* Vides hîc, lector, scriptores prophanos constituere auctores honorum modò populũ per ipsius suffragia, modò fortunam, modò humanam virtutem: sed audi veram eorum caussam e l. 1. Sam. c. 2. vers. 30. *Honorãtes me honorabo. Contemtores autem mei leues fient:* quam populus quidẽ, sed fidelis, solam agnoscit Psal. 21. nec vllam illius partem sibi arrogat, sed vni Iehouę totum hoc tribuit, neque etiam ipse, neque Dauid se in huius societatem offerunt, epinicium de eo Iehouæ canentes.

Censorq; moueret.] Ellipsis est sic explenda: Appius Censor moueret me magistratu, vel potiùs ab eo petito me repelleret.

Vel merito.]*Vel*, non significat hic disiunctionem, sed coniunctionem sententiæ, pro, atq; iure me repelleret a magistratu, vt in illo Terentii in Hec. 1. 1. *vel hoc quis non credat, qui nouit se abs te esse ortum?* Appij Censoris meminit Cic. l. 3. ad fam. Ep. 13. ad App. *vale & in censura &c.* Meminit quoq; Suet. in Claudio c. 24. vbi appellatur generis sui proauctor, id est, princeps, & in libello de viris illustribus. *Appius Claudius Cæcus in Censura libertinos, quoque in senatum legit*, qualem lectionem Liu. l. 9. vocat *infamem & ignominiosam*, vt doctè Læu. Torrentius in Sueto. annotauit.

Quiessem.] Donat. in hæc verba prolog. And. *Dehinc vt quiescant, &c.* notat, *rectè*, inquit, *nam quiescere ille dicitur, qui est insolens, & inquietus, nec in vno statu se potest continere.*

Sed fulgente.] Id est, ignobiles similiter ac nobiles ambitione & triumphalis gloriæ studio constricti tenentur. Sic de ambitioso Poeta loquitur Epist. 1. l. 2.

Quem tulit ad scenam ventoso gloria curru.

quem vocat aureum Epodis 9.

Quo tibi Tulli.]Hic Tullius ignobilis stante Pompeio senatoriam dignitatem assecutus est, sed illo mortuo eâdem orbatus est, Tribunus factus. De origine huius vocis repete memoriâ notas in Epod 4. Cæsare etiam cæso eandẽ recuperauit. Particulam *quò*, quidam interpretantur, in quem vsum, & quid profuit sumere &c. sed conijcio melius sic explicandum notâ interrogationis expunctâ post *tribunũ*, & repositâ post, *accreuit*. Quousque invidia tibi accreuit, o Tulli, quum senatoriam dignitatem obtinuisti, eâque amissâ factus es tribunus? & *tribunum* legendum non *Tribuno κατὰ τὴν αντίπωσιν*. vel si malis legere, quò invidiæ sumta vestis senatoria & obtentus Tribunatus accreuit? Id est, quantam tibi conflauit inuidiam deposita & sumta vestis senatoria?

Nam vt quisq;.] Calcei quoque nigri, lunati, ad crus vsque medium producti senatorum erant. Pro *nigris pellibus* Iuuenal. dicit Sat. 7.

Felix & sapiens & nobilis & generosus
Appositam nigræ lunam subtexit alutæ.

Martialis quoque lib. 1. Epigr. 49 de locis Hispaniæ ad Liciam:

Vbi, *Lunata nusquam pelles, & nusquam togæ,*
Olidaq; vestes murice: id est, nullos videbis nobiles, togatos & purpuratos. Cur autem nobiles gestarent lunatos calceos, lege proble. 76. Quæst. Rom. apud Plutar. cuius tamen rationes longè posthabeo ei, quam Isidorus lib. 19. cap. 34. de calceamentis attulit: Patricios, ait calceos Romulus reperit quattuor corrigiarum, assutâque Lunâ: Iis soli Patricii vtebantur. Luna autem in eis non sideris formam (*μιμουμένη* credo, quum est corniculata vel in cornua reflexa tertio die post ipsius synodon cum sole) sed notam centenarii numeri, C. literam huius numeri Latini primariam significabat, quòd initiò Patricii Senatores centum fuerint ex Romuli institutione. Qui autem hanc gestandi lunatos calceos consuetudinem fuisse Senatoribus Rom. scribunt, vt suprà Plutarchus, ad antiquitatem Originis Rom. indicandam ab Euãdro & Arcadibus, qui se venditabant *προσελήνους*, id est, Lunâ antiquiores, sicut Eustathius in periegesin Dionys. vbi loquitur de Arcadib. & Apollo. Rhod. lib. 4. Argon. & Scholi. Aristoph. in Nubes, aliquid certè dicunt: sed rem non, vt Isidorus, acu attingunt. Gallicè, *ilz ne touchent le poinct & ne rappent le but.*

Impedit crus.] Idest, vbi crus medium induxit pellibus nigris: ex hoc loco cognoscimus calceos Romanorum, non solum velasse pedes imos, sed tibia etiam crure tenus.

Clauum.] De lato clauo dictum est in Gram. Sat. 5.

Delubra.] Festus scribit hanc vocẽ dici a delibrando, id est, decorticando fuste, quem pro Deo venerabantur, quam Græci non dissimili etymo efferunt per *ξόανον τὸ ἐν ξύλῳ ἐξεσμενον ἢ λίθῳ εἴδωλον, simulacrum e lignis aut saxis sculptum*: quod potest confirmari ex hoc loco Seruij in Virg. Æneid. ad verba *delubra adeãt, &c.* sed *μετωνυμικῶς* p sede & loco simulacrorum sumitur: Græcè *λαβίδηρυμα ἢ ἴδηρυμα θεῶν, fanum Deorum.* Paullò aliter Macrob. l. 3. c. 4. e Varrone l. 8. rer. diuinarum scribit delubrum esse locum, in quo Dei simulacrum dedicatum est, sicut locum, in quo figitur candela, appellari candelabrum. Alias præterea rationes affert Seruius in vers. Aeneid. 1.

At gemini lapsu delubra ad summa dracones. Delubrũ, ait, dicitur, quod vno tecto plura amplectitur nũina: quia vno tecto diluitur, vt Capitolium, in quo est Iupiter, Iuno & Minerua: alij dicunt delubrum esse locum ante templum, vbi aqua diluitur.

Inhonestus matre.]Hic ambitiosus & ignobilis homo dicitur sic inhonestus, vt Chærea Terentianus appellat *Dorum Eunuchum hominem inhonestum, senẽ mulierem*, id est, fœdum & mollem, ait Donatus. De huiusmodi homine lege notas in 37. Odi l. 1. & Epod. 9.

Et cupiat.]Sententia clarior erit, si legis, *& cupiat haberi.* Hic autem Barrus muliebriter se comebat, & libidinosè viuebat: Ideoque in illum iactari meritò poterat distichon Ouidii:

Sint procul a nobis iuuenes, vt fœmina, comti,
Fine coli modico forma virilis amat.

Puellis inijciat.] Id est, curam afferar virginib⁹ inquirendi in singulas ipsius partes. Eâdem phrasi prior vsus est Terent. 4. 5. 77. Adelph.

Itaque adeò magnũ mihi iniecit suâ cõmoditate curam.
Ne fortè imprudens faciam, quod nolit, sciens, caueo.

Verba sunt Aeschini de patris Mitionis facilitate in se. Huic opponitur abijcere curam. Cic. l. 9. Ep. ad Pætum. Ep. 20. *Navi omnem nostram de Rep. curam, cogitationem de dicenda in Senatu sententia, cõmentationẽ caussarum abiecimus.* Hinc quoq; adimere curas. Terent. in Hecy.

Quantam obtuli aduentu meo lætitiam Pamphilo hodie!
Quot commodas res attuli! quot autem ademi curas!

Donat. Eunuch. Act. 2. Sc. 3. notat curã esse mentis, curationem Medicinæ, curaturam diligentiæ.

Túne Syri.]Hi tres fuerunt serui. Inuehitur Persius in quendam Marcum Damam & animo & corpore seruũ Sat. 5. vnde sententia est: Tu quum e seruo natus sis, audes potestatem vitæ & necis Romæ habere in ciues?

Tradere Cadmo?] Quidam putant hunc Cadmum fuisse lictorem & carnificem, alii legunt catinum, id est, cathenam: alij Camum, lorum & vinculum, & genus fræni, quod ori mancipiorum insertum erat, illis pœna, Græcè *λιμὸς φιμὸς*. Primum magis conuenit sententiæ, quia non agitur hîc de pœna seruorum sed ciuium Romanorum: ad quam valet plurimùm lectio Bathmo, id est, *ἀναβασμῷ*, vt Cruquius interpretatur, quo significantur gradus & scalæ Gemoniæ in Auentino, vnde damnati dabantur præcipites, sicut de saxo Tarpeio.

Namq; est ille.] Id est, Nouius est inferior me vno gradu, quùm libertus sit, qualis pater meus fuit, ego verò sim libertinus.

Hoc tibi.] *Hoc*, est ablatiuus caussæ significans, propter vnum gradum ęquiparas Paulum & Messalam eloquentiâ, patronos disertos, vel generis claritate, vt alij volunt. Messala Coruinus passim ab auctoribus celebratur. Quint. lib. 10. *At Messala nitidus & candidus, & quodammodo præ se ferens in dicendo nobilitatem suam.* Suetonius in Tiberio cap. 70. *In Oratione Latina secutus est Coruinum Messalam, quem senem adolescens obseruauerat.* Dio. lib. 49. Carolus Sigonius scribit hunc ducere originem ab illo Valerio, qui a coruo in prælio adiutus, Corui vel Coruini cognomen retulit. Is Bruti amicissimus fuit, & posteà opibus & gratiâ floruit apud Augustum. Præterea quàm fuerit Messala orator ætatis suæ præstantissimus, cognosces ex Epistola Ciceronis ad Brutum 14. cuius initium est, *Messalam habes* &c. cuius de virtute quum iam velut incogitans, multa dixisset, cursum orationis sic inhibuit: *sed provehor amore: non enim id propositum est huic Epistolæ Messalam vt laudem, præsertim ad Brutum, cui & virtus illius non minùs, quam mihi, nota est, &c.* Huius quoque libellus exstat de progenie Augusti, cuius tamen stylus mihi videtur nonnihil fidei de fama eloquentiæ derogare: vnde magna est suspicio illum ab alio conscriptum fuisse.

At hic.] Nouius tam claram edit vocem, vt quemlibet strepitum & sonitum superet. Sic Virg. Aeneid. 9. vsurpat adiectiuum neutrum pro aduerbio:

----- cunctatur & amnis Rauca sonans.

Vbi Seru. annotat: *licet antiquitas habuerit hic & hæc amnis, melius tamen est accipere, rauca sonans*, pro, raucè, *quàm rauca amnis.* Sic idem Aeneid 10. *Cometa sanguinei lugubre ardent*, pro lugubriter, ait Seruius, quæ syntaxis est planè Græca. Ita Homerus Οἰ. ξ *μεγάλα γεμάχοντες φοίτων, vehementer ingemiscentes incedebant*, pro *μεγάλως*. Item Iliad, α.

Τὴν δ' ἔτρεφον ἀνὰ τεῦσα,

quod Eustath. sic interpretatur: *ἀντὶ τοῦ ἀνῶς, τοῦτ' ἐστὶ λυσιτελῶς ἔτρεφον.* Verba autē sunt Thetidis ad filiū Achillem, *Quid te, postquam peperi, in malum alui.* Ibidē Scholiast. citat alteram antimeriam, *ἢ μαλλὰ πολεμόν δὲ σωοισόμεθα, ἀντὶ τοῦ μαλλῶς. Non honeste laudabiliterq; pugnam committemus.* Malo ita explicare & distinguere post sonabit, quàm construere cum *cornua.*

Si plostra.] Grammatici deflectunt hanc vocem a plaudendo, id est, sonitum manibus edendo, & strepitum pedibus faciendo: ideoque scribendum putant plaustrum, quod fuit vehiculum propriè matronarum ex historia Liuii 15. ab Vrbe: *honoremq; matronis ob eam magnificentiam habitum, vt plaustro ad sacra ludosq; carpentis festo, profestoq; traherentur.* De Carpentis sic Ouid. 1. Fast.

Nam priùs Ausonias matres Carpenta vehebant.
Hæc quoque ab Euandri dicta parente reor.

Saltem.] Grammatici, ac præcipuè Donat. in Andr. Act. 3. Sc. 2. v, 14. *saltem accuratè incipias fallere*, & Act. 2. Sc. 2. Adelph. *Meum mihi reddat, saltem quanti emta est, Syre.* explicat per *τὸ ἔχατον*, & addit, natum esse a captiuis *saltem*, qui nihil aliud pręter salutem a victore petant. Alij quoque tradunt similem eidem particulæ locum esse in desperata multarum rerum impetratione, quum solam petimus salutem: vnde fit contractè saltem. De qua particula idem sentit Seruius. in vers. Aen. 4.

Saltem si qua mihi de te suscepta fuisset
Ante fugam suboles.

annotans: *Hoc tantùm est a captiuis, qui quum tenerentur ab hostibus, dicebant sublatis omnibus, salutem concede. Hinc per synæresin natus est sermo, vt in contemtu rerum multarum perituri aliquid saltem dicant.* Sententia igitur est: *quum multa desiderentur in Nouio collega tuo ad perfectionem magistratus, nobis saltem vocis bonitate satisfacit.* De hac particula lege etiam 14. c. l. 12. apud Agell.

Tenet hoc nos.] Pronomen demonstrat summam & clarissimam Nouii vocem, quâ homines vehementer mouentur. Sic Terent. loquitur: *me grauiter tenet consuetudo.* Item Cic. *Summum me eorum studium tenet.*

Nunc ad me.] Qui volunt hîc demum Poetam incipere loqui, cuius erit sermo in principio, *Non quia Mæcenas nemo generosior est te, nasq; suspendis adunco ignoro, vt me libertino patre natum?* nónne nostri Poetæ? alij scribunt hæc verba non esse Horatii, *Namq; est ille, pater quod erat meus. Hoc tibi Paullus & Messala*: alii volunt esse transitionem a corrupto populi iudicio de honoribus indignè deferendis ad illud Mæcenatis incorruptum & integrum indicandum. Nullus horum rem ipsam attigit, quanquam alius alio propiùs accessit. In Rhetoricis monuimus ad verba, *quærere cogit*, vsq; ad hunc locū esse prosopopœiam alicuius e populo colloquentis cum nouo homine Syri filio per dialogismum, quę prosopopœia hîc deponitur.

Libertino.] His nominibus Latinis, *Libertus ac libertinus* hæc Græca respondent *ἀπελεύθερος καὶ ἀπελευθερικὸς*, *ἢ ἐξελεύθερος καὶ ἐξελευθερικὸς*, qui sunt medij inter liberos & seruos ordinis, *οἱ μεταξὺ τῶν ἐλευθέρων καὶ τῶν δούλων.*

Mihi Tribuno.] De ratione vocis *Tribunus* & creatione lege notas Gramm. 4. Epod.

Quem rodunt.] De hoc verbo dictum est in Saty. 4. Gramm. & Rhetor.

Vt forsan.] Valet fortassis.

Præsertim cautum.] Similis Hellenismus fuit Ode. 12. l. 3. *catus iaculari ceruos.* & Ode. 10. l. 1. *callidum iocoso condere furto*, & Ode. 14. l. 3.

Tuq; testudo resonare septem Callida neruis.

pro quibus Cic dicit, *cautus in scribendo, & cautus in periculis.* Item, *callidus ad fraudem*, & Plautus *ad quæstum*: ad quem modū Mæcenas hîc dicitur cautus in assumendis amicis & deligendis. In *sortitus*, est ellipsis verbi, *sim*, Notandum est hîc principes Rom. nō solitos dedignari suos clientes & familiares, quum ab his vocabantur amici, vt hîc videmus & Epod. 1. *ibis Liburnis amice, &c.* iam vidimus.

Felicem dicere non hoc me possum.] *Τὸ hoc* non debet construi cum casu, sed per se *αἰτιολογικῶς*, intelligi, & sumi sicut Sat. 1. huius,

Non tuus hoc capiet venter plus &c.

vbi valet, *ob id*, vel *idcirco.*

Singultim locuto.] *Διὰ τὴν ἰσχνοφωνίαν διαλεχθεὶς μικρὸν, interciso sermone parum locuto*, Gall. *ayant peu parlé & en paroles pronuncees a demi.* Definit autem Arist. in sect. 1. quæst. 30. Probl. *ἰσχνοφωνίαν, ἀπὸ τοῦ μὴ δύνασθαι ταχὺ συνάψαι τὴν ἑτέραν συλλαβὴν πρὸς τὴν ἑτέραν, ex eo, quod quis*

non possit citò alteram syllabam ad alteram annectere: vnde videtur deflecti παρὰ τὸ ἰσχεῖν τὴν φωνήν, *quòd facultate loquendi impediatur*. Hesych. interpretatur ἰσχνόφωνος duobus modis, primùm, vt sit idem, quod λεπτόφωνος, *homo voce gracili*: deinde ἐπεχόμενος τὴν φωνήν, cui vitio linguæ cursus vocis inhibetur: quæ linguæ hæsitantia & oris titubantia & vocis exilitas Quintiliano sæpè accidit præter impedimenta naturæ a metu & pudore, vt hæc nostro Poetæ. Ex his facillimè perspicis non ἰσχόφωνος, ἢ ἰσχεφωνία, sed ἰσχνόφωνος καὶ ἰσχνοφωνία scribendum. In promptu caussa est. Altera præter autoritatem, quòd ἰσχνὸς, vnde conflatur ἰσχνόφωνος, ab eadem origine, τὸ ἰσχεῖν deducatur,

Pudor prohibeat.] ἵνα γὰρ δέος, ἔνθα καὶ αἰδώς. *vbi enim est timor, & ibidem pudor*: contra ἢ δ' ἄδεια ἀναιδειαν ἐνέτιθεν. *securitas impudentiam parit*. vide de huiusmodi sententia Senec. epist. 11. ad Lucil.

Me Satureiano.] Seruius interpretans hunc vers. 2. Georg.

Salius & saturi petito longinqua Tarenti,
Saturi, id est, fœcundi, aut quòd est iuxta oppidum Saturum.

Tarentum enim & Saturum vicinæ sunt ciuitates Calabriæ, vbi hic locus citatur. Idem 4. Geor.

Milesia vellera Nymphæ
Carpebant hyali Saturo fucata colore.

Saturo, inquit, valet largo & abundanti, aut certè Tarentino, ab oppido Satureio, quod fuit vicinum Tarento: Caballus igitur Satureianus est equus Tarentinus, & in pascuis Apuliæ educatus, quæ creditur ferax nobilium equorum. Hesychius definit τὸν καβάλλην, ἐργάτην ἵππον: vnde intelligimus equum vilem: qualem etiam iudicamus Caballum Latinum, vt e versu Epist. 18. lib. 1. apparet *olitoris aget mercede caballum*, & Lucil. *succussator tetri tardique caballi.*

Turpi secernis.] Id est, qui nôsti probè, quid virtus generi præstet. Fuit Sat. 3. antè similis rectio,

Nec natura potest iusto secernere iniquum.

Sed Cice. sæpiùs addit præpositionem, *secerni blandus amicus a vero potest, & voluptas a bono*, in Lælio, & 2. de fin. vt iam Od. 3. l. 3. dictum fuit.

Alioqui recta.] De hac particula repete, quod est annotatum Sat. 4. ad verba *aut alioqui famosus.*

Naeuos.] quos Græci vocant τὰς ἐπονειδίστους κηλῖδας, *maculas minimè probrosas.*

Egregio.] Sic Ouidius lib. 5. de Trist. Eleg. 14. loquitur.

Nullus in egregio corpore naeuus erit.

Lustra.] Grammatici quidam inclinât hanc vocem a luto ad obscœnum & obscurum ferarum latibulum significandum. Alii tamen per antiphrasin, quòd illa loca parum lustrentur: atque ita Virg. accipere videtur 2. Georg.

Non absunt illis saltus ac lustra ferarum.

Mala autem lustra dicit, vt Epitheto maximè proprio ac natiuo, non distinctionis gratiâ, quasi reperiantur quæ bona sint: sed συνεχτικῶς, quod labem & perniciem ferant ijs, qui versari illic solent: Pro eodem dixit Satyrâ 2. huius *in olenti fornice stare*. De Lustris vide plura in Festo.

Pauper agello.] Alterâ syntaxi dicit Od. 35. l. 1. *Colonus ruris pauper*. Item Ode. 30. l. 3. *aqua pauper Daunus.*

In Flaui.] Hic Flauius in Arithmeticis exercitatus, docebat iuuenes rationem numerandi.

Suspensi loculos.] Phrasis est Græca, quam Latini reddunt sexto absoluto, Pueri loculis ac tabulâ calculatoriâ (colebatur enim a Romanis in primis ars ratiocinandi) brachio sinistro suspensis ibant in ludum Flauii.

Lacerto.] Lacertus propriè dicitur μῦς, musculus, cuius corpus constituunt fibræ a neruis & ligamentis exortæ, & carne simplici intertextæ, vt Galenus scribit initio comment. in libel. de fracturis. Dicitur autem vtroque nomine, vel quòd speciem præbeat muris excoriati, ac potiùs musculi piscis, vel lacertæ serpentis: inde lacertosus homo pro musculoso & toroso ac robusto vsurpatur Hanc certè descriptionẽ sequitur Eustathius in vers. Ιλιαδ. π. paullò ante medium lib. Δρύψ' ἀπὸ μυώνων &c. μυῶν, ait scholiastes, συνεῖται ἐκ νεύρων πολλῶν καὶ σωιτραμμένων σαρκῶν, *musculus constat e multis neruis ac interceptis carnibus*. Similis est Syntaxis in νεφελ. Aristophanis, ὥσπερ πατήρ σου διεφθέραν ἐνημμένος, *vt pater tuus panulam pelliceam alligatus ac indutus*. Loculi autem erant, quibus gestabantur necessaria, calculi, tabulæ ceratæ, vel buxeæ. Abaculus ad numerationem accommodatus, vel ad excipiendas debitorum summas & fœnus.

Referentes ara.] Quidam putant hoc intelligendum de didactro & Mineruali, quòd pueri numerabãt tali magistro singulis Idibus mensium. Alij de exercitio fœnoris, ac de vsuris & nominibus, quæ exigebantur Idibus a debitoribus, vt Calendis nummi ponebantur: Ideoque credunt hunc Flauium etiam fuisse fœnoratorem. Hic autem versus iterabitur Epist. 7. l. 1.

Semet prognatos.] Ellipsis est præpositionis, vt sit, ex seipso prognatos, id est, liberos suos, vel, vt quidam volunt ex vi præpositionis, pronepotes suos, quomodo Cicero 3. Tuscul. notat genus Thyestæ: *qualis enim tibi ille videtur Tantalo prognatus, Pelope natus, in magno*, id est, in celebri conuentu hominum.

Sumtus præberi.] Pro hoc Terent. in Adelph. dicit, *cur tu his rebus sumtus suggeres*, & Cic. 2. de Offic. *pecuniæ ratio sic collocanda, quæ perpetuos sumtus suppeditet* διηνεκεῖς δαπάνας δαπανᾶται, ἢ παρέξεται ὑμῖν, ὧν δεόμεθα.

Quid multa.] Ellipsis est, necesse est dicere de solicita patris custodia & diligentia.

Qui primus.] Prior & primus non semper dicuntur de numero & ordine, vt Don. & Seru. annotarunt, sed de laude & excellentia rei. Eunuch. Act. 1. Sc. 1. *nihil prius, neq; fortius*, expleatur collatio, *est, quàm negligere Thaidem reuocantem*, pro, nihil est melius & excellentius. Virgil.

Primos iuuenum tot miserit Orco.

Sallustius, *quæ mortales ducunt primæ.*

Vitio vertere.] Sic Cic. l. 7. ad famil. *ne sibi vitio verterent, quòd abesset a patria*: pro quo Terentius in prologo Andriæ, *nunc quam rem vitio dent, quæso, animum aduertite*. quomodo etiam Cicer. lib. 1. de Offic. non modo laudi, verùm etiam vitio dandum puto. Pro eodem dicitur 7. in Verr. *dare crimini, quòd acceperit pecuniam.*

Coactor.] Sic vocabatur, qui pecuniam Publicanorum colligebat, & vectigalia exigebat, quem Græci vocant εἰς πράκτορα ἢ δασμολόγον, qui, *tributa legit*, ἢ ἐπιλογέα, ἢ φορολόγον, *& vectigalia exigit*: qui denique sunt Aristoteli de mundo τῶν προσόδων ταμίαι καὶ διώρων ἀποδεκτῆρες, & Budæus more Gallico particularem receptorem: sed hæc vox vsurpatur a bonis auctoribus latinitatis pro latronum & lacrociniorum occultatore. Coactorum duo fuerũt genera: vnum eorum, quorum operâ publicani vtebantur ad suos certâ mercede reliquatores, vt loquuntur Iurisconsulti, persequendos: vel ipsi redimebant a publicanis reliquationes, vnde rem faciebant: alterum genus coactorum ministrabat argentariis, qui auctionibus præerant, & pretia rerum venditarum etiam mercede ab emtoribus repetebant: & hoc erat coactiones argentarias factitare: quale munus pater Horatij obijt: quale etiam Suetonius scribit

ſcribit Titum Flauium Petronium obijſſe, in D. Veſpaſiano Auguſto: qui, vt ait hiſtoricus, *municeps Reatinus, bello ciuili Pompeianarum partium Centurio, incertum ſponte, an euocat⁹ profugit e Pharſalica acie domumq; ſe contulit: vbi deinde veniâ & miſsione impetratâ, coactiones argentarias factitauit.* Hic e filio cognomine Sabino & nuru Veſpaſia Polla ſuſcepit nepotes: quorum natu maior Sabinas ad præfecturam Vrbis, minor Veſpaſian⁹ ad principatum vſque proceſſit. Ex his profectò debēt homines obſcuro nati loco diſcere, obſcuritatem generis nemini probo vertendā, nec ſic nato diſſimulandam: quorum prius præſtitit Mæcenas: poſterius Horatius & imperator Vaſpaſianus.

Nil me pœniteat.] Id eſt, non parum ego putem, vt Donatus explicat ſæpè, dum ſanæ mentis ero, natum eſſe me hoc patre. Gall. *ie me contenterai fort, durant, que ie ſerai homme de ſain entendement, ou bien ien' eſtimerai pas peu de choſe, d' auoir un tel pere.*

Eoq;.] Valet hæc particula, ideoque, vel, iccirco, vt modò monui.

Diſcrepat iſtis.] Orator ferè conſtruit cum præpoſitione. Parad. 1. *ab opinione vulgari diſcrepat. Vox* eſt hîc ſermo & verbum, vel διαλεκτικώτερον dicendo, axioma & enunciatum, quod Gall. ſic pronunciares: *Et pour cela ie ſens & parle bien aultrement de la condition de mon pere, que la pluſpart des aultres enfans ne faict du ſien.*

Nam ſi.] Hæc ſic γραμματικῶς reſoluo: ſi natura iuberet ævum paractū remeare a certis annis, id eſt, maiores noſtros aut homines priſci ſeculi reuiuiſcere: ſi etiam quisq; optaret legere ſibi alios quoſcunq; parentes ad faſtum; ego contentus meis nolim ſumere mihi (parentes) faſcib. & ſellis honeſtos: hîc accipio τὸ *optaret*, pro optionē haberet eligendi, quos vellet, parentes: quomodo Don. ſcribit ſumendū in Eun. Act. 5. Sc. 9. ad hæc verba, *Quoduis donum & præmium à me optato.* Totum, ait, militariter dicitur, & optatio, & optari, a militibus Gall. *ie te donne le chois a me demander, quelque donque tu voudras.* Cato in Dialogo de Senect. ſimilem optionē adhibet: *quòd ſi quis De⁹ mihi largiatur, vt ex hac ætate repueraſcam, & in cunis vagiam, valde recuſem.*

Ævum.] Rationem huius vocis attigimus Od. 12. l. 1. ad verſ. *creſcit occulto ævo*, & pleniùs Epiſt. ad Piſon. ad ver. *Semper in adiunctus, ævoq;, &c.*

Honeſtos faſcibus.] Ornatos, inſignes, cohoneſtatos dignitate Conſulari, prætoriâ & ædilitate. Ex hoc loco apparet τὸ *honeſtum* non tantum referri ad genus, familiam & ad mores, ſed ad dignitatem: atque ita Cic. Epiſt. 15. l. 2. ad Fam. *honeſtum* pro *exiſtimatum* & *honoratum*, ſumit, *Cæſarem honeſtum eſſe cupio*: Hîc quidam legunt, *onuſtos* propter onus ſequens. Huiuſmodi enim magiſtratus tanquam onus dicitur Varr. l. 4. de ling. Lat. geri: vnde honos deflectitur, & honeſtus, quaſi oneratus, notatur. Cur autem faſces perferrentur olim, vide Plutarchum in quæſt. Rom.

Sellis.] Intelligit ſellas Curules ex ebore factas; quibus maiores magiſtratus vehebantur: ſella autem dicitur Seruio in Aeneid 7, quaſi ſeda, vt ſolium, quaſi ſedium, per antiſtichon.

Salutandi plures.] Ad ambitiosè captanda eorum ſuffragia, vt hic ipſe loquitur Ep. 2. l. 2. & Ep. 6. l. 1.

Calones.] Calones qui & vnde dicantur, notatum eſt in Gramm. Sat. 2.

Petorrita.] Petorritū fuit olim vehiculū Belgicū, vt ait Varro. l. 14 rer. diuin. & vt docet Agell. l. 15. c. 30. vbi notatio vocis a velocitate rotarum irridetur.

Mantica.] Quæ Græcis eſt πήρα, & Latinis hæc etiam vſitata, Martialis lib. 14.

Me mendica ferat barbati prandia nudi,
Dormiat & tetrico cum cane, pera rogat.

Fit autem e corio & pelle, ſicut κώρυκος, ſaccus, vnde proverbium apud Catullum ad Varum 19. *Non videmus manticæ, quod in tergo eſt.* Horatij ſententia poteſt dici Gallicè: *Ie pourrai aller voire iuſques a Tarente, s'il me plaiſt, ſur vn mulet haire, auquel la beſace eſcorchera les flans, & le chevaucheur les eſpaules, comme il aduient aux montures des pauvres gens.* Videtur hoc ſumtum ex Lucillio:

Mantica cantheri coſtas grauitate premebat,

Mirum, quàm illuſtrem reddat hunc locum Epiſt. Sen. 88. l. 13. vbi Lucil. hortatur ſuo & Cat. exemplo ad frugalitatem: *o quantum erat ſeculi decus, Imperatorē triumphalem, Cenſorium, &, quod ſuper omnia hæc eſt, Catonem, vno caballo eſſe contentū, ac ne toto quidem. Partē enim ſarcinæ ab vtroq; latere dependentes occupant. Ita non omnibus obeſis mannis & aſturconib⁹ & tolutariis præferes vnicū illum equum ab ipſo Catone deſtrictiūs?* integram Epiſt. ne te Lector pigeat legere, quod nemo certè facit ſine fructu.

Quas tibi.] Rurſus dente laceſſit Tullium præter dignitatem Senatorium, vt anteà.

Tiburte viâ.] Puto hîc Tiburte poſitum ἐπιθέτως, pro Tiburtina via, quæ ducit Tibur: de quo quidem oppido dictum eſt in Gram. Od. 7. l. 1. & hic verſus citatus.

Laſanum.] Heſychius interpretatur τὰ λάσανα, ὡς βέρεθρα καὶ ἀφοδοσυνθήκας λίφρας, cloacas & ſellas familiares, id eſt, loca & vaſa ad onus ventris deponendum: & pueri, qui præficiuntur portandis talib⁹ ſellis, Græcè dicuntur λασανοφόροι, vt poculis, οἰνοφόροι. Hæc autem duo vaſa λάσανον καὶ οἰνόφορον, memorantur hîc ad crapulam hominis, immunditiam, ſordidoſque comites & familiæ turpitudinem indicandam.

Hoc ego.] Ablatiuus eſt cauſſæ, id eſt, iſta libertas proficiſcendi quólibet, nullo ſumptu & apparatu facit, vt viuam commodiùs, quàm tu ſenator.

Fallacem Circum.] Circus vox eſt Latina, quam Græci recentiores vſurpârunt. Athenæus lib. 14. de L. Antio, μεταπεμψάμενος τοὺς ἐν τῇς Ἑλλάδος ἐπιφανεστάτους τεχνίτας, ἢ σκηνὴν κατασκευάσας μεγίστην ἐν τῷ Κίρκῳ: accerſitis è Græcia clariſſimis quibuſq; artificibus ſcenam cōſtituit maximam in Circo, id eſt, in loco circulari & in orbem acto. *Modo enim Circi ſpectaculum Romæ fuerat*, ait Liuius: *illuc conueniebant ſæpè rerum furtiuarum venditores, coniectores, aſtrologi, & ſomniorū interpretes ad fallacias, dolos & præſtigias compoſiti.* Inde Auguſt⁹ ad cōmunionem ſermonis & iucunditatem pueros ſymphoniacos, hiſtriōes, triuiales ludios, & ſæpiſſimè aretalogos, qui grata dicerent auditor b⁹ arceſſi iubebat, vt ſcribit Suet. in ipſius vita c. 74. Tertull. dixit Circū dici a *Circe*, quòd prima ἔδωκεν Ἡλίῳ πατρὶ Κιρκήσια, *exhibuit Soli patri ludos Circenſes*: De *Circo* vide 1. de Diuin. Cic. ſub fin. & 2. de leg.

Veſpertinus.] Quia veſperi liberior eſt inambulatio in foro minùs celebri ac frequenti.

Ad porri.] Porrum eſt herba Dioſc. l. 2. c. 179. Græcè dicta τὸ πράσον, cui⁹ vires diſce ex hoc auctore. Vox autem Latina notatur, quòd porrò eat, paſſimq; ſerpat. De *Cicere* ibidē c. 146. quod Græcè dicit ἐρέβινθος. λάχανον minus eſt generale, quàm βοτάνη: illud enim tantùm ad eſculenta pertinet, hæc ad omnes omnis generis herbas. Deflēctitur autē παρὰ τὸ λαχαίνεσθαι τὴν γῆν ἐπὶ φυτεύσει αὐτῶν, *ab effodienda terra ipſius conſitioni*, vt Latinum *olus* illi reſpondens, verbi notione ab alēdo: ex quo tenuiores prandium ſibi apparabāt, & victū ſumebant. Ex illo Græco ætate Auguſti vſitatū erat vulgò Romæ verbum *Lachanizare*; ꝓ quo Imperator maluit vti *Betizare*, pro languere, vnde Catulli verſus,

Languidior tenerâ cui pendens ſicula betâ.

vide Suetonium in Octauio cap. 87. Alij codices habent, *Lagani*, quod mihi minùs probatur, quum cibus

sit non iuxtà parabilis, atque Lachanum, sicut ex definitione liquidò apparet. Hesyc. λάγανον εἶδος πλακουντίου, ὡς ἡ πυρῶδες ἀπὸ σεμιδάλεως οὐ ἐλαίῳ τηγανιζόμενον, *laganum est genus placentulæ, vt torridum, è farina similaginis in oleo frixum:* πλάκους ἣ λέγεται γενικῶς ἄρτος πλατὺς ἐν γάλακτος ἢ μέλιτος, *placenta autem dicitur panis generatim latus e lacte & melle*, eiusque sunt infinita genera: vnde constat laganum nõ esse σύνθετον. Dicitur autem παρὰ τὸ λάγαρον, *a vacuitate vel a vacuando.*

Et lapis albus.] Id est mensa marmorea & Delphica minimi pretij, in qua semper statuebantur paria poculorum pro numero conuiuarum, quorum singulis bina pocula ponebantur.

Astat Echinus.] Hoc nomen e Græco factum est. Ἐχῖνος δὲ ἐστὶ τὸ ζῶον ἀκανθόκοιτον, *Echinus est animal setis & spinis horrens*, cuius tam asperitatis, quàm formæ causâ translatum est ad multa significanda, quæ a Grammaticis notantur: Ego autem dicam ex Hesychio & Polluce hunc Echinum significare τὴν λοπάδα ἢ σκεῦος μαγειρικὸν, καὶ χύτρας εἶδος, *vrnam & vas coquinarium & olla genus*, siue ex ære, siue ex terra, vel alia materia factum. Magna est tamen coniectura e supellectile Campana Echinum fuisse vel figulinum vel æneum propter bonitatem soli Campani & æris.

Guttus.] Guttus dicitur Græcè πρόχοον, quo guttatim vinum vel aqua funditur. Gall. *aiguire de biberon.*

Cras surgendum.] Id Græcè dici potest, αὔριον ἀναστατέον πρωΐ.

Marsya.] Fabulantur Poetæ Marsyam fuisse Phrygem tibicinem, qui cantando victus ab Apolline excoriatus est, vt constat e l. 6. Fast. & e l. 1. Epigr. Græcorum c. ια. vbi scribitur per υ psilon. Huius statua in foro Romæ posita erat ad deterrendum iniquissimos quosq; litigatores: ad quam sistebant vadimonia, de quo hic Martialis pentameter creditur iactatus:

Ipse potest fieri Marsya caussidicus.

Huius quoque statuæ meminit Seruius in hunc versum 1. Aeneid. *Legiferæ Cereri, Phœboque patrique Lyæo.* qui postremus ab interprete vrbibus aptæ libertatis Deus nominatur, vnde Marsyas ipsius minister est in ciuitatibus libertatis indicium. Meminit præterea eiusdem Seneca lib. 6. de beneficiis, quum scribit: *amissos gregatim adulteros, pererratam nocturnis commessationibus ciuitatem, forum ipsum, ac rostra, ex quibus pater legem de adulteriis tulerat, filiæ in stupra placuisse, quotidianum ad Marsyam concursum, quum ex adultera in quæstuariam versa ius omnis licentiæ sub gnoto adultero peteret.* Meminit denique C. Iul. Solinus c. 43. *Marsyas Apameæ in Phrygia natus est ac sepultus, de cuius nomine est fluuius Marsyas & fons Aulocrene index audacium in Deũ Apollinem tibiarum, & Musici certaminis cum eodem*, quod apertè docet Eustathius in versum Dionys. periegesis, πρὸς ἣ Νότον τέρραι καὶ Νωρικὴ ἄστυ ἐρυμνὰ, *ad austrũ Gerræ & Noricæ vrbes munitæ*: & ad hæc verba scholiorum: τινὲς δὲ ἱστοροῦσι καὶ ὅτι Νώρικοι οἱ Φρύγες τὸν ἀσκὸν καλοῦσι τῇ σφετέρᾳ διαλέκτῳ. Καὶ ὅτι ὀπυνίκα Μάρσυας ἐκεῖνος ὁ μουσικὸς ἀπεδέρη τὸ σῶμα ὑπ' Απόλλωνος, &c. *narrant nonnulli, Noricũ a Phrygibus vocari vtrem suâ linguâ & quòd Marsyas ille Musicus corpore quondam excoriatus sit ab Apolline*: cætera illic vide de ipsius pelle. Obeundus autem Marsya dicitur auctore Festo pro adeundus, sicut *obeundem vadimonium* pro *adeundum*, vti monuimus Ode 20. l. 2. ad vers. *non ego dilecte Mæcenas, obibo.*

Qui se vultum.] Qui locus fori & rostrorum, vbi erat erecta statua Marsyæ, nõ poterat ferre vultum minoris fratrum Nouiorũ. Hi duo fratres Nouii fuerunt acerrimi fœnoratores, & ex his natu minor impudẽtiæ & improbitatis eò deuenerat inter lites, vt dicasteriũ, & marmoreæ statuæ illum iam ferre nequirent. Suetonius meminit Nouii nigri Quæstoris in Iul. Cęsare, cuius de familia hi fratres fortassè fuerunt.

Ad quartam.] Martial. l. 4. Epig. ad Euphemũ destinatas diei horas certis negotiis exercitatiõibusq; Romæ ostendit fuisse, vt ipse legere p te, lector, potes.

Lecto aut scripto.] Prudenter hæc & doctè Ian⁹ Douza interpretat̃ per casus auferendi absolutos, pro, vbi aliquid ego legi aut scripsi, vngor &c: quam animaduersionem coniecit ex insolentia horum frequentatiuorum, qualia interpretes alij omnes putarunt e simili participiorum aliorum vsu, ac præcipuè Turnebus l. 8. c. 8. Aduers. vbi formâ frequentandi scribit dici posse a supino *pectum* pecto, pectas, sicut Horatius dixit a *lego*, lecto, & a *scribo, scripto, as,*

Me tacitum.] Quoniam *tacitus* tam συνεργητικῶς quàm παθητικῶς accipi potest, dubium est vtri apponendum sit, reine lectæ aut scriptæ, quæ celanda & occultanda sit: an Poetæ, qui eandem celaturus, nec cuiquam indicaturus: sed non multũ interest, vtrilibet apponatur.

Quo Naca.] Sordes huius Nacæ facetè notantur, qui amurcâ & sordibus olei, ad lucernas tantum & ellychnia aptis, vngi se curabat. Non satis autẽ constat, qui fuerit hic Naca sordib. & flagitiis solum notus, & ita notatus e Pers. Sat. 3.

Non pudet ad morem discincti viuere Naca.

Hoc quidem cognomine fuit familia Romæ nobilis, vnde, vt euenit sæpè, potuit fortassè prodiisse hic sordidus, illiberalis & flagitiosus Naca. Quidam putant esse nomen fictum παρὰ τὴν νάκλιν, τὸ δέρμα σύντριχον, *a pelle villosa*, vt Suidas definit, ad sordes & luxum hominis arguendum, qui postquam peculium attritum luxu absumit, vnde discinctus nominatur, coactus est viuere immundè: itaq; videtur scribendum *Naca*, vt hoc etymum requirit.

Ire lauatum.] Hoc supino vsus est Sat. 3. huius libri, *Dum tu quadrante lauatum Rex ibis*: quod Seruius, vt licenter dictum, reprehendit, & pro eo dicit, ibis lautum, ad vers. 3. Georg. *Bruma gel.*

Signi rabiosi.] Intelligit Sirium, id est, caniculam, de qua sic Hom. Iliad. χ sub initium.

Λαμπρότατος μὲν ὀγ ἐστὶ, κακὸν δὲ τε σῆμα τέτυκται,
Καί τε φέρει πολλὸν πυρετὸν δειλοῖσι βροτοῖσι.
Splendidissima quidẽ est canicula, sed malum signum,
Multam febrim affert miseris hominibus.

Pransus non auidè.] Id est, tantum cibi & potionis in prandio sumo, quantum possit impedire, ne totum diem permaneam ieiun⁹ & inanis. Intelligi credo illum Augusti cibum pomeridianum, cui⁹ Suet. in ipsius vita meminit c. 78. & ita Festus definit prandium, quod Romani modicè & parcè sumebant: cui idem historicus subijcit cænam: sed de statis sumendi cibi horis dicetur, Deo fauente, Sat. 4. l. 2. in Gram. Quod autem Seru. annotat in vers. Aen. 4.

Nunc eadem labente die conuiuia quærit.

quòd in vsu non essent prandia, refutatur auctoritate Cic. 5. Tusc. vbi scribit Platonẽ solitũ improbare vitam Italorum, quòd bis in die cibis se explerent: item Plauti & Ter. qui passim meminerũt prandiorũ: item Macrobij referentis in more positum Rom. pransitare patentib⁹ ianuis. Abderites tamẽ quidam apud Herodotum magnam se dicebat habere gratiã Xerxi, quòd non bis in die cibum caperet. *Durare diem inani ventre* est vice recti ante verbum *interpellet*, & sens⁹ est: tãtum cibi & potionis adhibeo in prandio, quantum valeam inanitatem stomachi sine murmure per vnum diem sustinere. Alioqui venter, vt acerbus creditor, instaret, ait Plinius.

Verbum

Verbum autem τὸ *durare* est tolerantiæ, conuenitque propriè, teste Donato in Adelph. Act. 4. Sc. 2. malis perferendis, *non Hercle hic quidem durare quisquam, si sic fit, potest.* & est vtrobiq; ἀμεταβάτως sumendum.

Domesticus otior.] Αντιμετάβασις, id est, positio vicaria nominis pro aduerbio, *domi otior.* τὸ enim *domi* tale habetur, vel domi agam otiosè, vel ibidem otia ducam. Otiandi verbum Cicer. lib. 3. de offic. opponit verbo negotiandi. *Canius eques Romanus, nec infacetus & satis literatus, quũ se Syracusas otiandi, non negotiandi caussâ contulisset, dictabat se hortulos aliquot emere velle.* Sicut Terent. in prologo Hecyræ, *otium & negotium: vt in otio esset potius, quàm in negotio. Domesticus quoq; otior,* dicitur Græcè, ἕζομαι ἐφέστιος, *desideo focarius,* pro quo Thucydides, καθίζομαι ἐπὶ τὴν ἑστίαν, *desideo ad focum,* vel χαλῶ ἄγω οἰκεῖος, ἀντὶ τοῦ, σὺν τῷ οἴκῳ χαλάζω.

Rhetorica Explicatio.

METonymia est subiecti pro irrisione & contemtione huic corporis adiuncta particulæ dicata: valet igitur, *non irrides, nec contemnis obscuros homines.*

b Epanalepsis est eiusdem soni in principio & clausula, vt epistrophe in duob. incisis proximè sequentibus.

c Metonymia est adiuncti pro magistratibus, quibus deferri solet honor, sicut in Rhetoricis Odes 1. l. 1. notatum est. Similis est tropus in Titulis & imaginibus pro clarissimis & nobilissimis maioribus, amplissimisq; fortunis splendentibus.

d Concessio est & quædam ἐπανόρθωσις superioris sententiæ de populo.

e Metaphora est à rebus nunc primum apparentibus ad hominẽ ignotũ nullisq; maioribus clarum & notum: quo de genere est illud Cic. 7. Verr. *Videmus quanta sit inuidia, quantoq; in odio apud quosdam homines nobiles nouorum hominum virtus & industria.*

f Appius dicitur p synecdochẽ speciei p severissimo quoq; Censore, qualis fuit Appius ex historiis.

g Metaphora est, quæcunque illius originis fuerit ratio. Quidã enim putãt sumtũ à castris: idq; confirmari potest è 4. Acad. *vt non multum Imperatori sub pellibus otij relinquatur.* Item l. 5. Titi Liuii, *Militem Romanũ in opere ac labore pruinisq; obrutũ, sub pellibus durare, quibus tabernacula & rẽtoria militum obtegebantur.* Alii ab asino Cumano leonis pelle induto: alii à Cleone Athenienſi: alii à sutore quodam Athenienſi, qui repentè locupletatus iterum relapsus est in summam inopiam: de quo sic Martialis:

Lusisti satis est: sed te, mihi crede, memento
Intra pelliculam cerdo tenere tuam.

Lucianus ἀτρόπως in imaginibus sic enunciauit sententiam nostri Poetæ, ὃν ἔτι μένουσιν ἐπὶ τῶν ὑπαρχόντων, *non jam manẽt in iis, quæ adsunt.* De his vide Chil. 1. Centu. 5. Metaphora, inquam, est in eos, qui suâ conditione minimè contenti maiora suis virib. aggrediuntur.

h Metonymia est adiuncti pro, cupidi gloriæ tam ignobiles, quàm nobiles trahuntur ambitione suâ, qualis est illa Saty. 3. l. 2. *Præterea ne vos titillet gloria,* pro *ne vos ambitione miserâ trahamini.* hæc n. perturbatio cauenda est, propterea quòd ipsius cupiditates eripiat animi libertatem. Tota autem sententia est allegorica à triumphantibus, qui vehuntur aureo curru, & captiuos trahunt constrictos: sic qui studio laudis tenentur, dicuntur illius cupiditate trahi, tanquam vincti. Similis est allegoria pro Archia Poeta: *trahimur omnes laudis studio, & optimus quisq; maximè gloria ducitur*: sentit igitur, nouos & ignobiles æquè incendi cupiditate gloriæ popularis: atque claros & nobiles homines.

i Metonymia est adiuncti signi p ipso magistratu.

k Metonymia est altera, sed materiæ pro calceamentis coriaceis & tamen mollibus, & rursus hæc tanquam adiuncta senatoriæ dignitati.

l Polyptoton.

m Metonymia adiunctorum simulacrorum pro ipsorum locis, atque fanis, vbi statuuntur: sed notatio Varronis in Gram. facit modum eiusdem tropi contrarium.

n Perfecta prosopopœia per dialogismum, vbi quidam è populo fingitur ad inquirendum in nouum hominem & hic ad respondendum obiicienti.

o Allegoria est è multiplici synecdoche pro quibusque infimæ sortis parentibus.

p Allegoria quædam est è metaphoris à delectu sessionum, pro, inferior est me genere libertatis: ideoque minùs aptus ad honores, quàm ego.

q Altera similis allegoria pro nobilissimis quibusque.

r Deponitur prosopopœia, ac velut egressus ex historia sui antè incepta: *me libertino patre natum*, illam resumit. In *me* tamen est metonymia subiecti pro adiuncta de eo narratione.

s Notata iam fuit hæc metaphora.

t Metonymia est effecti pro efficiente infacundos, & elingues homines reddente: *qui fait perdre la parolle.* Infans enim propriè dicitur dicendi facultate laborans: vt Cic. pro Cluentio: *Tum verò ita sum perturbatus, vt omnia timerẽ: si nihil dixissem, ne infantissimus esset iudicatus: si eiusmodi caussa dixissem, ne impudẽtissimus existimarer.*

u Anaphora est, licet eadem dictio non statim initio membri secundi repetatur; idem tamen sonus auditur.

x Metaphora est à latibulis ferarum, pro lupanaribus & prostibulis, in quibus Cicero criminatur Antonium, vt in popinis ætatem consumsisse, Philip. 13. à quibus Poeta iactat se curaturâ patris longè abfuisse.

y Synecdoche est generis pro schola Arithmeticæ. Omnem autem scholam ludum dixêre Romani, vt ait Asconius, sed hîc designat λογιστήριον, *Scholam calculatoriam,* vel *ratiocinatoriam.*

z Polyptoton est vocis eiusdem variè cadentis.

aa Metonymia est effecti pro efficiente, qui suspendunt loculus sinistris brachiis euntes in lõdum: non autem, vt quidam putârunt, hypallage Grammatica; quæ est inuersa Syntaxis; vel, vt alii malunt, enallage passiui loco participii actiui.

bb Synecdoche partis pro toto brachio ab humeris ad manus vsque, διὰ τὴν τοῦ μυώδους πλατύσματος ἐξοχὴν, *propter excellentiam lati musculi,* collum & humeros ambientis: vnde brachia dependent arctissimè reuincta. Similis tropus notatus est Ode 4. l. 2. in *brachia.*

cc Metonymia est materiæ pro nummis inde cusis. Virg. in Tityro:

Non vnquam grauis ære domum mihi dextra redibat.

& rursus synecdoche pro quauis moneta & pecunia. Timæus scribit primò Romanos vsos fuisse ære rudi, & Ser. Tullium primum illud signasse notâ pecudis. Lege Plin. l. 28. c. 3. & l. 33. c. 3.

dd Synecdoche generis pro speciali collectore rei argentariæ.

ee Quum τὸ *vox* à Gram. definiatur quo quicque vocetur: vno autem nomine res quæque constare soleant; plenum fit, sumendum hîc esse συνεκδοχικῶς pro integro pronunciato, sententia & sermone, vt in

Epiſt.1. lib. 1. dicemus τὰ *ſunt verba*, *ſunt voces* eſſe ſumenda.

ff Hic metonymiam agnoſcimus pro hominibus ætatis præteritæ, qui ſi redirent in vitam, non alios mihi legerem parentes, more impiorum liberorum. Sic interpretamur illa, *O tempora! & aſpera ſecula!* pro ciuibus illis temporis, & hominibus illius ſeculi Prætur̂a, & Aedilitate decoratis, & ornatis, quibus faſces virgarum præferebantur, ad leuium delictorum animaduerſionem, vt ſecuris ad grauia & capitalia præcidenda.

gg Ironia eſt, quum contrà ſit intelligẽdus hic Tullius Prætur̂a indigniſſimus & obſcuriſſimus.

hh Metonymia eſt ſubiecti & loci, pro hominibus illic fallaciis, dolis, præſtigiis incautos ludentibus, quales tum erant interpretes ſomniorũ, haruſpices, aſtrologi, coniectores Aegyptii, & cæteri id genus.

ii Metonymia eſt materiæ & ſynecdoche generis pro menſa marmorea Delphica.

kk Metonymia eſt primum ſubiecti pro ſtatua Marſyæ illic erecta: deinde huius pro loco & tempore, vel potius die vadimonii, quo comparere oportebat in judicio, *il fiaut comparoiſtre au jour & lieu de l'aſſignation*, & hæc rurſus pro iudice, qui non iuniorem Nouium poteſt ferre.

ll Synecdoche generis pro diebus canicularibus, vt vulgò dicitur. Hic *ſignum* κατὰ τὴν ἀνωμαλοχίαν ponitur, quod, quia ex pluribus conſtat ſtellis, ſumitur pro vna canicula.

mm Synecdoche eſt ſpeciei pro ditiſſimo & potentiſſimo quóq;, qualis fuit Quæſtor Romæ, & ferè vbique tam militaris, quàm vrbanus, qui fiebat, vt in prouincia curam pecuniæ publicæ gereret in vſus diuerſos erogandæ. Hunc Galli vocant bellicum Theſaurarium, vt vrbanum, qui curat ærarium, & acceptum & expenſum in tabulas refert.

SATYRA SEPTIMA.

Hic lis inter Rupilium Prænestinum cognomento Regem & Græculum Perſium orta, eiuſq; cauſſa non tam deſcriptione explicatur, quam vtriuſque ſcurræ natura & mores oratione exprimuntur.

PRoſcripti Regis Rupilî a *pus atque venenum*
b *Hybrida quo pacto ſit Perſius vltus opinor*
Omnibus & c *lippis notum & tonſoribus eſſe.*
2. Perſius hic permagna negotia diues habebat
Clazomenis: etiam lites cum Rege moleſtas:
d *Durus homo, atq; odio qui poſſet vincere Regem,*
Confidens tumiduſque: adeò ſermonis e *amari,*
f *Si ſennas, Barros vt* g *equus præcurreret albis.*
3 Ad Regem redeo: poſtquam nihil inter vtrúmq;
Conuenit: 4. hoc etenim ſunt omnes iure moleſti,
Quo fortes, quibus aduerſum bellum incidit. Inter
5. Hectora Priamidem, animoſum atque inter Achillem
Ira fuit capitalis, vt vltima diuideret mors:
Non aliam ob cauſſam, niſi quòd virtus in vtroq;
Summa fuit. 6 Duo ſi diſcordia vexat inertes,
Aut ſi diſparibus bellum incidat, vt Diomedi
Cum Lycio Glauco, diſcedat pigrior, vltrò
Muneribus miſsis. 7 Bruto Prætore tenente
Ditem Aſiam, Rupilî & Perſî par pugnat, vti non
Compoſitus meliùs cum Bitho Bacchius. 8 In ius
Acres h *procurrunt, magnum ſpectaculum vterque.*
Perſius exponit cauſſam: ridetur ab omni
Conuentu: laudat Brutum, laudatque cohortem.
i *Solem Aſiæ Brutum appellat: ſtellásq; ſalubres,*
Appellat comites, excepto Rege: Canem illum,
Inuiſum agricolis ſidus veniſſe ruebat,
k *Flumen vt hybernum, fertur quo rara ſecuris.*
9. Tum Præneſtinus ſalſo multúmq; fluenti
Expreſſa arbuſto regerit conuicia, durus
Vindemiator & inuictus, cui ſæpè viator
Ceſſiſſet magnâ compellans voce m *cucullum.*
10. At Græcus poſtquam eſt Italo perfuſus n *aceto*
Perſius, exclamat, per magnos O Brute Deos te
Oro, qui reges conſuêris tollere, cur non
Hunc Regem iugulas? operum hoc, mihi crede, tuorum eſt.

Analyſis Dialectica.

VAldè equidem ſuſpicor hoc litigium fictum & commentitium eſſe, vt eſt noſter Poeta ad comminiſcendum ingenioſus, qui quum à Rupilio Præneſtino ignobilitatis nomine in caſtris Bruti laceſſitus fuiſſet, ad vltionem contumeliæ hanc Satyram inſtituit, commẽtus & nactus valentiſſimum & acerrimum militem ſubſidiarium, quem hic cum Rupilio committit: atq; vt huius litis narratio extra omnem commenti ſuſpicionem videretur eſſe, dicit initiò eam litẽ teri iam ſermone ſpermologorum & loquacium hominum: quo genere argumenti extrinſecus aſſumti fides talis narrationis fit maior audituris & lecturis. Obiter tamen attingit peruerſitatem ingenii Rupiliani, & linguæ petulantiam, vt cauſſam huius ortæ contentionis, atque adeò contentionem omnem eſſe perniciosam, ſiue armis, ſiue verbis tractatam.

2. Quis hic ſit Perſius aduerſarius, quidve poſſit, adiunctis & duplici minorum collatione demonſtrat: quòd diues negotiator: quòd homo litigioſus, peruicax, temerarius & arrogans ſit: quod Rupilium odio & moleſtiâ: quòd maledicentiſſimos quoſque maledictis & conuiciis ſuperare poſſit.

3. Etſi agnoſcere videtur à ſe perturbatam methodũ: quod Regem prius propoſitum non planè deſcripſerit: tamen in hac velut correctione, vbi oſtendit alterum alteri eſſe implacabilem, inducit Perſium priùs agentem.

4. Quàm hi duo ſint ἐχθροὶ ἀπονοστοι καὶ ἀδιάλλακτοι, *implacabiles*, & tanquam diceres irreconciliabiles, docet pa-

cet parium comparatione: quod homines molesti & maledici peruicacesq; tantum sibi obstinati ad litigandum animi sumant, quantum fortissimi quique ad decertandum.

5. Apodosis approbatur speciali exemplo Hectoris & Achillis, inter quos discordia nata implacabilis fuit, nec, nisi morte alterius, dissolui & dissipari potuit. Caussa huius inflexibilis obstinationis dicitur summa in vtroq; animi magnitudo.

6 Eadem Rupilii & Persii voluntas in iracundia & inimicitia obstinatior & obfirmatior ex aduersis explicatur: quòd acerba dissensio & dissidium inter ignauos vel inter dispares natũ facilè mitescit: quale fuit illud inter Diomedem & Lycium Glaucum, qui vt ignauior, manus & munera Diomedi fortiori dedit.

7 Videtur Poeta ex antecedentibus assumere: atqui hæc lis inter Rupilium & Persium orta est inter pares: cuius assumptionis approbatio est ad hæc verba, *vti non compositos &c.* è pariũ collatione quod horum alter cum altero æqualiter pariterq; litiget, atq; Bithus & Bacchius gladiatores inter se decertent.

8 Congressus ipsorum ex effectis declaratur, quòd ad litigandum certatim procurrant gratum hominibus spectaculum præbituri. Prior autem Persius caussam suam agit ex adiuncto risu & ex aduersis, quod Brutus eiusque comites sint Reipub. salubres: Rupilius pestifer. Hoc consequens similibus amplificatur, quòd, vt hybernus amnis magno & redundanti & rapido aquarum cursu defluit: sic maledica Persii oratio volubilis & feruida quasi torrens fertur, quum Rupilium nominat Sirium, stellam perniciosam.

9 Rupilii actio constat etiam ex factis ipsius & minorum comparatione: quod regerendis in aduersarium conuiciis ipsi cederent exercitatissimi in maledicendo quiq; & contumeliosissimi.

10 Vbi Persius sentit contumeliosam & aculeatam Rupilii accusationem, tanquam illi impar congressu confugit ad implorandam fortioris opem, alludens ad L. Iuuium Brutum Tarquinii Romanorum regis septimi & postremi exterminatorem. Dũ verò Poeta facit hic Persium maledicendo inferiorẽ Rupilio Rege, hunc profectò insignem conviciatorẽ graviùs ulciscitur, & ingenium ac mores ipsius maculis nigrioribus aspergit.

Enarratio Grammatica.

PRoscripti.] Proscribere, quum de persona dicitur, est damnata relegare & in exsulium pellere: vnde Cic. 3. Verr. *Cornelia proscriptum iuuare vetat.* Itaque hic Rupilius quum Præturam gereret, à Triumviris; Augusto, M. Antonio & M. Lepido eiectus ad Brutum in Asiam confugit, ac sub eo militauit: vbi Horatium Tribunum militum nescio qua motus inuidiâ, iurgio & rixâ vexauit, obscuritatem generis illi exprobrans: vnde posteà aculeis styli Horatiani acriter punctus est. Fuit hic Rupilius fortassis de gente Marcia, cui cognomen erat *Rex.* sicut potest è Sallustio, Valerio, Suetonio, Plutarch. in vita Ciceronis & Epist. huius 14. lib. 1. ad Attic. intelligi.

Pus atque,] Pus videtur πύον à Græco flexum & hoc παρὰ τὸ πύθειν, à putrefaciendo, quod ideo à Medicis definitur *τὸ σεσηπὸς αἷμα καὶ διεφθαρμένον καὶ σαπρὸν, putrefactus sanguis, corruptus, putris,* præsertim in offensione corporis & carnis læsione, qui quo modo à sanie differt, vide Celsum lib. 5. cap. 26. vt de veneno Satyr. 2.

Hybrida.] Quamuis Grammatici hanc vocem inflectant Hybris, Hybridis; tamen Poeta in recto dicit πατρωνυμικῶς καὶ ἱπποφυϊστικῶς. Quid autem Hybris sit, docet Plinius lib. 8. c. 53. loquens de canum admissura, venatici & gregarii. *Aequè facilis est admissura domestici & feri, qualiter natos antiqui Hybridas vocabant seu semiferos,* quos Græci vocant ἡμιόδηρας, καὶ μιξόθηρας, καὶ διφυεῖς, qui sunt duplici natura, qualis dicitur fuisse Cecrops à Suida: quales etiam Centauri, quos ideo vocat Virgilius Bimembres, Ouidius semihomines, Lucanus semiferos, id est, semi equos. Hoc nomine Martialis lib. 8. cauillatur oppositum sibi ad cænam vocato fœtum apri & domesticæ suis, quasi conuiuator putaret eum ex imparibus parentibus natum, sic in Gallicum.

Inuitas ad aprum: ponu mihi Gallice porcum.
Hybrida sum, si das, Gallice, verba mihi.

Hanc autem vocem Ios. Scaliger coniectat declinari ab Ibro, vel vbro, qui spurius erat apud Priscos, vnde Ibridæ vel vbridæ ἱπποφυϊστικῶς scribendum esset, semispurii, non autem ἀπὸ τῆς ὕβρεως.

Tonsoribus.] Plutar. de Garrulitate sic de his scribit: ἐπιτηδῶς ἡλάλον ἐστὶ τὸ τῶν κουρέων γένος, *Tonsorum genus est bene loquax,* quo modo *bene potum* dicimus pro valdè. Non minus loquaces sunt lippi, quibus propter imbecillitatem oculorum est plurimum otii à rebus gerendis: ideoq; rumoribus audiendis & dissipandis sese dedunt. De caussa lipporum vide Gramm. Sat. 3. l. 1. Aristophanes in Pluto, quum aliquid multo sermone diuulgatum vult significare, sic Blepsidemum inducit loquentem:

Τί οὖν οὖ τὸ πρᾶγμα εἶη, πόθεν καί τινι τρόπῳ,
Χρεμύλος πεπλούτηκ' ἐξαπίνης ὃ τοιοῦτος;
Καί τοι λόγος γ' ἦν νὴ τὸν Ἡρακλέα πολὺς
Ἐπὶ τοῖσι κουρείοισι τῶν καθημένων,
ὡς ἐξαπίνης ἀνὴρ γεγένηται πλούσιος,
Ἔστιν δὲ μοὶ τοῦτ' αὐτὸ θαυμαστόν. Id est,

Quid hoc igitur rei est, vnde & quomodo Chremylus tam repen è diues factus est? Non id mihi persuadeo, vel non possum adduci, vt credam: licet hercle multo in tonstrinis desidentium sermone differatur, eum repentè locupletatum fuisse: est autem hoc ipsum mihi valdè mirum.

Scholiastes Aristophanis hæc annotat: διαβάλλει τοὺς Ἀθηναίους, ὡς διημερεύοντας ἐπὶ τῶν κουρείων ἀργῶς, καὶ ὃν ἂν τοῖς ἰατρείοις ποιούμενοι τὰς συντυχίας. Κουρεῖα δὲ ἦσαν ἐργαστήρια, ἐν οἷς οἱ βαλόμενοι κείρειν τὰς τρίχας τῆς κεφαλῆς καὶ τὴν κώμωνος ἀπίοντες ἐκείροντο ὁπότε ἐκβαίειν τὸ μέτρον. *Poeta accusat Athenienses, vt qui otiosè diem consumerent in tonstrinis, nec in medicinis* (quomodo loquitur Plautus de officina medici) *colloquia facerent. Sunt autem tonstrinæ officinæ* quæ vocantur ab Athenæo lib. 12. Ἰωνικῶς κορσωτήρια, ex eadem tamen origine, *in quibus, qui volebant capillos capitis ac barbæ tonsos, id in ipso discessus puncto,* vbi diutius illic commorati essent, quam deceret, *faciundum curabant.* Illuc quoque spermologi nullius rei, nisi rumorem mutuo colligendi, ac posteà differendi studio ducti, confluebant sed ad tonstrinas personæ tantum viliores conueniebant, vt ex antecedentibus iam cognitum est, & cognoscetur ex Epist. 7. ad Mæcenatem.

Conspexit, vt aiunt,
Adrasum quendam vacua tonsoris in vmbra,
Cultello proprio purgantem leniter vngues. quò potest addi Terentii illud Act. 1. Sc. 2. Phorm.

Tonstrina erat quadam: hic solebamus ferè plerumq; eam opperiri, dum inde iret domum. Interea dum sedemus, &c.

Hic Donatus conuenienter ſcholiaſtæ conſtrinâ eſſe ſedem otioſis aptam annotat. Ad tabernas autem librarias, perſonæ honeſtiores de literis inter ſe colloquendi gratiâ, ſicut ex Aegel. lib. 5. c. 4. *Apud Sigillaria fortè in libraria ego & Iulius Paulus Poeta, vir memoriâ noſtrâ doctiſſimus conſederamus.* atq; præcipua loca, quò Romani ſolebant conuenire, Catullus in Camerium hæc commemorat: Campum minorem, Circum, Tabernas librarias, Templum Iouis Superi, Porticum Pompeii.

Negotia.] Hæc vox dicitur à priuatione otii, vt ἀσχολία Græcè, *occupatio.* Ita Cic. l. 1. ad famil. Epiſt. 4. loquitur de Aulo Trebatio, *qui in prouincia Lentuli magna negotia & ampla & expedita habet.*

Clazomenis.] Hic Perſius frequens negotiabatur Clazomenis. Gall. *auoit de grandes affaires & des proces d'importances en cette ville.* Sunt autem Clazomenæ ciuitas vna è duodecim Ioniæ, vt ſcribit Strabo lib. 14.

Durus.] Non deſideratur hîc nota ſimilitudinis vt quidam putant, nec in *conſidens & tumidus.* Cic. pro M. Cælio coniungit *durus ac vehemens* pro, immitis, moroſus ac difficilis: pro quibus Græci σκληρὸς, δυσμετάπλαστος, ἀπαθὴς, ἀνελεὴς. *Confidens* definitur. 5. Tuſcu. *qui fortis eſt idem eſt confidens:* quoniam confidens malâ conſuetudine loquendi in vitio ponitur: vnde Donatus in Phor. 1. 2. *homo confidens* dicit poſitum pro improbo, audace ac temerario, vt confidentia pro improbitate & temeritate. Interdum contrà pro conſtanti & conſtantia.

Siſennas, Barrhos.] Hi duo fuerunt obtrectatores maledicentiſſimi & improbiſſimi: quorum Siſenna dicitur Mileſias ſcripſiſſe, & Varrus Aemiliam violaſſe. Quidam Varros pronunciant, alii Varos, alii, vt eſt in litera.

Nihil inter vtr.] Dicitur phraſi æquè Latinâ, nihil alteri cum altero conuenit. Gall. *ils ne s' accordent entr' eux aucunement,* quo modo Terent. in Adel. *Hæc fratri mecum non conueniunt.*

Hoc etenim.] Ita Cic. 4. Verr. *Hoc iure ſunt Siculi,* ſed ſine comparatione. Hæc autem Poetæ comparatio ſic Gallicè redderetur: *les perſonnes obſtinees s' attribuent autant d' autorite & puiſſance l'un contre l' autre, que font les vaillantes perſonnes en guerre declarée.* Hinc autem incipit ὑπερβατικὴ παρένθεσις vſque ad, *Bruto prætore* producta.

Hectora.] De hac implacabili inimicitia inter Hectorem & Achillem lege lib. Iliad. χ.

Ira capitalis.] Videtur hæc vox deflexa ex priſco ſubſtantiuo, capital pro capitis periculo. Plautus Mænech. *Nunquam adepol fugiet, tametſi capital fecerit.* Feſtus tamen dicit capital facinus & definit, quod capitis pœnâ luitur. Ideóque geminantur, *capitalis & peſtifer reditus* 4. Philipp. *& repentina inſimulatio criminis capitalis & inuidioſi.* 5. in Verrem: ſic κεφαλικὸς ἔχθρα καὶ κεφαλικῶς πολάζεσθαι, *inimicitia capitalis & capitali affici pœnâ,* id eſt, θανατικῶς.

Vt Diomedi.] Euſtathius in duos verſus poſtremos Iliad. β. ſcribit, ὅτι ὥσπερ οὐκ ἦν Σαρπηδὼν εἷς ὁ Λύκιος, δηλαδὴ, ὅτως οὐδὲ Γλαῦκος, *vt Sarpedon non erant vnus è Lycia, ſic nec Glaucus:* ſiquidem hic genere Corinthius erat. Cur autem Lycius dictus ſit, facilè perſpicitur ex ipſius genealogia, quæ deſcribitur Iliad. ζ. ſimul & permutatio Glauci & Diomedis. Bellerophon, vt paucis dicatur, duxit vxorem Anticleam filiam Iobati Lyciæ regis, cuius regni factus eſt poſteà heres, vnde Lycius dictus: ex ea vxore ſuſcepit Hippolochum, cuius Glaucus fuit filius, & Lyciorum dux ad auxilium Troianorum miſſus: vbi prima coitio Diomedis & Glauci videtur Euſtathio in alium vſum prouerbii abiiſſe, atque permutatio vtriuſque. Sic n. ille: ὅτι πρὸς τὸν ἐξαίφνης ἐκ μὴ λοιδοῦντός τινος θρασυνόμενον εἰς ἔριν κατὰ τῶν εἰνάτι λοιδούντων, καλῶς αὐ ἐρεῖ τις τὸ Διομήδους πρὸς Γλαῦκον, *quod rectè quis dixerit, Diomedes aduersus Glaucum, in eum qui repentè ad litem contra eos, qui videntur aliquid eſſe, incitatur ab eo, qui nullus videtur.* Vſus autem inæqualis permutationis inter Diomedem & Glaucum repetatur è primæ Chiliad. Cent. 2. Hiſtoriam quoque Bellerophon. qui fuit huius Glauci auus, vide in Gram. 7. Odes l. 3.

Duo ſi.] Hi caſus duo & ambo ſunt æquè in vſu, atque duos & ambos.

Diſcedat pigrior.] Quod Xenophon 7. Hellen. dicit ἀμαχεὶ παρέλθῃ *abſq; pugna prætereat ignauior.* Et Herodotus βιβλ. α περὶ Κυδίου, ὁίπερ ἀμαχητὶ σφέας αὐτοὺς παρέδοσαν. Gallicè *qui ſe redirent ſans couprier.*

Ditem Aſiam.] Ita Cic. celebrat Aſiam in oratione pro leg. Manil. *Aſia verò tam opima eſt & fertilis, vt & vbertate agrorum & varietate fructuum & magnitudine paſtionis, & multitudine earum rerum, quæ exportantur, facilè omnibus terris antecellat.* In *Rupili* & *Perſi* eſt apocope pro, *Rupilii Perſii.* Bithus & Bacchius fuerunt nobile par gladiatorum & arte & audaciâ, qui poſt multas inter ſe pugnas commiſſas mutuis vulneribus ceciderunt, ideoq; in prouerbium abierunt de æqualiter improbis. ſic inter ſe contendentibus, vt neuter alteri cedere velit. Horum fit mentio apud Suetonium in Oct. Sic eſt hîc accipiendum *compoſitus* vt in illo Virgilii.

Sic paruis componere magna ſolebam, Græcè συμβάλλειν ἀλεξιπόνους εἰς μάχην, quod Hom. dicit initio Ιλιαδ. α τίς τ' ἄρ σφωε θεῶν ἔριδι ξυνέηκε μάχεσθαι. *Quisnam Deorum ipſos commiſit contentione inter ſe pugnantes,* id eſt Scholiaſtæ συνέβαλε, συνέμιξε, & in illo Quint. l. 2. ca. 17. *ſæpè gladiatores ſub eodem magiſtro eruditi inter ſe componuntur,* id eſt, committuntur inuicem pugnaturi. Gall. *inſter l'un contre l' autre* διὰ μονομαχίας, *ſeul à ſeul,* ita Cic. l. 2. Epiſt. 8. ad Cælium, *tu me hoc tibi mandaſſe exiſtimas, vt mihi gladiatorum compoſitiones mitteres,* id eſt, ſcriberes, quod par gladiatorum eſſet inter ſe commiſſum ad certamen: ita deniq; Taciti, ſed paullò aliter l. 5. *Accita eſt Epicharis & cum indice compoſita,* Gall. *confrontee auec l' encuſeur:* Hæc Gallica interpretatio mirè videtur exprimere illud primæ Satyræ, frontibus aduerſis componere. Quidam pro *procurrunt* legunt, *concurrunt.*

Excepto rege.] I. Rupilio Rege Præneſtino, quem ſummè vituperat: dum illum appellat caniculam æſtiferam, & vipeream.

Canem illum.] De quo lege Dial. & Gramm. Od. 17. lib. 1.

Ruebat.] Inani quadam conuiciorum profluentiâ vtebatur.

Rara ſecuris. De hac voce fuit in Gram. Odes 2. l. 3. i. Quia rapidus amnis ſua eluuie ſubruit & diſturbat omnes littorum & vicinorum agrorum arbores, nunquam illuc calones & ruſtici ligna cæſum eunt.

Durus.] Propriè durus ſumitur hîc, vt Georg. 4. *durus arator,* & 3. Epodis. *O dura meſſorum ilia!* id eſt, caloris & laboris patientiſſima.

Regerit conuicia.] E loco plantis conſito emiſſa. Sic ſupplenda eſt præpoſitio ante *arbuſto.* Eſt autem regerere aliquid ei, qui reprehendat, contra obiicere, vt Caſſius Ciceroni Epiſ. 19. ad Fami. lib. 15. *pro quo tibi proximâ Epiſtolâ tot ruſticos Stoicos regeram, vt Catiũ Athenis natum eſſe dicas:* Cicero notauerat Catiũ Epicureũ ruſticitatis & inſcitiæ, vnde Caſſius reſpondere coactus

ctus est, se obiecturum tot Stoicos indoctè & barbarè loquentes (quorum sectam Cicero probabat) vt Catius cum iis comparatus vrbanissimus & doctissimus esse videatur. Sic Plin. l. 15. ca. 15. loquitur, *insanas mensas fœminæ viris contra margaritas regerunt.* Sed de veriuerbio τὸ conuicii vide notas Gram. in Saty. 5. præced. quò potest accedere præter maledictum & probrum vis significandi aliquid illis leuius vt querelam & clamorem aliquantò tamen liberiorem: quo modo sumitur Epist. 10. li. 2. ad Q. fratr. *Epistolam hanc conuicio efflagitarũt codicilli tui.* Ibidem sequente, *Quum Appius consul Senatum infrequentem coegisset, tantum fuit frigus, vt populi conuicio coactus sit nos dimittere.*

Vindemiator.] Ratio metri postulat, vt hæc vox tetrasyllabῶς pronuncietur, quasi vindemator, cuius loco vtuntur Ouid. 3. Fast. & Seneca de morte Claudii Cæsaris, vindemitor: intempestiua autem vitiũ cultura vertebatur olim, vt nunc etiam, vitio vinitorib. à viatoribus nomine cuculi, qui grauiorib. conuitiis vindemiatorum cogebantur citiùs viam suam conficere: de quo lege c. 26. lib. 18. apud Plinium & Erasmum Chil. 4. Cent. 6.

Rhetorica Explicatio.

METaphora est à corpore sanioso ad vitia ingenii, impuritatem, odium, improbitatem, peruersitatem indicandam. Non equidem possum meminisse ab alio Latinitatis auctore sic immutatũ.

b Sumtum est à semiferis, vt modò dictum est, ad hominem patre Romano & matre Græcâ vel cõtrà natum notandum: sic in Oct. ca. 19. Suet. quendam vocat Hybridam è Partho & Romana ortum translatè, vt hic: sic quoq; Valerius Max. lib. 8 cap. 6. scribit Q. Varium propter ius ciuitatis Hybridam cognominatum ex patre Hispano & matre Veronensi natum: sic pueri è seruis hominibus & ciue muliere nati dicuntur Hybridæ à Martial. l. 6. Epigr. in Cinnam cuius est initium:

Pater ex Merulla. deinde sub finem.
Iamq, Hybridarum grex tibi foret plenus.

E moribus autem & legibus Græcorum matrimonia pro incestis ac illegitimis habebantur, quæ cum peregrinis ac hospitibus contrahebantur: è qualib. nati dicebantur Græcâ contumeliâ μιξέλληνες, qui sunt altero parente Græci, altero Barbari, vt Romanâ Hybridæ, Gallicâ *Marranes* de his, qui creduntur prognati è Mauritanis: quale quid Turnus l. 7. v. 579. Aeneid conqueritur, quum cerneret molles Troianos misceri fortibus Latinis.

c Hîc est synecdoche geminæ speciei pro hominibus loquacissimis, spermologis, &, vt Plautus loquitur, famigeratorib. qui libentissimè verba funditant.

d Metaphora est à corpore ad vehementem ingenii pertinaciam & iracundiam notandam.

e A saporibus traductum est ad ingratos & asperos verborum sonos.

f Altera est synecdoche duplicis speciei pro contentiosissimis quibúsq; hominibus.

g Allegoria est à cursoribus, qui pernicitate talium equorum suos syndromos longè anteuertebant. Veteres enim præferebant equos albos reliquis, tum quòd viribus præstarent, tum quòd auspicia magis rata facere crederentur, ideóque triumphis adhibebantur. *Comeositus*, &c. hoc est translatum à gladiatoribus, qui dicuntur inter se componi, quum producuntur depugnaturi in arenam, quomodo sumtum est lib. Cic. de opt. gen. orat. è li. 4. Saty. Lucilii.

Cum Paciderano hic componitur.

Vbi Cicero Demosthenem comparat cum hoc gladiatore longè omnium optimo post homines natos: qualis fuit hic Græcus orator multò aliorum præstantissimus. Seneca in disput. de prouidentia cap. 2. scribit par gladiatorum Dei spectaculo dignum, *quum vir fortis cum fortuna componitur.* & cap. 3. *Ignominiam iudicat Gladiator, cum inferiore componi: & scit eum sine gloria vinci, qui sine periculo vincitur.*

h Sumtum videtur à re militari, vbi strenuissimus & audacissimus quisque, signo dato, ex agmine procurrit in aciem, quale fuit meliùs fortasse dictum Satyrâ 1. lib. 1. & lib. 10. Aeneid. illic citato. *Agmina concurrunt, ducibus &c:* τὸ *procurrit* tamen ex vi iunctura celeritatem cursus & longitudinem magis præcipitem præ se videtur ferre, quem Galli suâ exprimunt linguâ, *Il se hasteur de grande viteſſe, lequel des dene plaidera le premier sacauſſe deuant le iuge.* propriè autem vtitur hoc verbo Seneca lib. 1. cap. 4. de Clementia, quum loquitur de promto populi obsequio in suum principem. *Sæpe itaq; incolumitatem amant, quum pro vno homine denas legiones in aciem deducunt: quum in prima fronte procurrunt, & aduersis vulneribus pectora ferunt, ne imperatoris sui signa vertantur.*

i Metaphora est à splendidis cæli corporibus ad excellentiam Bruti & comitum indicandam, qualis est à Sirio in *Canem* ad exitium & perniciem hominum notandam. *Excepto, &c.* posset hîc statui metaphora è diuisione agrorum, vbi excepta & subsiciua solent vocari, quæ nemini sunt attributa & assignata. Itaque nullius sunt in dominio & censu, tanquam libera, nullique obnoxia: quod quidem verbum, tam in vituperium, vt hîc sumendum puto, pro re adiunctæ ratione, quàm in laudem, vt lib. 3. cap. 20. Senecæ de Beneficiis. *Errat, si quis existimat Seruitutem in totum hominem descendere. Pars melior eius excepta est, corpora obnoxia sunt & adscripta dominis: Mens quidem sui iuris, quæ adeò libera & vaga est, vt ne ab hoc quidem carcere, cui inclusa est, teneri queat, quò minus impetu suo vtatur, & ingentia agat, & in infinitum comes cœlestibus exeat.*

k Synecdochica est periphrasis torrentis, quem Græci χείμαρρον καὶ χάραδραν vocant.

l Quidam allegoriam è perpetuis metaphoris constituunt pro pectore amaro & conuiciis pleno: quod equidẽ planè nõ ausim improbare: attamẽ mihi propiùs verba consideranti videtur illa posse etiã ex parte sumi propriè, vt Prænestinus tanq rusticus vindemiator vel frondator vicissim iactet cõuicia & probra in viatores serã ipsius putationẽ vel culturã intempestiuam increpantes: iactet, inq, è loco vitibus, vel aliis plantis, vbi facit opus, consito: *salso* aũt & *fluenti* dici eodẽ tropi genere, quo Virg. 4. Aen. dixit, *Dulcẽs reuinquere terras.* & 2. Georg. *& ramos compescere fluentes, pro arbusto amaro & luxuriantib. & vberiùs plantis crescentibus.*

m Metaphora est à natura huius auis ad pigritiam vinitoris exprimendam.

n Allegoria est e cõtinuatis metaph. à pungẽtib. liquorib. pro cõuiciis mordacibus, aculeatis salibus, verbis acerbis, & contumeliosis profuse vexatus.

o Apostrophe est ad Brutũ per exclamationẽ obtestantis, vbi, dum notat M. Brutũ Cæsaris interfectorẽ, alludit etiã ad L. Iunium Brutũ Tarquinii superbi expulsorẽ: de q, vide l. 4. Dion. Halicarnassæi. Hoc autem genus loquendi *credu mihi* habet nescio quid ἐμφατικὸν, quale notat Don. in Adelph. Act. 1. Sc. 2. ver. 21. *non est flagitium, mihi crede, adolescentulum, &c.* quod imitatus Cicero sic Cælium exagitat: *magna sunt, mihi crede: noli hæc contemnere.* hîc enim & auctoritas dicentis, & contemtus ostenditur audientis.

SATYRA OCTAVA.

Quid Priapus sit, & cui muneri ac officio præsit, hic explicatur, vt inde mulieres veneficæ exagitentur.

OLim truncus eram ficulnus, inutile lignum:
Quum faber incertus scamnum, faceretne Priapum:
Maluit esse Deum: Deus inde ego, furum auiúmque
Maxima formido: nam fures dextra coercet,
Obscœnóq; ruber porrectus ab inguine palus;
Ast importunas volucres in vertice arundo
Terret fixa: vetátque nouis considere in hortis.
2. Huc priùs angustis eiecta cadauera cellis
b *Conseruus vili portanda locabat in arca.*
Hoc miseræ plebi stabat commune sepulcrum,
Pantolabo scurræ, Nomentanóque nepoti.
3. Mille pedes in fronte, trecentos c *cippus in agrum*
Hic dabat: heredes monumentum ne sequeretur.
4. Nunc licet Esquiliis habitare salubribus, atq;
Aggere in aprico spatiari: quò modò tristes
Albis informem spectabant oßibus agrum:
5. Quum mihi non tantum furesq; feræq; süetæ
Hunc vexare locum, curæ sunt atq; labori:
Quantum, carminibus quæ versant atq; venenis
Humanos animos: has nullo perdere possum,
Nec prohibere, modo, 6. simul ac vaga luna decorum
Protulit os, quin ossa legant, herbásq; nocentes.
Vidi egomet nigrâ succincta vadere pallâ
Canidiam pedibus nudis, passóque capillo
Cum Sagana maiore e *vlulantem (pallor vtrasq;*
Fecerat horrendas aspectu) scalpere terram
Vnguibus, & pullam diuellere mordicus agnam
Cœperunt, cruor in fossam confusus: vt inde
Manes elicerent animas responsa daturas.
8. Lanea & effigies erat, altera cerea: maior
Lanea, quæ pœnis compesceret inferiorem.
Cerea suppliciter stabat, seruilibus, útque
Iam peritura, modis: Hecatem f *vocat altera, sævam*
Altera Tisiphonem. Serpentes, atq; videres
Infernas errare g *canes: 9 Lunamq; rubentem,*
Ne foret his testis, post magna latere sepulcra.
10. h *Mentior at si quid, merdis caput inquiner albis*
Coruorum: atq; in me veniat mictum atq; cacatum
Iulius & fragilis Pediatia, furq; Voranus.
11. i *Singula quid memorem? quo pacto alterna loquentes*
Vmbræ cum Sagana resonarent triste & acutum?
Vtq; lupi barbam variæ cum dente colubræ
Abdiderint furtim terris? & imagine cereâ
Largior arserit ignis? 12. & vt non testis inultus
Horruerim voces Furiarum & facta duarum?
Nam, displosa sonat quantum vesica, pepedi
Diffisâ nate k *ficus: at illæ currere in Vrbem.*
Canidiæ dentes, altum Saganæ caliendrum
Excidere: atq; herbas, atq; incantata lacertis.
l *Vincula cum magno risúq; jocóque* m *videres.*

Analysis Dialectica.

POeta nullam potuisset introducere personam in Satyra Priapo conuenientiorem, qui partes ipsius sustineret in exagitandis mulieribus veneficis, aliisque flagitiosis obiter notandis. Hic initio Priapus definitione quadam è quatuor generib. principum caussarum constanti se declarat (quò verò rem ipsius testimonium afferat Horatianæ narrationis auctoritatem) quarum efficiens est in fabro: materia in trunco ficulno, forma in Deo mentulâ rubente, velut fuste vel falce, vertice denique capitis inducto arũdine armato pro terriculo *Gal. pour un epouvantail*: finis denique est duplex, isque paullùm diuersus in furibus horto prohibendis, & infestis auibus fugandis. Breuiùs à Græcis definitur αὐτόξυλος ναὸς, vt Galiùs αὐτόξυλον τέχνημα φαυλοργὸν χαρὸς *opificium lignum manus imperitæ*, atque mentis insanioris, vt cap. 13. sapientiæ Salomonis dicitur de figulo, qui pessimè locans operam, vanum fingit Deum ex eodem luto, in quod ipse, nuper è terra natus, breui abiturus.

1 Ad definitionem augendam assumitur e subiecto argumentum, quòd in illo salubri horto constitutus sit, quem posteà locum suo illustrat præterito vsu, id est sine diuerso: primùm, quòd illic olim cadauera seruorum & pauperum communiter humo condeberentur: quibus adscribit non solùm exempli, sed reprehensionis etiam caussâ Pantolabum scurram, & Nomentanum nepotem.

3 Deinde quòd sepulcretum illud mille pedes in partem anteriorem pateret: in posteriorem trecentos: quæ certa circumscriptio fine approbatur, ne fortassis posteà hæredes illius, qui testamento reliquerat locum, sibi sepulcretum vindicarent.

4 Huius loci præsens vsus e topico aduersorum ostenditur, quod anteà locus tristis & pestilens esset: nunc est amœnus & salubris.

5 Loci amœnitas declaratur minorum collatione: quod in eo defendendo à rapacitate furum & vastatione ferarum & auium non tantum operæ & curæ ponendum sit, quantum in conuenticulis nocturnis veneficarum impediendis, & cauendis sagarum mulierum magicis præstigiis & fascinationibus.

6 Difficultas propulsandi veneficas ab ingressione horti proponitur ex vi, id est, caussa violenta Lunæ vagantis, quæ plurimum valet ad Magiam.

7 Hoc quidem argumentum est ἄτεχνον & extrinsecus assumtum ad eiusdem difficultatis demonstrationem ex oculari testificatione, quæ longâ descriptione veneficarum constat, partim ex ipsarum adiunctis, partim ex effectis & fine, quòd in apparandis incantamentis & fascinis sint pullatæ: nudis pedibus &

bus & passis capillis incedant, & tanquam laruæ per noctem vlulent pallidæ. Deinde Diis inferis agnam nigram mactent: dentibus dilacerent: & diuulsam in terram defodiant: vt ab Inferis, qui sanguine, lacte & melle delectantur, manes & animas mortuorum excitent responsuras ipsis sciscitantibus rerum euenta.

8 Ad eandem descriptionem hæc bipartita imaginum distributio pertinet partim è materia, partim ex relatis & efficientia: quòd altera ex lana, altera ex cera facta esset: illa imperaret: hæc parêret: quarum imaginum euocatione Hecate manium & vmbrarum Domina & Tisiphone vna è Furiis, & canes internæ excitarentur ad explenda ipsarum vota.

9 Ad turpitudinem talis veneficii & incantamenti pertinet adiuncta Lunæ occultatio præ pudore.

10 Quia Priapus præsentit descriptionem suam parum fidei habituram apud homines, destitutus artificiali argumento, confugit ad inartificiale, dum se obstringit merdicâ mendacii pœnâ: sit odor naribus suauior: testatio sanè est testante digna.

11 Ad confirmatam obligatione pœnæ descriptionem redit, & effecta talium sacrorum Diis inferis factorum memorantur tanquam admirabilia & horrifera: primùm colloquia manium excitatorum acuta tristia & alterna cum Sagana venefica: deinde occultatio barbæ lupinæ, & dentis colubrini: incendium imaginis cereæ.

12 Posteà ingens tremor, & horror eũ inuasit, quem ipsius auctores non impunè tulerunt. Hæc autem perturbatio tractatur similium comparatione: vt veneficæ & Furiæ suis imaginibus & veneficis artibus me terrore & metu concitarunt: sic ego ingenti crepitu ventris reddito illas exanimaui metu, mutas & vix viuas reddidi. Apodosis illustratur paribus: Tantum, inquit, mihi crepuit venter: quantum vesica vẽto distenta & displosa sonat: vnde irrita fuerunt illarum incantamenta non sine magno id rescisentium risu & ioco: Non est dissimile ridiculum Carionis in Pluto Aristophanis Act. 3. Sc. 2.

Enarratio Grammatica.

Ficulnus.] Initium huius Satyræ citatur à Lactantio l. 2. c. 4. de simulacris: quorum inuentionem lege c. 14. v. 15. Ita Priapus vocatur ligneus à Tibullio sub finem l. 4.

Canisq; sæua, sú sq; ligneo tibi
Lutosus adfricabit oblitum latus, vt hic ficulnus, quod à ficu deflectitur, sic Græcè σύκινος, quod etiam ficulneus dicitur, quo modo Varro lib. 3. c. 16. vocat ficulnea ligna & Colum. l. 5. c. 11. ficulneas arbores, cõtrà quam nonnulli Grammatici putant, vt in primis Seru. in Aeneid. 11. v. *Arbuteis texunt virgis & vimine querno*, annotat: sunt aliquæ duræ deriuationes: tamen eis vtimur cũ adiunctione alterius nominis, vt quernum vimen, colurnum veru, Horatius, truncus ficulnus, aprugnum callum, pro aprinum. Inutilitas autem huius ligni abiit in metaphoricum prouerbium ex ipsius infirmitate, vt Aristop. in Lysistrate dixerit, ἐς ἦν αὖ ἡμῖν συκίνη ἐπιπουρία, αὐτὶ τοῦ ἀσθενὴς, καὶ ἀνωφελὴς βοήθεια, *qui nobis fuit infirmum & inutile subsidium & adminiculum.* Ita Theocritus αὐδηρὰς συκίνους vocat homines ἀχρῆστας, molles & laboris impatientes & inutiles εἰδ. 10. inscripto ἐργάτινας. Ita Catullus dicit ligneam coniugem, pro exsuccam & aridam.

Incertus scannum.] Ellipsis est hîc alterius particulæ dubitantis, vt dicendum videretur, sicut illud Virgilii:

Iustitiane priùs mirer, bellíne laborum.

Vel vt Teren. And. 1. 3. *Pauphilúmne adiutem, an auscultem seni*: ita Faber incertus erat, scannúmne, Priapúmne faceret.

Scannum.] Ita sine *m.* scribendum ratio nominis videtur postulare: nam Grammatici à scandendo dici volunt, & in his Isidorus: quòd altioribus lectis apponerentur ad faciliorem adscensum.

Priapum.] Quidam putant Priapum esse filium Dionysii & Naidis, vel Chionæ Nymphæ, vt dictum est in Gram. 2. Epod. & de eius etymo: alii, vt Diodorus l. 5. & scholiastes Apollonii, dicunt eum ex Venere & Baccho natum. Phornutus putat Priapum & Pana eundem esse. Cognominatus est Lapsacus ab insigni vrbe Hellesponti, & Hellespõtiacus, de quo vide plura in conuiuio Deorum lib. 6. Fast. ad hæc verba:

Conuocat & Satyros &c.

Vide prætereà de eodem Seru. in v. 4. Georg.

Hellespontiaci seruet tutela Priapi.

Vbi citatur hic locus. Cognominatur quoq; à Græcis φαλλὸς καὶ ἰθύφαλλος, quasi diceres erectũ penem: quam vocem posteriorem Columella lib. 10. de cultu hortorum vsurpauit:

Sed truncum fortè dolatum
Arboris antiquæ numen venerare Ithyphalli.

Plutarchus libello de Iside & Osiride tribuit inuentionem τοῦ φαλλοῦ Isidi, quæ cadauere Osiridis inuento dicitur ex omnibus ipsius membris solum penem desiderasse: quòd statim abiectus in mare ab ipsius cæde fuisset, & à piscibus Lepidoto siue squameo, Phagro & Oxyrincho voratus: quos eam ob rem Aegyptii præ aliis piscibus exsecrantur: in eiúsque locum curauit Isis Phallum, id est, veretrum, (vt id Valla vertit li. 2. Herodoti) illi simile conficiendum & consecrandum: quo posteà Aegyptii in sacris vsi sunt quæ de ipsius nomine dicta sunt Phalophoria, in quibus imago penis gestabatur. De eodem lege Lactan. l. 1. c. 21. de Diis Barbarorum. Quod ad vocem attinet, Priapum deflecti παρὰ τὸ βεῖ, ἐπιτατικὸν mutato βῆτα in πῖ καὶ ἄπος, εος, τὸ μῆκος καὶ ὕψος, ἢ παρὰ τὸ ἔπος, ἔος, à longitudine mentulæ, ideóque scribitur bifariam, Γέιαπος καὶ Γέιεπος ab Arriano in Bithyniacis teste Eustathio: quanquam scio ab aliis aliter notari. Sed præstat silentium loquacitati in re præsertim tam obscœna & castis sensibus indigna. Dicam igitur cum Lactantio ibidem: *Non excutio tam deforme mysterium, nec Priapum denudo, ne quid appareat risu dignum*: necesse est alicuius maioris turpitudinis tegendę gratiâ hæc fuisse à Poetis ficta, quæ leges τῶ λέοντος πλείω in Priapeis inter opuscula Virgilii.

Inde ego.] Hanc equidem particulam puto ad tempus referendam, vt valeat, iam inde ab expressa & efficta mei forma Deus habitus fui ad deterrendos fures & aues: cultus etiam fuit à Corinthiis Priapus orneus, & ipsius statua ornea vocata. Est quoque Epigramma Martialis lib. 6. *Non sum de fragili dolatus vlmo*, &c.

Maxima formido.] Ellipsis est verbi, *fui.* Cicero definit lib. 4. Tuscul. *formidinem esse metum permanentem*, (cuius vocis etymon peti potest ex his Festi verbis: *forcipes dicuntur, quod his forma, id est calida capiuntur*, & è loco Catonis de quodam *ædificio æstate frigido, hyeme formido*, id est calido: vnde apparet vsitata olim fuisse

hæc epitheta, *formus & formidus, a, um*, & hæc ἀπὸ τῆ ὁρμῆς, ab impetu & subdita commotione, vnde, vt à trepidatione, elicitur sæpè sudor) & Aristoteles, *metum* lib. 2 Rhet. ἔστω δὴ φόβος λύπη τις ἢ ταραχὴ ἐκ φαντασίας μέλλοντος κακοῦ ἢ φθαρτικοῦ, ἢ λυπηροῦ. *Metus igitur sit dolor quidam aut perturbatio orta ex opinione imminentis mali, quod possit vel interitum nobis, vel molestiam afferre.* Sic antè Sat. 4. dixit de Sulcio & Caprio, *Magnus vtérq; timor latronibus.*

Obscenóque.] De hac voce vide Grammat. Sat. 2. sicut de inguine.

Nouis.] Respicit ad recentem hortorum instructionem ab Augusto, vel, vt quidam malunt, à Mæcenate factam.

Eiecta.] Id est, vilia & abiecta, contemta: contrà, cadauera liberorum & potentum magnifico funere efferebantur.

Cadauera.] Hæc vox habet inclinamentum à cadendo, quòd qui occiduntur, soleant cadere, vnde Vir. Aeneid. 1. *hostia cadit ante aras*, id est, interficitur & mactatur, & 3. Com. Cæs. de Bel. Ciuil. *Ad duorum millium numerum ex Pompeianis cecidisse reperiebamus, id est occisos & mortuos.* Eadem est vis significandi in Græco πίπτειν & inde inclinato πῶμα, Herodi. li. 4. τὰ δὲ πώματα φερόμενα μετ' ὕβρεως πάσης ἔξω τῆς πόλεως νομιζόντα ἐρρίπτετο, *hæc cadauera per omnem contumeliam exportata extra vrbem eiiciebantur*, quæ hîc dicuntur eiecta, tanquam vi fluctuum marinorum littori appulsa facto naufragio: sic Seruius in Aeneid. 1. *si quibus eiectus syluis*, explicat, naufragus.

Cellis.] Cellam Grammatici à celando deflectunt, quòd ibi penus recondatur, & eódem, tanquam in carcerem, etiam serui olim coniicerentur, vt facilè perspicitur ex Amphitryone Plauti. 4. 4. Inde *cras è promtuaria cella deromar ad flagrum.*

Pantolabo.] Hi duo etiam carpuntur l. 2. Sat. 1.

—— Tristi lædere versu
Pantolabum scurram Nomentanúmq; nepotem.

Ille prænomine Manlius Pantolabus. Ex eo putat Acron dici, quòd, quicquid afferretur, acciperet, mutuæ pecuniæ. Hic Cassius Nomentanus nepos: ambo viles assentatores numerantur facetè in infima plebe.

Mille pedes.] Hoc distichon continet formam verborum, quibus testator vsus fuerat in certo loci spatio Reip. donando & heredibus suis detrahendo, vt esset commune populi sepulcretum & his literis notabatur. H. M. ex. T. N. Tran. vel potiùs verbis nostri Poetæ: de quo vide Leg. 3. siquis. ff. de sepulcr. viol. Hoc monumentum heredes ex testamento non sequitur. Cicero ad Cæsarem monumentum ita notat. *Sed ego, quæ monumenti ratio sit, nomine ipso admoneor: ad memoriam magis spectare debet posteritatis, quàm ad præsentis temporis gratiam, siue fuerit sepulcrum, siue statua, fanum, porticus, liber, historia, siue res huiusmodi.*

In fronte.]Significatur agri longitudo secus viam, vt in agrum latitudo eiusdem: quia ex lib. 2. c. 6. Ptolemæi in Geogr. maiori distantiæ longitudo tribuitur, vt minori latitudo.

Hic dabat.]Id est, hic cippus & lapis erectus in hoc agro ostendit tantum terræ dari humandis corporibus pauperum per has literas in eo incisas.

Nunc licet Esquiliis.] Hîc est duplex Ellipsis sic explenda: Nunc licet hominibus habitare in Esquiliis. Esquiliæ autem dictæ sunt locus, collis & vicus Romæ: quòd illi arx esset & excubiæ regis Tullii fierent, de quibus sic 1. Fast. Ouidius.

Adde quòd excubias, vbi rex Romanus agebat,
Qui nunc Esquilias nomine collis habet.

Illis Esquiliis postea horti Mæcenatis instructi sunt, & domus, vbi Augustus æger sæpè cubabat, vt refert Sueton. in ipsius vita cap. 72. Ad has Esquilias Puteoli sunt, vbi plebs infima & inops humabatur, dicti quòd ibi cadauera proiecta putescerent: vide apud Festum & Varronem & Strabonem lib. 5. alterum etymon, de quibus etiam fuit in Gramm. 5. Epodωn.

Quò modò.] Hîc *quò* construitur cum *spectabant*, verbo motus vt dicitur, *huc specta*, & *quò spectas*? sententia igitur est: in quem aggerem coniectis oculis tristes Libitinarii vel alii etiam homines videbant modò agrum albescentem & squalescentem & horrescentem craniis & ossibus: sic Ode 10. dixit *hyemes informes*: notas ibi nostras reuise.

Feraq; sueta.] Hîc non liquescit, v, vt in hoc Virgiliano:

Non insueta graues tentabunt pabula fœtus.

Quantum.] Ellipsis est horum: quantum mulieres veneficæ sunt mihi curæ: præterea in *tantum & quantum* sunt antimeriæ aduerbiorum pro nominibus, quibus quidem posterioribus Cicero vteretur in hac collatione pronuncianda, fures ac feræ non tantæ sunt mihi curæ & labori, quantæ sunt mulieres veneficæ.

Carminibus.]Pro incantamentis & Epodis, vt

Carmina vel cælo possunt deducere Lunam. 8. Eclog.

Vaga Luna.] Seruius in hunc versum lib. 1. Aen. sub finem.

Hic canit errantem Lunam, solisque labores:

Caussam dicit, cur Luna vagetur: *quia*, inquit, *obliquo incedit cursu, non recto, vt Sol: ne incidat in centrum terræ, & frequenter patiatur Eclipsin.*

Canidiam.] De hac venefica vide 5. Epod. & 12. 17. & Sat. 1. lib. 2.

Scalpere.]Terram scalpere videtur significare quibusdam satis propriè dictum: quòd scalptura ferè solam corporum superficiem attingat, quo modo dicit Iuuenalis Sat. 9.

Qui digito scalpunt vno caput.

Quod inter Græcos Plutar. in Pompeio expressit, ὅστις οὐὶ δακτύλῳ κνᾶται τὴν κεφαλήν, *qui vno digito scabit caput vel scalpit.* Vnde constat terram non altè effossam fuisse ab his veneficis. Atq; vt obiter hoc moneam, hæc Iuuenalis sententia dicta est in molles & effæminatos, qui, ne calamistratos & cincinnatos capillos disturbent, caput digitulo scalpere solent: quod probri loco in Pompeio notatum est ac vituperatum, vt ἐν πολιτικοῖς παραγγέλμασι refert Plutarchus, Ῥωμαῖοι δὲ Μάγνον ἐλοιδόρουν οἱ ἐχθροὶ, παραφιλάξοντες ἑνὶ δακτύλῳ τὴν κεφαλὴν κνώμενον, *Pompeium magnum conuiciis afficiebant inimici, quòd illum obseruassent vno digito caput scalpsisse.* Ibi præcipit auctor eum à leuibus etiam vitiis vacuum esse debere, qui ad Reip. gubernaculam videtur aspirare. Eódem meâ sententiâ spectat Apophthegma Philippi apud Plutarchum: ἐν ἀποφθεγμ. Βασιλ. καὶ στρατ. Τῶν δὲ Αντιπάτρου φίλων τινὰ κατατάξας εἰς τοὺς δικαστὰς. εἶτα τὸν κώγωνα βαπτόμενον ἀιδόμενος τὴν κεφαλὴν, ἀνέγνωσεν εἰπών. τὸν ἄπιστον οὐ θρίξι, μὴ νομίζειν ἀξιόπιστον οὐ πράγμασι. *Quum ex amicis Antipatri quendam in ordinem iudicum cooptasset: deinde eum intelligeret barbam & caput tingere solitum, monuit magistratu, affirmans eum esse indignum, cui fides habeatur, qui malè fidus est suis capillis.*

Pullam.]Hunc colorem quidam putant esse, quem Græci dicunt λευκόφαιον ex albo & fusco mixtum, & Mart.

Mart.lib.1.Bæticum,id est,Hispanum & subnigrum, hic enim ille:

Amator ille tristium lacernarum,
Et Bæticatus & Leucophæatus.

Diuellere.] Hic est dissoluere,quibus opponuntur 1.de Oratore,quę rem dissolutam diuulsámque conglutinaret & ratione quadam coniungeret.

Vt inde.] Incertum est ad vtrum referatur illud *inde*,ad cruórne, an ad fossam : sed argumentum à fine in Dialecticis notatum indicat satis, ad cruorem esse referendum, vt vis sacrorum magis appareat: sed ita videbitur τὸ *inde*, caussam notare: si verò pro ex fossa,tum dicetur ferè similiter Tibul.lib.1.Eclog.1. *Manes sepulcris elicit.*

Hecaten.]De hac etsi copiosiùs dictum est in Grammaticis Od.22.l.3.addam tamen è 6. Aen. vt potestas illius notior & illustrior sit:

Voce vocans Hecaten cælóque Erebóq; potentem.

Hecate,vel Proserpina,vel Triuia, credita est præses veneficiorum,ad quæ magno carmine deuocabatur & accedebat comitata canibus & serpentibus, id est, Furiis:vox *Hecate* deflectitur ἀπὸ ἑκατὸν *centum*, quòd Hecatombe,id est,centũ victimis placetur: vel quòd non sinat manes insepultorum transmitti per Acherontem in campos Elysios,nisi post errores centum annorum.

Tisiphonem.]Quæ hæc sit,& vnde dicta,vide Grammat.Odes 28.l.1.

Atq; videres.]Ἀναστροφὴ coniunctionis, pro videres serpentes errare,atq; infernas canes:vt lanea & effigies,pro effigies lanea erat, & altera cerea. Serpentum lapsus sanè sunt multiplices & erratici, vt canum errores varii.

Infernas canes.] Quidam putant hîc significari Cerberum:mihi verò magis videtur significari Furias & Eumenides,atq; Erinnyes,quas Virg.

Stygiásq; canes in luce superna Destituam, Græci Κυνὰς στυγερὰς ἀϊδήλους, ἢ Κωκυτὰς vocãt, quarum crinibus implexi erant angues,vt 4.Georg.

Cærulóq; implexæ crinibus angues.

Lunámq;.] Turnebus animaduertit hunc locum posse intelligi vel de verecundante Luna, spectatis veneficarum factis, vel de ipsius defectu,in quo talis apparet,vt Ouid.l.2.Amorum Eleg.5.

Quale rosæ fulgent inter sua lilia mistæ
Aut vbi cantatis Luna laborat equis.

Post magna.] Quia veneficæ timebant oculos hominum indices,post sepulcra latebant.

Caput inquiner.] Id est,caput meum denudetur vmbellis,vt illud aues conspurcent.Ita enim οἱ μυΐσκοι, vmbellæ limatæ definiuntur à Schol. Aristoph. in *Auibus*: οἱ μὲν μυΐσκοι καλοῦνται σκεπάσματα τῶν ἀνθεικούτων, διὰ τὸ μὴ ἀποπατεῖν κατ' αὐτῶν τὰ ὄρνεα. *Menisci vocantur integumenta statuarum,ne capita ipsarum merdis auium inquinentur.* Hellenismus autem est, pro caput mihi inquinetur merdis : quam vocem postremam quidam deflectunt παρὰ τὸ μέρος ἔδαφος: quòd pars sit cibi eiectitii, quali inquinamento coruorum sunt subiecta corpora pendula.

Mictum atq; cacatum.] Græcè,οὐρεῖν καὶ χέζειν.

Iulius & fragilis Pedatia.] Tempore nostri Poetæ hi tres fuerunt homines pessimi nominis,quorum Pedatius dicitur fuisse eques Romanus , quem mollis parentum educatio sic fregerat,vt cum amissa corporis & mentis castitate omnem etiam parentum hereditatem turpiter obligurierit.Itaque Poeta,vt præter illam fragilitatem turpiùs illum notaret, de nomine mulieris eum appellat Pedatiam , tanquam mollem & effæminatum. Voranus autem memoratur fuisse libertus Q.Luctatii Catuli homo furacissimus.

Alterna loquentes.]Idem per casum auferendi Virgilius enunciat 3.Eclog. *Alternis dicetis*:vbi facilè intelligitur *versibus* aut *verbis*. Idem quoque Græci per vnum verbum ἀμοιβόμεναι,vel per duo ἀμοιβαίως διαλεγόμεναι.

Resonarent triste.] Quod Græci dicunt, ὀξὺ καὶ γοερὸν αὐτιφθέγγοιντο ἄρ ἢ αὐτηχοῖν ἢ βοῶν αὖον, quas etiam Homerus vocat οὖλον καὶ λυπηρὸν πεπληγύας. Sæpè notatus est hic Hellenismus pro,mæstè loquerentur & acutè,quando nomina reperiuntur posita,velut vicaria aduerbiorũ : quæ Græcis est ἀντωνυμία quo modo dixit,*acutum cernere* Sat 3. Sic mulieres sunt ὀξύφωνοι, vt homines castrati,gracili & acutâ voce præditi.

Barbam.] Hunc locum protulit Philip Beroal. in annotat.in commenta.Seruii:*vtque lupi barbam*,ad refutandam illius opinionem , qui scripserit in Virg. Barbam numero singulari hominum, plurali quadrupedum dici:vide ibidem plura.

Colubræ.] Sæpius hæc vox effertur virili genere, coluber,quam muliebri,& creditur nomen inuenisse ab incolendis vmbris.

Imagine cereâ.] Quidam putant hunc versum esse Hypermetrum , sed satius est in dimensione illius contrahere in vnam duas syllabas posteriores.

Displosâ.] Displodere est compressu manuum vel pedum strepitu sonitum edere,& vtre vel alio aliquo vase inflato & tenso,quo Lucret.vtitur lib. 6. describens rationem fulminis è nube grauiter erumpentis:quod Græcè posset dici ὅσον πλεῖστον πύκνις κτυπεῖ ἀποψοφήσασα, μέγα παῦν ἀποπέπορδα. Vox enim Græca,vt Latina, sonat pelliculam , in quam vel liquor vel ventus includitur,à quo posteriori Grammatici vesicam volunt dici,quasi vensicam.

Illæ currere.] Ellipsis est verbi deliberatiui cœperunt,quæ est familiaris historicis & Poetis & maximè Sallustio.

Dentes.]Ex tam facili lapsu dentium intelligimus eos ascititios,non naturâ hærentes.

Calendrum.] Quidam hanc vocem putant significare, quod Græci dicunt τὸν καλύπτραν muliebre tegmen capitis,quo vtitur Hom.Ὀδυσ.ε καὶ η.

— Κεφαλῇσι δ' ἐπέθηκε καλύπτρην Ionicè,*capiti imposuit calendrum*:

Et hoc παρὰ τὸ καλύπτειν, à tegendo dicitur. Alii verò putant significare τὰς τῶν κόμων προσθέσεις, ἢ κόμας προσθέτους, *comas appositiias*,quibus hodie vtuntur mulieres nimis impudicè,vt viri,comâ super frontem horridâ & arrectâ, quam Græci vocant κόμην ὑπὲρ τὸ μέτωπον αὐαρείπουσαν:quod puto longè diuersum ab illo κομοτροφεῖν tributo Galliæ comatæ à Strabone. Huc pertinet,quod dictum est Ode 6.l.2.

Rhetorica Explicatio.

EFficta est hîc & inducta persona factitii Dei, quæ repræsentaret aculeos Poeticæ orationis in veneficas mulieres, aliósque homines impuros,qui se turpibus flagitiis insigniter nobilitarant. Neque verò in hac breuitate fictæ narrationis desunt Rhetoricæ eloquutionis ornamenta , vt licet ex consequentibus intelligere, ac primùm ex hoc loco: *Facerétne Priapum.* Est hîc ἀπορία & addubitatio, atque metonymia subiecti pro simulacro Priapi.Item in *Deum esse* pro imagine Dei. Præterea ex his *Deum*

esse & Deus manifestum est polyptoton in iteratione vocis eiusdem variè cadentis ac leuiter resonãtis. Nõ dissimilis est conformatio dictionis in *hunc, hoc, hic.*

b Synecd. est generis pro, Vespillo & Libitinarius, Sandapilarius, Pollinctor, νεκροφόρος, κηδευτής, νεκροθάπτης, vel νεκροκαύτης, *Vstor semirasus* Catullo: qui ex abiecto mancipiorum genere assumebantur ad cadauera eorum, qui ob inopiam non poterant efferri funebri pompâ, efferenda semiraso capite, vt qui ad aliud vile & operosum munus publicum, ad molendinas, & ad remos damnabantur. Talis est tropus in *vili arca*: pro sandapila, pheretro, loculo, Gal. *pauure seruil & biere*: quali Suet. narrat Domit. c. 17. in ipsius vita elatum: *cadauer eius populari sandapilâ per vespillones exportatum, Phyllis nutrix in suburbano suo viâ Latinâ funerauit.*

c Metaph. in erecto terræ tumulo, cui tribuitur sensus & motus, pro quo propriè diceretur, Cippus cõtinet mille pedes & trecentos, vel totidem patet. In *protulit os, quin ossa* est παρονομασία, soni aliquantum assimilis in diuersa notione.

d Hæc narratio rei visæ, & sub aspectum velut eam subiiciens, videretur aliis Rhetoribus hypotyposis, sed mihi cur non videatur, dictum est in Gramm. Od. 9. lib. 1.

e Nota est translatio à lupis ad horrorem audientibus hæc excitandum.

f Tribuitur hîc quoq; inanimis sensus, & est quædam prosopopœiæ species.

g Synecdochica periphrasis Furiarum de quibus in Grammat.

h Προπαράλυψις est diluentis obiectum per exclamationem obtestantis pronuncianda.

i Ironia est, vbi simulat se velle præterire, quod memorat maximè.

k Metonymia est materiæ pro imagine Priapi inde facta, tanquam diceretur, *Ego Priapus ficulnus pepedi.*

l Altera quidem est synecdoche, sed generis pro liciis & fasciis, quibus in simili argumento propriè vsus est Virg. in Pharmac.

Terna tibi hæc primùm triplici diuersa colore
Licia circumdo.

Quæ in Ciri fila dicuntur:

Térque nouena ligat triplici diuersa colore
Fila.

Quæ fortassè non ineptè dixeris στρόφους, λέγω ὅτι τὰ λεπτὰ τοιχίδια, *fasciolas & funiculos ad cirrhos* constringendos & crines nectendos, nisi malis ταινίδια, fasciolas significari, quibus turgentiores mammæ mulierum coercentur.

m Synecd. est speciei pro genere, quisq; videre posset & ridere veneficarum perturbatam fugam.

SATYRA NONA.

Quod odiosa garrulitas, circulatoriaque iactatio omnibus intoleranda sit.

IBam fortè viâ sacrâ, sicut meus est mos,
Nescio quid meditans a *nugarum, & totus in illis:*
Accurrit quidam notus mihi nomine tantùm,
Arreptâq; manu, quid agis, dulcissime, rerum?
3. Suauiter, vt nunc est, inquam, & cupio omnia, quæ vis.
Quum assectaretur, nunquid vis? occupo: at ille,
4. Noris nos, inquit, docti sumus 5. Hîc ego pluris
Hoc, inquam, mihi eris: misèrè discedere quærens,
Ire modò ocyùs, interdum consistere: in aurem
Dicere, nescio quid, puero: 6. quum sudor ad imos
Manaret talos: o te Bollane b *cerebri*
Felicem! aiebam tacitus 7. Quum quidlibet ille
Garriret: vicos, Vrbem c *laudaret: vt illi*
Nil respondebam: misèrè cupis, inquit, abire,
Iamdudum video: sed nil agis: vsque tenebo:
Persequar, hinc quò nunc iter est tibi? nil opus est te
Circumagi: quendam volo visere non tibi notum
Trans Tiberim longè cubat is prope Cæsaris hortos.
9. Nil habeo, quod agam, & non sum piger: vsque sequar te.
10. Demitto auriculas, vt d *iniquæ mentis asellus,*
Quum grauius dorso subiit onus 11. Incipit ille:
Si bene me noui, non Viscum pluris amicum,
Non Varium facies: nam e *quis me scribere plures,*
Aut citiùs possit versus? quis membra mouere
Mollius? inuideat quod & Hermogenes, ego canto.
12. Interpellandi locus hic erat: Est tibi mater?
Cognati? queis te saluo est opus? haud mihi quisquam:
Omnes f *composuit: 13.* g *Felices, nunc ego resto:*
h *Confice: namq; instat fatum mihi triste, Sabellæ*
Quod i *puero cecinit,* k *diuinâ motâ anus vrnâ:*
Hunc neq; dira venena, nec hosticus auferet ensis,
Nec laterum l *dolor, aut tussis, nec* m *tarda podagra,*
Garrulus hunc quando consumet cúnque: loquaces,
Si sapiat, vitet: simul atq; adoleuerit ætas.
14. Ventum erat ad Vestæ, quartâ iam parte diei
Præteritâ: & casu tunc respondere vadato
Debebat: quod nî fecisset, perdere litem.
Si me amas, inquit, paullũ n *hîc ades 15. O Interea: si*
Aut valet o *stare: aut noui ciuilia jura:*
Et p *opero, quò scis. 16. Dubius sum, quid faciam, inquit,*
q *Tene relinquã, an rem. Me, sodes, Non faciam, ille:*
Et præcedere cœpit. Ego, vt contendere durum est
Cum r *victore, sequor 17. Mæcenas quomodo tecum?*
s *Hinc repetit. Paucorum hominum & mentis bene sanæ.*
Nemo t *dexteriùs Fortunâ est vsus: haberes*
Magnum adiutorem, posset qui ferre u *secundas,*
Hunc hominem velles si tradere: x *dispeream; nî*
Summôsses omnes 18. Non isto viuimus illic,
Quo tu rere, modo: y *domus hac nec purior vlla est:*
Nec magis his aliena malis. Nil mî officit vnquam,
Ditior hic, aut est quia doctior: z *est locus vni*
Cuiq; suus. 19. Magnũ narras, vix credibile. 20. Atqui
Sic habet- 21. aa *Accendis, quare cupiam magis illi*
Proximus esse. 22. Velis tantummodo: quæ tua virtus,
bb *Expugnabis, & est, qui vinci poscit, eoque*

23. *Difficiles aditus primos habet. Haud mihi deêro:*
Muneribus seruos corrumpam, non hodie si
Exclusus fuero, desistam: tempora cc *quæram:*
Occurram in triuiis: deducam. Nil sine magno
Vita labore dedit mortalibus. 24. dd. *Hæc dum agit, ecce*
Fuscus Aristius occurrit mihi carus, & illum
Qui pulcrè nosset. Consistimus: unde venis? &
Quò tendis? rogat, & respondet. Vellere cœpi,
Et prensare manu ee *lentissima brachia, nutans,*
Distorquens oculos: vt me eriperet. Malè ff *salsus*
Ridens dissimulare: meum gg *jecur vrere bilis.*
Certè nescio quid secretò velle loqui te
Aiebas mecum. Memini bene: sed meliori
Tempore dicam: hodie hh *tricesima Sabbata. Vin' tu*
Curtis Iudæis ii *oppedere? Nulla mihi, inquam,*
Relligio est. At mi: sum paullò infirmior, vnus
Multorum ignosces: aliàs loquar. 25. *Hæccine Solem*
Tam kk *nigrum surrexe mihi? fugit improbus: ac me*
Sub ll *cultro linquit.* 26. *Casu venit obuius illi*
mm *Aduersarius: &, quò turpissime? usagnâ*
Exclamat voce: &, licet antestari? Ego verò
Oppono auriculam. Rapit in nn *ius: clamor vtrinq;*
Vndiq; concursus: sic me seruauit oo *Apollo.*

Analysis Dialectica.

VErissimè Theognis docuit, scurrarum genus importunissimum & odiosissimum esse:

Κωτίλῳ ἀνθρώπῳ σιγᾷν χαλεπώτατον ἄχθος.
Φθεγγόμενος δ' ἀδαὴς, οἷσι παρῇ, μέλεται.
Ἐχθαίρουσι δὲ πάντες.
Grauissimum est onus homini garrulo silere:
Quum autem loquitur imperitus, socius graui est oneri,
Et eum oderunt omnes.

Quo vitio Fabius quidam dictus est Sat. 1. vehementer laborasse. & iisdem versibus à nobis illic notatus Itaque non immeritò Poeta fecit hanc Satyram perelegantem, nec minus facetam in hoc genus hominum, sed quò facetius τοὺς ἀλαζοκαυνοφλυάρους roderet, quâ trinomini voce assentatores, futiles, & nugares intelligimus, finxit, *quendam huius ordinis ἀνώνυμον casu sibi viam sacram terenti occurrisse*: ad quam fictę personę inductionem accedit, *quòd se ad consuetudinem nugas meditandi aggreget modestiæ*, credo, *suosq; versus Satyros magis extenuandi gratiâ, quàm adaugendi*: Talis enim licentia & nemini parcens maledicendi acerbitas ad Satyram accommodatissima est, cuiusmodi cernitur maximè in Sat. 3. lib. 2.

2. Impudens hominis confidentia, de qua Diphilus Comicus dicitur hoc fecisse:

Οὐκ ἔστιν ἀναιδὲς ζῶον θαρσαλεώτερον, *Nullum est animal confidentius impudente*, è festinata subitaque aggressione & percontatione indicatur, quæ ad Categoriam effectorum referenda sunt.

3. Poeta magis grauatè, quàm iucundè respondet, quanquam id videtur suauitate quadam sermonis simulare, vt liquet è cōcisa similitudine, *sicut hæc tempora rerúmq; mearum status sinunt, ait, sic meæ sunt tacitæ meditationes*: deinde pollicetur illi τὴν ἀντοῦ ὁμόνοιαν, ac vicissim quærit ex eo, *nunquid ipsius operâ egeat.*

4. Vanitas quoque hominis perspicitur maximè ex insolentissimo nomine, quod sibi arrogat: nec intereà quicquam ad quæsitum respondet.

5. Nisi dixerimus Horatium dedisse hoc responsum διὰ τῆς τινος προσποιητῆς ὁμονοίας, necesse erit constituere illum talis in solētiæ approbatorem: quum è maiorum collatione dicat *eum sibi multò fore cariorem illâ doctrinâ*. attamen è factis ipsius consequentibus satis planum fit, summum fuisse ipsius studium liberandi ac explicandi sui ex huiusmodi hominis grauibus molestiis.

6. Angorem animi sui, quem ex importunitate huius hominis capiebat, dissimilitudine declarat: *miser sum*, inquit, *hac tolerantiâ molestiarum: Bollanus verò felix nihil huiusmodi patiendo vel dissimulando.* Existimo exemplum hoc non esse alienum ab illo Fabii lib. 5. c. 11. *Brutus occidit liberos proditionem molientes: Manlius virtutem filii morte multauit.*

7. Ex his priuantibus dissentaneis: *multa quidem cum Horatio loquor: hic verò tacet, nihilque mihi respondet.* intelligit anonymus se tædio esse comiti suo: attamen, quæ ipsius erat impudens loquacitas & importunitas, neque loquendi, neq; sequendi finem se facturum dicit.

8. Poeta vrget disiunctionem è caussis, *anfractus viæ, flexuorumq; iter ad inuiscendum quendam tibi ignotum & ægrotum, & susceptus indè labor neutri profuturus te ab hoc comitatu debent abstrahere.*

9. Superior ratio refutatur ab anonymo ex adiuncta otii abundantia & corporis impigritate, quòd *multum sit illi otii à rebus gerendis, multaq; alacritas corporis ad quiduis conandum & vsq; Poetam comitandum.*

10. Hinc perspicitur, quàm verissima sit superior Theognidis sententia, vt Poeta fateatur αὐτὸν παραφρονεῖν τῇ τοῦ ἀνώνυμου ἀδολεσχίᾳ, *se futilitate anonymi delirare:* quod enunciatur similitudine: *vt asinus invitè fert onus sibi impositum: sic Horatius fractus & debilitatus corpore & sensu ægerrimè fert importunitatem huius hominis.*

11. Pergit anonymus iactare se de stabilitate amicitiæ, quam semel cum altero constituit, idque parium collatione: *permulti quidem certè facti Vicum & Varium amicos: tantidem me quoq; facies conciliatâ inter nos amicitiâ.* Hæc apodosis amplificatur aliis paribus: *quòd & copiosâ & celeri scriptione versuum & eleganti saltatione & cantu nemini cedat.*

12. Poeta existimat è dissimilibus cursum tantæ garrulitatis impediri posse interpellatione & interrogatione non importunâ: *non vt matri tuæ*, inquit, *& cognatis: sic mihi opus est agilitate tui corporis, & sensuum integritate, ingeniiq; bonitate.* Antapodosis quidem non exprimitur, sed ex hac subiectione contradicentis protasews facile elicitur: *Tibi*, inquit, *o Horati possum nunc hanc meam operam nauare: quia nulli sunt iam mihi parentes & cognati, quibus officium præstari extremum.*

13. Iam Poeta querens ereptam sibi potestatem huius importunitatis effugiendæ, disputat secum ex aduersis, *felices esse mortuos, & se superstitem miserū*, quod argumēto ab arte remoto confirmat. *Ita enim*, inquit, *Sabella nutrix sortilega prædixerat me a garrulo interiturum.* Tali argumento Achilles è castrensi Græcorum cōmotione propter necem Patrocli coniectauit sibi euenisse, quod mater ipsi quondam vaticinata fuerat, Iliad. σ. Hoc autem vaticinium enunciatur per rationem diuersorum sic συνημματικῶς conclusum: *Sabella præmonuit me à puero non interiturum veneno, nec vi hostili, nec ferro, nec pleuritide, nec podagrâ, sed importunâ lo*

quacitate hominum: debeo igitur ego iudicii firmioris loquaces vitare.

14. Quod Poeta non potuit adhuc arte suâ obtinere, vt Anonymus se ab ipso secerneret, id fortunâ videbatur ipsi obtulisse. Productus est tamen sermo vtrinque, nec antè desiit haberi, quàm aduersarius obuiam venisset Anonymo, qui Poetam intereà rogat amanter, *vt se iuuet in defensione litis.*

15. Poeta respondet ex adiunctis, *se non satis valere cruribus ad motum statarium diu in foro ferendum, ante tribunal Prætoris*, vbi sedere neque honestum erat, neque licebat: qui Medicis est κίνησις τονικὴ tanquam diceres, *motus tensiuus: atque prætereà distineri occupationibus, quas ille nouit.* Alii tamen hæc adiuncta referunt ad facultatem ingenii & patrocinii in Poeta desideratam, quâ solent amicorum caussæ in foro defendi.

16. Anonymum dubitantem, ab vtro secederet, ab Horatióne, an ab lite, rogat Horatius amicè, *vt se potius quàm vadimonium deserat.* Ille è contradicentibus non ipsum reliquit. Oportuit hunc garrulum intemperantissimæ fuisse linguæ, qui magno dispendio maluerit de perdenda caussa periclitari, quàm missas facere nugas. Itaque præire cœpit, & Horatius contentioni cedens ex adiuncta difficultate & molestia illum sequi coactus est.

17. Anonymus redit ad ingenium, id est, loquacitatem, *& qualem se præbeat erga Poetam Mæcenas*, percontatur. Poeta breuiter describit Mæcenatem ex adiunctis: *quod paucis hominibus hisque mentis sanæ & integræ cum ipso intercedat consuetudo*: sitque peracutus ingeniorum spectator, καὶ πάντως ἀπολάπευστος, & qui se nullis omnino blanditiis capi sinat: cui, vt homini fastidiosi iudicii, non quiduis facile placet. Talem se Dauid pollicitus est Deo fore, postquam ab eo rex fuit constitutus, quum Psalmo 101. canit nunquam se toleratutum domi suæ vllos assentatores, aut sycophantas, aut mendaces, aut superbos, aut fraudulentos aut impios: sed veraces, integros, iustos & pios se vnicè amaturum. Hinc Anonymus efficit è minoribus enthymematicōs, *Poetam quouis fortunatiorem esse, qui in familiaritatem tam prudentis viri intrârit*: mihi non probatur explicatio eorum, qui putent hoc de Mæcenate intelligendum: quod hic dexterius suâ vteretur fortunâ apud Augustum quouis alio: quum hîc agatur de conditione domesticorum apud Mæcenatem, ad quam Anonymus affectat viam, non Mæcenas ad similem apud Cæsarem. Deinde rogat, *vt curet commendatione ipsum ad talem familiaritatem aggregandum*: idq; ex fine: *vt facilius posteà loco depellat eos, qui ipsi vel impedimento sint, vel qui plus valeant apud Mæcenatem gratiâ, quàm ipse, quod iam esset consequutus, si maturiùs ab eo illuc fuisset intromissus.*

18. Poeta reprimit rationem Anonymi primùm è dissimilibus, *quòd secus apud Mæcenatem viuatur, atque ipse putet*: deinde paribus, *quòd nulla sit domus magis vacua calumniis, inuidiâ, insidiis, obtrectationibus, clandestinisq; criminationibus, quàm domus Mæcenatis*: postremò amotione caussarum, *quòd illic nullæ cuiusquam tantæ velopes, vel tanta doctrina possit gratiam illius exstinguere, quem semel Mæcenas in suam recepit.*

19. Anonymi dubitatio videtur niti quadam vi maiorum: *magnificentiùs loqueris de hac domo, quàm fides auditoris verba tua sequi possit.*

20. Poeta dubitationem tollit diuersis: *quanquam tibi hæc prædicatio incredibilis videtur, certum est tamen planeq; constat, eam esse veram.*

21. Anonymus tali commemoratione Poetæ captus, respondet è minoribus, *se maiori, quàm anteà studio & cupiditate incensum esse in familiaritatem Mæcenatis veniendi.*

22. Poeta simulatione blandâ è caussis suadet Anonymo, *facilem esse viam eò perueniendi, vt, si ad summam ipsius virtutem aggregata fuerit voluntas, facilè superatura sit omnes difficultates*, idq; confirmat dissentaneis diuersis: *Etsi primâ fronte Mæcenas se difficilem præbet accessu, euinci tamen postulat prudenter instando.*

21. Anonymus in spem superandæ omnis difficultatis inductus à Poeta cœpit illam alere suis factis futuris, *quòd omne suum studium, operam, diligentiam, curam in id collaturus sit: muneribus ac donis seruos oppugnaturus: repulsis multis non cessurus: opportunitates omnes obseruaturus: obuiam sæpè Mæcenati in triuiis venturus: ac eum domum deducturus: omnem denique adeundi & conueniendi illius indignitatem & molestiam perlaturus sit.* Verùm si quis magnitudinem huius laboris reprehenderit, testimonio communis & omnium sermone tritæ sententiæ illam defendet. Hesiodus in operibus:

Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
Ἀθάνατοι. — *Virtuti sudorem Dii immortales anteposuerunt.* Idem Pindarus docet πυθ. β. εἰ δέ τις ὄλβος οὐ αὐθρώποισιν, ἄνευ πάμαθος οὐ φαίνεται. *si qua verò est inter homines felicitas, non citra laborem existit.* Idem Menander, ἅπαντα δὲ γίγνετ' ἐπιμελείᾳ καὶ πόνῳ. *Cura & labore percipiuntur omnia.* Idem Epicharmus:

Τῶν πόνων πωλοῦσιν ἡμῖν πάντα τ' ἀγαθὰ θεοί.
Laboribus Dii vendunt nobis omnia bona.

Celebratur hæc sententia scriptis & Græcorum & Latinorum depromta ex illo decreto diuino, quod prolatum est in genus humanum propter peccatum primorum parentum: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.*

24. Poeta ex interuētu Fusci Aristii, nobilis Grammatici & amici occasionem arripit defungendi suo garrulo, sed illa nondum satis idonea visa est ad effugium, licet multus sermo vltrò citróque habitus sit, maximâ simulatione & silentii obscuritate: vnde Fuscus incidit in hanc comparationem, vt se præter cæteros superstitiosum esse facetè & vrbanè & simulatè prædicaret. Ideóque, petitâ veniâ discedendi ad festum Iudæorum, reliquit Horatium nulli religioni deditum in discrimine priori.

25. Iam querela est Poetæ deplorantis casum suum ex caussis: *quòd illius auctores sint Sol infaustus, & superstitiosus ille amicus Fuscus, qui illum sic deseruerint nec liberârint.*

26. Ad extremnm conficit primùm è vera caussa, deinde è fortuita, id est, *opera Apollinis & insperato vadati occursu se tandem liberatum fuisse tædio huius impudentis, loquacis & importuni hominis, qui illius antestatione in ius raptus est*: quam quidem sontis comprehensionem clamor vtrinque & concursus hominum vndique consecutus est.

Enarratio Grammatica.

Ibam fortè.] Videtur imitatio Phædriæ Eunuch. Act. 4. Sc. 2. initio, *Dum rus eo, cœpi egomet mecum inter vias, (ita fit, vbi quid in animo est molestiæ) aliam rem ex alia cogitare.*

Viâ sacrâ.] Posset hæc Satyra περὶ τῆς ἀδολεσχίας *de garrulitate* & arroganti impudentia hominum semidoctorum inscribi, vt libellus Plutarchi de eodem argumen-

argumento: quum huc inducatur homo immodicæ loquacitatis, & sibi quidem ipsi iucundæ, sed afferentis alijs plurimum satietatis & fastidij: vnde vox Græca dicitur flexa ab Etymologico & a Stobæo sermone 36. sic definita, singularique exemplo illustrata ex Theophrasti Notis: Η δὲ ἀδολεσχία, ἐστὶ μὲν διήγησις λόγων μακρῶν καὶ ἀπροβλεπτούντων. Ο δὲ ἀδολέσχης τοιοῦτός ἐστιν, οἷος ὅν μὴ γινώσκει, τούτῳ παρακαθεζόμενος πλησίον, πρῶτον μὲν τὸ ἑαυτοῦ γυναικὸς ἀπεῖν ἐγκώμιον. εἶτα ὁ τὸ νυκτὸς εἶδον σύνπνιον τοῦτο διηγήσασθαι. εἶθ' ὧν εἶχον ἐπὶ τῷ δείπνῳ τὰ διαθέματα διεξελθεῖν· εἶτα δὴ προχωροῦντος τοῦ πράγματος λέγειν, ὡς πολὺ πονηρότεροί εἰσιν οἱ νῦν ἄνθρωποι τῶν ἀρχαίων, καὶ ὡς ἄξιοι γεγόνασιν οἱ πυροὶ σὺν τῇ ἀγορᾷ, καὶ ὡς πόλλοι ἐπιδημοῦσι ξένοι, καὶ τὴν θάλατταν ἐν Διονυσίων πλωΐμον εἶναι. διὰ εἰ ποιήσειεν ὁ Ζεὺς ὕδωρ, τὰ σὺν τῇ γῇ βελτίω ἐσέσθαι διὰ ὁ ἀγρὸς εἰς νέωτα γεωργήσει καὶ ὡς χαλεπόν ἐστι τὸ ζῆν. καὶ ὡς Δάμιππος μυστηρίοις μεγίστην λαμπάδα ἔστησε· διὰ πόσοι εἰσὶ νίονες τοῦ Ωδείου καὶ χθὲς ἤμεσα, διὰ τίς ἐστιν ἡμέρα σήμερον; διὰ ὑπομενῶν τὴν αὐτὸν μὴ ἀφίσασθαι. καὶ ὡς Ροδιομιῶνος μὲν τὰ μυστήρια, Ρυανεψιῶνος δὲ ἀπατούρια, Ποσειδεῶνος δὲ διὰ ἀγὼν Διονύσια. Παρασείσαντα δὲ χρὴ τοὺς τοιούτους τῶν ἀνθρώπων, καὶ διαράμενον ἀπαλλάττεσθαι, ὅστις ἀπύρετος βέλτιον εἶναι. ὄργον γὰρ σπουδάσθαι τοῖς μήτε χολεῖν, μήτε ἀπαλλὶν διαγινώσκουσιν, i. *Importuna garrulitas est enarratio prolixa & inconsiderata orationis. Est autem garrulus huiusmodi, qui quum in hominem vel sibi minimè notũ incidit, huic assidens primùm dicit laudes vxoris suæ: deinde quod per somnũ noctu viderit, enarrat: posteà singula cœnæ hesternæ fercula percurrit: atq; cõtinuatione rei memorat, quantò sint homines sui seculi priscis deteriores: quamq; carissima sint in foro frumenta, quàm plurimi peregrini in vrbem confluant: mare sit a Bacchanalib. nauigabile. Item si Iupiter faceret pluuias, fructus terræ fore multò vberiores: agrum suum cultum iri anno proximè futuro: vitam hominum toleratu difficilem: præterea Dauippum in mysterijs ingentem facem statuisse: multas columnas in Odeio erexisse: se heri euomuisse: ad hæc, quis dies hic agitur? Et si quis sustinuerit illi faciles præbere aures, finem garriendi nunquam faciet. Huc accedet denunciatio Mysteriorum in mensem Iunium: Apaturiorum in Iulium: Bacchanaliorum in septembrem ruré. Ab huiusmodi autem hominibus manibus ad vtrumq; latus agitatis, more currentis & in sublime se tollentis, oportet vnumquemq; semoueri ac segregari, qui volet febri carere. Difficile enim est audientes afferre vires ineptè immoderateq; loquentibus parci, qui otium a negotio minimè nõ unt dignoscere.* Ad hoc futilis orationis vitium pleniùs cognoscendum lege c.15.l.1. apud Agellium: qui scribit homines hoc genus a Græcis significantissimo vocabulo appellari λάλους: in quos illud quidem Sallustianum maximè cõuenit, *satis eloquentiæ, sapientiæ parum*, & multa huiusmodi scriptorũ testimonia, quæ licet ibidem legere cuiuis, quibus aggregari possunt hæc duo intermedia huius vitij, vnum ex Prometheo Æschyli,

Γλώσσῃ μαλακίᾳ βιμίᾳ προσγίνεται. i.

Linguæ futili & vanæ damnum adnascitur socium.

alterum ex Euripide,

Ἀχαλίνων στομάτων, αὐθάδειά τε ἀφροσύνης
Τὸ τέλος δυστυχία. i.

Effrenati oris & imprudentiæ omni lege solutæ
Finis est afflictio & miseria.

Verùm ad notitiam huius viæ, quæ occasionem dedit huic confabulationi, proponam tibi rationem illius e Festo: *sacram vidm quidam appellatam esse existimãt, quòd in ea fœdus ictum sit inter Romulum ac Tatium: quidam quòd eo itinere vtantur sacerdotes Idulium sacrorum conficiendorũ causâ.* Iulia autem dicuntur sacra ab oue Iduli, quæ quotidibus Ioui immolabatur: vnde Ouidius:

Idibus alba Ioui grandior agna cadit.

Verùm de via sacra vide, quid dictum sit 4. Epod.

Meditans.] Græcè τὸν λῆρον μελετῶν καὶ φλυαρῶν, δῆλον ὅτι οὐδὲν καὶ λῆρον καὶ οὐδενὸς ἄξιον, *res nullius pretij & ponderis meditans*, id enim nugæ sonant quasi nihil agatur: sed alibi notauimus ex D. Hieronymo ab Hebraica voce flecti. In *quid nugarum & quid rerum* potest lector obseruare, quod Donatus in, *Quæso, quid hominis es?* &, *Quid ornati est?* in Eunucho notauit, *Scire nos conuenit*, ait, *quum recto casu profertur interrogatio*, non *esse contumeliosum, vt si dicas, Quis hic homo es? si autem in obliquo, contemtum significari, vt quid hoc est hominis? quid mulieris, quid ornati?*

Totus in illũ.] Etsi notata est hæc phrasis in Grammaticis Odes 3. l. 3. ad hæc verba, *Non omnis moriar*, addã tamen sic eam Græcè solitam pronunciari a Polybio, πρὸς τὸ παραβάλλεσθαι διὰ δίκην δίωσιν ὅλος καὶ πᾶς ἐν, *audaciâ omnino proiectâ periculum subeo totus, sicut, ἐν δὲ ὅλος καὶ πᾶς πρὸς τὸ πολεμίζειν, omni studio & operâ incumbere in bellum gerendum.*

Accurrit.] Ellipsis videtur hîc subesse, τοῦ *quum* ἐν τοιούτῳ λείπει τὸ ποιῆσαι τούτῳ πολλάκις σύνθες, *aut quid tale deest huic Poetæ passim vsitati*: suspensi tempori infecto, *ibam*, vt sit perfecta sententia, ibam fortè viâ, quum accurrit quidam. Accurritur cõsultò, sed casu occurritur, &c.

Nomine.] Ab hoc tamen nomine sibi noto abstinet per totam eclogã, vt in explicatione Dialogismi coactus fuerim eum appellare anonymum, distinctionis gratiâ, quod eò feci libentius, quia mihi non satis probatur τὸ Ἐπιγόμενον Pseudacronius, qui scripsit inconsideratè tale nomẽ fuisse hinc homini tam odiosè garrienti: quod si exposuisset, ὡς πρόσωπον ἐπαγόμενον, i. *vt personam sermoni futuro introductam*, non equidem improbassem. Nosse aliquem de nomine videtur quodã modo opponi τῷ nosse de facie, vt Cic. loquitur orat. in Pisonem, *quem tu ne de facie quidem nosti.* Gall. *le quel tu ne cognois pas mesme de veue.* nosse autem aliquem de nomine, valet pertenuem illius habere notitiam. Perfecta autem cognitio exprimitur per *benè & optimè nosse aliquem*, vt Satyr. 3. lib. sequentis, *Sed vnde tam benè me nõsti?* & totum nosse aliquem libr. 6. ad Famil. Epistol. 7. Cecinnæ & figuratè Persius, *te intus & in cute noui.*

Arreptâ.] Accommodatè dictum ad præcipitem hominis impudentiam & ingenium odiosum indicandum. Quamuis autem arripiendi verbo impetus capiendi significetur, ad eum tamen amplificandũ Cicero pro Roscio Comœdo addit aduerbia: *iam quo quiq; est solertior & ingeniosior, hoc docet iracundiùs & laboriosiùs: quod enim ipse celeritate arripuit*, pro celeriter, *id quum tardè percipi videt, discruciatur.* Item de senectute, *Auidè literas arripuit.*

Quid agis.] Quidam Grammatici malè construunt *dulcissime rerum*, quum, *quid rerum agis, o dulcissime Horati*, dicendum sit. Iam, quid agis, intercedentis est oratio & importunè percontantis.

Suauiter.] Modestè & humaniter respõdeo, vel precor, vt quæ ipse optat, bene ac feliciter ipsi eueniant omnia. Alij tamen interpretantur, Quid rerum agis, pro, vt vales, vel quo in statu res sunt tuæ? respondetur, suauiter valeo, vt res præsentes ferunt. Gallicè interpreteris, *selon le temps & les affaires*, vtri verò rectius, videris lector.

Vt nunc est.] Hoc genere sermonis indicatur præsens rerum status, tanquam diceret, quomodo res hodie se habent. Sic Cicero loquitur Epist. 9. lib. 4. *nõ habet, vt nunc quidem est, id vitij res*, & ita sæpè alijs in locis. Præterea hoc genus loquendi *cupio omnia quæ vt, vsurpari* solitum Muretus ostendit, quum aliquid præter sententiam alteri euenit, cui optamus, ita esset, vt ipse

vellet: sed Poeta videtur illud accommodasse ad nudam & simplicem amicitiæ denunciationem.

Quum assectaretur.] Quia Horatius auersabatur societatem & comitatum huius assectatoris, occupauit præloqui, quod Romani vetères dicebant abituri, vt Cic. l. 5. Ad Attic. Epist. 2. *Quum me spectans e sua villa, nunquid vellem, rogasset.* Terent. Eun. Act. 2. Sc. 3. v. 49. *rogo, nunquid velit*: vbi Donatus dicit, *hoc est, significo me abire. Nam abituri, ne id durè facerent, nunquid vis, dicebant his, quibuscum constitissent.* Valet ergo, *rogo, nunquid velit,* id est, *dico, quod abeuntes solent.* Idem interpres in Hec. Act. 2. Scen. 2. ad finem, *sed nunquid vis? nam est quod me transire ad forum iam oportet: nunquid vis? verbum est,* air, *discedentis,* Gallicè, *c'est vne maniere de parler d'une personne, qui part d'auec vne aultre,* quem morem Galli etiam abituri ciuiliter retinuerunt, *vous plaist il me commander quelque chose? puis ie quelque chose pour vous?* vt Terentius quoque dicit Phor. 3. 3. *Nunquid est, quod operâ meâ vobis opus sit?*

Occupo.] Hic videtur desiderari *percontari, vel interrogare,* quemadmodum Plautus loquitur in Pseudol. *Occupes prior adire,* vt Liuius lib. 1. *Tullius, occupat in agrũ Sabinum transire*: imitatione Græcorum φθάνω μετιὼν εἰς ἀγρὸν Σαβῖνον, pro, illum interrogatione anteuerto, ὄρθων προφθάνω.

Noris nos, inquit, docti sumus.] Quidam hoc legunt sine interrogatione, quæ lectio videatur aliquam copulam requirere: noris nos, vt vel quòd docti sumus, vel aliam quæ præter has aptiùs hæc verba coniungat: tu videris. Alij legunt cum interrogatione, noris nos? Deinde ipsemet anonymus subijcit, docti sumus.

Hic ego.] Id est, tum ego Horatius respondi, propter doctrinã te pluris faciam. Ita sumitur *hic* pro tempore, vt in Andria Act. 2. Sc. 3 *Hic reddes omnia, quæ nunc sunt certa ei consilia, incerta vt sient,* sic τὸ σῦτα est apud Græcos ἀδόκιμον, τοῦτ' ἐστι, τὸ ἐνίστε τοῦτ' τόπου, τοῦτ' χρόνου δηλωτικόν. Huius exemplo quidem est hic ver. Iliad. α. pro τότε:

Ἐνθ' ἄλλοι μὲν πάντες ἐπευφήμησαν Ἀχαιοὶ:
Tunc alij quidem omnes consenserunt Achiui.

Illius autem vers. sub fin. eiusdem lib.

Ὡς ὁ μὲν οὖθα καθέζετ' ἐπὶ θρόνου:
Sed ipse illic resedit in solio.

Mihi erũ pluris.] Sic loquitur Cicero Parad. 6. *Si quod possideat, plurimi sit*: sic Ouidius in Epist. Penelopes, *non tanti Troia fuit.*

Miserè.] Aduerbium est hic, vt inferius, ἐπιτατικόν, ὃν ἐλεημονικόν, *intentionis, non miserationis,* quo modo apud Terent. Act. 1. Scen. 1. Eunuchi:

Hæc verba vna me hercule falsa lacrymula,
Quam oculos terendo miserè vix vi expresserit,
Restinguet, id est, *vehementer terendo oculos.*

Sed apertiùs vis huius aduerbij notatur in eadem fabula Act. 3. Sc. 1. vers. 22. *illi inuidere miserè, verùm vnus tamen impensè,* vbi Donatus scribit, impensè & miserè idem significare. Quod autem quidam exponunt, ad miseriam vsque, id non etiam vacat nostrâ epitasi. Hoc Græci videntur reddere per ἀθλίως καὶ λιχνῶς.

Discedere quærens.] Id est, contendens discedere. Familiaris est huic Poetæ syntaxis verbi *quæro* cum infinito, vt monui, sed aliò spectans, in Gramm. lib. 1. Od. 11. & lib. 3. Ode 27. quando significat contentionem & deliberationem, cuius ἐπεξεγητικόν est, quod sequitur, *miserè cupiu abire,* Gall. *tu as grãd' enuie de l'en aller.*

Ire modò.] Intellige, cœpi ire, Gall. *Ie me mis a cheminer tantost vestiment, tantost a m'arrester, tantost parler a mon lacquais a l'aureille.*

In aurem.] Vide εἰς ὦτα ἢ πρὸς ὦτα λέγειν, *In aurem dicere, & in eam aliquid arcani insusurrare* Chil. 1. Cent. 2. Huiusmodi ratio in aurem aliquid susurrãdi tribuitur Vlyssi in Aiace Sophoclis:

Τοιοῦσδε λόγους ψιθύρους πλάττων
Εἰς ὦτα φόρει πᾶσιν Ὀδυσσεύς
Καὶ σφόδρα πείθει.
Eiusmodi verba occulto lingua susurro
Fingens Vlysses auribus omnium ingerit,
Et suadet vehementer.

Quum sudor.] Sic Hom. Iliad. π. de Aiace:

Καλλὲ δὲ οἱ ἱδρὼς
Ῥαῖτοβον ἐκ μελέων πολὺς ὄρρεον.
——*Ei sudor*
Multus vndiq; e membris defluebat,

Sed hoc interest inter sudorem Aiacis, qui violento motu erumperet, & illum Horatij, qui nullâ laboris antecessione excerneretur. Ideoque hic ὑδροφόβοις ἢ ὑδροφοβία, Mador potius dicendus est ex animi ægritudine quàm ex corporis defatigatione profectus, vel est potiùs hyperbolica locutio.

O te Bollane.] E Taciti historia Grammatici afferũt, hunc Bollanũ adeò apertum & liberum hominẽ fuisse, vt nihil, quod ab alio animaduerteret, ineptè, turpiter & odiosè dictum & factum, potuerit vnquam obscurè ferre & dissimulare, quin continuo liberè carperet, & agentis linguã & manũ obiurgatione citò cõpesceret: quod dum Poeta nõ potest nunc imitari, illũ cerebri felicem prædicat, non omnino eâ significandi ratione, quâ dicitur quidam Sat. 5. huius lib. cerebrosus, id est, ὀξύχολος. Ellipsis est dictionis regentis, vt loquuntur Grammatici, gratiâ vel causâ cerebri boni: quod Græci dicunt, ὦ μακάριε τῆς εὐπαιδίας, *o beate ob multitudinem honestæ prolis,* Aristoph. in vespis, vbi intelligitur εὐνεία. Idem ὦ μακάριε τῆς δόξης, *ob corium o beate.* Idem Plato in Phædone, εὐδαίμων γάρ μοι ὁ ἀνὴρ ἐφαίνετο τοῦτο τῷ τρόπῳ καὶ τῷ λόγῳ, *felix enim mihi ille vir videbatur propter istos mores & verba.* Quem Hellenismum Georg. Buchananus alter Horatius imitatus est in Psalm. 1. Dauidis versibus Latinis donato:

Felix ille animi, quem non de tramite recto &c.

imitatione Ouid. 5. Metamorph.

Felicesque vocat pariter studijq; lociq;: Quod Græcè dicitur, Μακαρίους τῶν ἅμα καὶ σπουδῶν τε καὶ τόπων. Sed hic nonnulli malè putant Bollanum esse nomen huius importuni hominis.

Ajebam tacitus.] Talis secreta cogitatio sic exprimitur, *mirari secum tacitus.* Epist. 7. lib. 1. & multò apertiùs Epist. 2. lib. 2. sub fin.

Quocirca mecum loquor hæc tacitusq; recordor.
Ὡς ἐφάμην ἀνέων, νουχάζων, σιωπῶν.
Sic dicebam mecum tacitè & quietè.

Vicos, Vrbem.] Ellipsis est copulæ, Græcè ἀσυνδέτου: *Vicum* Varro scribit constare exædibus compluribus, vnde vicinia & vicini dicti sunt a via, quæ patet interiecta inter ordines ædificiorum. Vicos autem Romæ 40. fuisse memorant.

Vt illi.] Particula est temporis postquam, vt in illo Ciceronis 7. ad Atticum, *vt ab Vrbe discessi, nullum interiisi diem, quin ad te aliquid literarum darem.*

Nihil agis.] Id est, frustra conaris.

Vsque tenebo.] Hic *vsque* est temporis, vt in Adel. 2. 2. 5. Sannio loquitur, *Ego vapulando, ille verberando vsq; ambo defessi sumus* vtrolibet referas, *vsq;*, semper significabit diu & multùm.

Persequar.] Pro hoc mox quarto ab hoc versu dicet, *vsq; sequar,* propriè vtrumq;, sed translatè alterum Epodis primis fuit notatum in Gramm: & Rhetoricis: in illis de vi propria verbi τὸ *persequi.*

Hinc

Hinc quo.] Id est, quò hinc concedis, vt Chremes in Heaut.3.1. *Concede hinc domum.*

Circumagi.] Id est, nihil necesse est tam longos anfractus viarum a te confici. Nulla est in hoc verbo ἐνθλιψις. Idem geminatur a Suet. in Iul. Cęs. c.70. *vnâ voce tam facilè eos circumegit & flexit.* Eodem Seneca vsus est 1. Controu. *Ad hæc noua & diuersa imperia subitò me circũagi posse putas.* Item Liu. l.1. *Equos frænis circumagi.*

Cubat.] Hoc verbum absolutè positum significat ægrotare, vt Græcum κεῖσθαι, & more gladiatoris vulnerati decumbere, vt Sat 3.l.2.

Mater ait pueri menses iam quinq; cubantis.

Hortos.] Suet. meminit horum hortorũ in Iul. Cæs. c.83. & in Tiber. c.72. Hortus autem inclinatur Isidoro ex eo, quòd inde semper aliquid oriatur, quum id semel quotannis alijs agris contingere soleat.

Auriculas.] Τὰ μὲν τῶ τετραπόδων ζώων ὠτάρια κεκρεμασμένα σημαίνει ἡμῖν θυμὸν κατεβεβλημένον. ταῦτα δὲ ἐπανεγκνότα, ἑαυτὸν ἀγαθόν τε καὶ πρᾶον· *auriculæ quidem animalium quadrupedum demissæ arguunt languidum & abiectum animum: sed hæ arrectæ eundem bonum & fortem*, qualem præsensionem curtæ hominum auriculæ minimè ostentant. Auricula autẽ, vt τὸ ὠτάριον, ὑποκορισμῶς vtrumq; declinatur, & est propriè pars auris inferior, Græcè τὸ λόβιον: superior περάτιον, aut ἀντιλόβιον. Plin. l.11.c.73. scribit iumenta & quadrupedia ferè omnia prodere suos affectus statu & motu caudarum & auricularum: quũ enim illas subrigunt, se ad auscultandum componũt: quum fessa sunt, easdem habent marcidas: quum pauent, nutantes: quum furunt, arrectas: quum ægrotant, resolutas: vni homini natura dedit immotas & frontem & oculos, testes habitus interioris: præterea Asellus Græcè dicitur ὀνάριον ἢ ὀνίσκος.

Grauius dorso.] Hic *dorso* pendet ex vi comparationis, quàm conueniat dorso asini. Item in *subijt* postrema extenditur διὰ τὴ ἐπιμερίδος, per cæsuram post tres pedes, quæ rarò contingit.

Non Viscum.] Ex amicis Poetæ fuerunt duo Visci, quorum fit mentio sub finem proximè sequentis Satyræ:

Et hæc vtinam Viscorum laudet vterq;.

Sed de Vario satis dictum est in Gram. Odes 6. lib.1.

Quod & Hermog.] Successus prosperi virorum excellentium semper inuidiæ sunt subiecti: sed de M. Tig. Hermog. repete, quæ dicta sunt Sat. 2. & 3. huius lib.

Interpellandi.] Gallicè, *c'estoit l'endroit, ou il falloit lui rompre son propos*, pro hoc Cæsar l. 1. & 3. de bell. Ciuili dicit interrumpere colloquia & mediam orationem, vt Græci διακόπτειν ἢ ἐγκόπτειν τινὰ.

Composui.] Ita componendi verbum pro sepelire lib. Histor. 1. Tacit. *Pisonem Verania vxor ac frater Scribonianus composuêre.* Item Ouid. 4. Metamorph. de Piramo ac Thisbe.

Vt quos certus amor, quos hora nouissima iunxit
Componi tumulo non inuideatis eodem.

Idem lib.8. & 9. *condere sepulcro, & toro componere mortuum.* Item Propert. lib. 2. *Tu mea compones ossa*, id est, in vrnam, vt mos fuit veterum: quòd Græcè lib.1. Epigr. cap.11. dicitur τέλλειν τεθνηκότας, & in Aiace Sopho. τὸν δὲ τὸν νεκρὸν χοροῖν μὴ συγκομίζειν, *istum mortuum manibus ne cõponas.* Scholiastes Aeschyli in ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας Tragœd. ponit tria similis iuncturæ verba ad rationem sepulturæ pertinentia, συγκομίζειν, ἐκκομίζειν, ἀνακομίζειν, vt συγκομιδὴ sit ἡ πρὸ τῶ τάφου πᾶσα ἐπιμέλεια, ἐκκομιδὴ autem, ἡ πρὸς τὸν τάφον ἀπαγωγὴ, at ἀνακομιδὴ, ἡ ἐν τάφῳ εἰς τάφον μετάθεσις. primum horum sonat omnem curam, quæ antecedit sepulturam: secundum elationem ad sepulcrum, tertium ac postremum e sepulcro in alterũ transpositionẽ: & omnia sunt a frugibus collectis, quæ propriè dicuntur συγκομίζεσθαι, *comportari*, vt Epist. 2. li. 1. loquitur Poeta, *bene vti rebus comportatis*, translata.

Felices.] Quod Poeta dicit parentes Anonymi mortuos esse beatos, is tamen nusquam probat felicitatem & immortalitatem animorum custodiâ corporis solutorum, vti diximus Od. 11. l. 2. Illos igitur felices putat respectu mollestiarum suarum, quas ipse cogitur animo capere maximas e loquacitate Anonymi: quibus mortui omnino videntur defuncti: qualem statum Poeta nunc optat sibi adesse, dum indignatus tacitè iubet se ab eo interfici & necari.

Confice.] Donat. Eunuch. Act.5. Sc.4. v.6. scribit hoc verbum propriè conuenire gladiatoribus, qui grauissimis vulneribus occubuerunt, vt Cic. in Catil. *gladiatori illi confecto & saucio.* Hanc phrasin Thucydides sæpè exprimit per verbum χρῆσθαι cum dandi casu & ὅ, τι, vt lib.7. ἑαυτῷ μὲν χρῆσθαι ἐπέλευον ἐκεῖνόν τε καὶ Λακεδαιμονίους ὅ, τι βούλοιτο, *iussit illum & Lacedæmonios statuere de se, quod ipsis visum fuerit.* Ita victi & inferiores tradunt se victoribus & superioribus tractandos pro ipsorum arbitratu, Herodot. sub finem lib.1. de filio Torayris id enunciat, διεργάσεται ἑαυτὸν, *seipsum conficit* & mortem sibi consciuit, hinc conficere aliquem cibo, vino, promulside: Gall. *creuer quelqu'un de manger & boire vin & hydromel.*

Instat fatum.] Priscianus e Platone dicit fatum idem esse, quòd voluntas & iussio nobis est: cuius definitionem pete a Cic. lib. de fato & lib. 1. de nat. Deor. & Ag. lib.5.c.2. id Græci vocant τὸ πεπρωμένον ἢ εἱμαρμένον: quorum alterum παρὰ τὸ πεπρῶσθαι concisum e περατῶσθαι, i. προώρισθαι, *fato definitum & præfinitum*, alterum παρὰ τὸ εἷμαρται, i. *fatali quâdam partitione assignatum & fato decretum* a præterito εἵμαρται pro μέμαρται ad formam τῶ ἔλκηται, pro λελκηται.

Sabella.] Hæc nutrix Horatij fuit Sabina, cuiatem diximus fuisse Canidiam Epod 17. & Virgil. libro 8. matrem Pallantis Sabellam, & fuit perita dicẽdi sortes ex vrna & inde præsagiendi futura, vt interitum Poetæ a garrulitate: quales sortilegos Cic. 2. de Diuinat. scribit se non agnoscere, propterea ibidem Velleius Epicureus notatur, quòd πρόνοιαν Stoicorum cum anu faridica compararet: *Vestra*, inquit, id est, Epicurea dogmata, *solùm legitis: vestra amatis: cæteros causâ incognitâ condemnatis: vetus a te ipso vesterno die dictum est, anum fatidicam πρόνοιαν a Stoicis induci*, id est, *prouidentiam*, quam Epicurei ducebant loco anilis fabulæ.

Nec laterum.] Quod vnâ voce dicitur Græcè πλευρῖτις, interdum geminâ πλευρῖτις νόσος, & Plinio lateralis dolor, & definitur, ἡ μὲν περὶ τὰς πλευρὰς νόσος, cuius deriuato πλευριτικὸς Plinius etiam vtitur, pleuriticus, pro eo, qui lateris dolore laborat, vt ποδάγρικος, podagricus: pro hoc Plautus, *podagrosus pes*: & Claudianus, podager. ἡ δὲ ποδάγρα videtur deflecti παρὰ τὸς πόδας ἄγρειν, *a capiendis pedibus.* Iccirco primùm significat pedicam & tendiculam. 1. Pæd. Xenoph. δεδοικὼς ὡς ἄγρας πλέγμασι καὶ ὀρύγμασι, ἐλάφους δὲ ποδάγρας καὶ ἀρτοδεσίαις, *circumuenire sues agrestes retibus & fossis, sed ceruos pedicis & laqueis.* Eodem afficitur podagra epitheto apud Catullum sub finem de vxore: & præterea verbo vim ipsius exprimente:

Aut si quem meritò tarda podagra secat:

Hæc quidem minimè necat, sed secat, & doloribus vrit. Tussis est Græcis βὴξ, ἠχὸς ἡ, quam humor frigidus vel acer decumbens in arteriam & pulmones debiles solet concitare.

Adoleuerit.] Hoc verbum coniungunt τὸ *ad*, & *olesco*,

id est.cresco,vnde adolescens & adultus & suboles,& indoles:ad quam originem alludit versus 4. Eclogæ:

Cara Deûm suboles,magnum Iouis incrementum.

Ex hac notione & coniunctione verbi sententia videtur eorum, qui adolescentiam extendunt ad plures annos,quàm ad triginta,& aliorum, qui illam inchoant ab anno 13. & vicesimo terminant, nonnihil declinare: quum in altero termino crescendi modus nondum desierit: in altero iam excesserit. Quòd autem adolescens dicatur de eo, qui plures, quàm 30. annos attigerit, argumento est, quod Cic. scribit ad M.Cœlium: *hominem*, inquit,*adolescentem non tam allicere volui, quàm alienare nolui*: vbi loquitur de C.Cœlio, qui iam Quæstor fuerat, & Quæstura non ante annum 31.lege annali gerebatur. Item quod in Orat scribit de Isocrate; qui modò adolescens, modo vir dignitatis gratiâ ibidem vocatur. Huc accedit, quod Cicero Philippicâ 3. adolescentes vocat Brutum & Cassium, quo anno Præturam gerebant id est anno ætatis quadragesimo, eundemque Brutum eodem anno adolescentem appellat Cornelius Nepos in Attici vita. *Adolesco autem* propriè de hominibus dicitur. Cic.de nat. Deor.*nisi in eo,qui natus sit*,id est,*nisi in eo, qui adoleuerit; nisi in eo,qui didicerit.*

Quandocunq;] Est hîc caussalis coniunctio pro quoniam,non aduerbium temporis, quod τὸ cunq; potest absolutè & per se designare,vt sit sensus, quia hic garrulus enecabit loquacitate suâ Poetam quouis tempore,vitet illum, si sapiat, & ita nulla erit diacope siue tmesis vt Veter.interpr.volunt: cui locus relinquetur, si pro aliquando vel olim sumatur: ita Mitio sumit in Adelph. *Quando non curo tuum filium,ne cures meum.* Eodem hîc dicitur modo,quando garrulus homo tibi vnoquoque momento futurus est exitio; ne cum eo quotidianâ consuetudine congrediaris.

Ad Vestæ.] Ellipsis est dictionis regentis, Poetis æquè vsitata, atq; Oratoribus in certis quibusdam substantiuis,ad Vestæ templum. Sic Cic. lib. 6. Epist. ad Att. *Quæ ad Opis apertè posita est*, supple,ædem.In Adel. *vbi ad Dianæ veneris*: quo in loco interpres annotat,veteres sic absolutè dicebant: Sallustius,*ad Iouis mandem nostræ*. Cic. *ad Telluris quidem etiam statuam tuam locaui.* Idem pro Cluentio,*sicut in statuis inauratis,quas posuit ad Iucurnæ,quibus subscripsit reges a se in gratiam reductos.* Idē Philip.6.*ante Castoris*.sic Plat 2.de Rep. *οὐ ἔδοις δίκλιν δόμοις.in domo Plutonis pœnas dabimus.* Sed de Vesta reuise notas in Gram. Odes 2.lib.1.& 4.lib.3.

Quartâ.]De generibus dierum & horarum alibi dictum est;sed si dies e 12.horis inæqualibus constet; significat tertiam diei horam iam præterijsse, pro quo verbo παθήμερον vsurpauit.

Respondere.]Hoc verbū videtur τὸ πρός τι significare, quum quod obiectum est,in aduersarium regeritur,vt facilè percipias ex hoc versu Virgil. *respondent omnia siluæ*,dum vocem eandem referunt.

Vadato.]Vadari est constituere alicui vadimonium acceptis vadibus & sponsoribus, vel diem iudicio cōstituere ex compacto. Differre autem vadimonium est prorogare diem,de quo litigantes conuenerant: vt in iudicio adesset. Gal.*adiourner, ou assigner iour a quelqu'un en prenans respondant pour comparoir en iugement.*

Si me.] Licentia est in *me* correpto,quum naturâ sit longum, aut positio pedis pro pede per elisionem τῆς e.

His ades.] i. Iuua me paullùm in hac caussa, vel in hoc iudicio intersis. Gall.*Trouues vous a ce plaidoier pour m'aider vn peu.* Sic Archidemides in Eunucho Act.2. Scen.3. *Cras est mihi iudicium, rogo, vt diligenter nuncies patri,aduocatus mihi esse,vt meminerit.Non valeo stare*,Græci exprimunt,ἢ δυδαιμονεῖ ἐδεόμην ἰσταναι.

Sodes.] Blandè postulantis est aduerbium,pro quo aliter dicitur,*quæso,rogo*,& Græcè δέομαι. Cicero tamen 3 de orat.scribit coniunctum esse pro,*si audes*. Hic igitur Poeta petit ab Anonymo: relinque me potiùs, quam tuam caussam.

Vt durum est.] Τὸ vt vim habet ætiologiæ ὅτι, *quia*, χαλεπὸν ἢ δεινὸν τῷ κατίλῳ ἐρίζειν. i. graue ac molestum cum garrulo contendere.

Mæcenas quom.] Ellipsis est verbi (agit) vel similis, *quelle affection vous porte Mæcene?* q, Græcè dici posset, πρὸς δὲ σὲ διακεῖται πῶς; ἢ, ποῖόν τινα ἢ τός σοι παρέχει σαυτὸν.

Paucorum hominum.] Hæc responsio Poetæ videtur facta ad repellendum postulatum, ne diutiùs instaret Anonymus:ex eo tamen conficit aliud, atque putârat Horatius. Sic Thraso Eunuch. Act. 3. Scen. 1. regem quendam describit,qui solùm ipsum conuiuam abducebat sibi & homo erat perpaucorum hominum:quod Donatus sic interpretat: *aut qui paucis vtitur,aut de paucis est.aut paucis placet,hoc est bonis & sapientibus, qui ferè pauci sunt*: quem locum in prouerbium parœmiographus vertit ad eos indicandos, qui suis quibusdā sunt moribus,ac difficiles se præstant ad cuiusuis hominis conuictum.Sic Cic in fragmentis de fato loquitur sine specie prouerbij: *Acipenser iste paucorum hominum est.*

Adiutorem.] Grammatici tradunt adiutores dici in re bona,sed impulsores in mala.

Ferre secundas.]Ellipsis est,*partes*,quod expressit Ep. 18.ad Lollium l.1.*Vel partes nimiùm tractare secundas.*

Si tradere.] i.commendare,quī cum hoc ipsum geminatur, vt *laudo* Epist.9.l.1.

--- Vt tibi se laudare & tradere coner.

Sic Cic.lib.7. Epist. ad Trebat. sic te commendaui & tradidi,vt grauissimè diligentissimeque potui. Idem Epist.53.l.13. *Eum tibi penitus commendo atq; trado.* De his geminatis repete notas in dictam Epistolam, quod quidem Græci verbis συνιστάναι καὶ παραδιδόναι solent exprimere ad commendationem & conciliationem studij ac fauoris.

Summôsses.]Syncope pro summouisses de statu, ordine & suo munere deduxisses. Ποιήσαιο αὐ ἐκστάσεις καὶ αὐκαιρέσεις παντοῖα.

Nil mihi.] Veteres mis & mī pro mei & mihi declinabant. Virg.6.Aen.

--- & mī genus ab Ioue summo.

Officit autem Grammatici vi iuncturæ significare dicunt,contrà facit,tanquam diceret Poeta: in ædibus Mæcenatis nemo est vel diues, vel doctus, qui meis commodis officit & obstat, vt Cicero loquitur pro Sext.Rosc.Ame.

Proximus esse.] Quid inter proximum & secundum intersit vide Grammatica Od.12.lib.1.

Quæ tua virtus.] Sic Cic. loquitur pro M.Cælio. *Genus orationis,facultatem,copiam sententiarum atq; verborū, quæ vestra prudentia est,perspexistis.* Idem enunciatur ab eodem alterâ syntaxi in oratione pro P.Sylla, *quæ si de vno me cogitasset, quâ mollitiâ sum animi ac lenitate,nunquam mehercule illius lacrymis ac precibus restitissem.* Idem in orat. pro domo sua ad Pontifices,*qui si viuaret,quâ seueritate fuit,tu profecto non viueres.* Hîc autem, virtus non moralis intelligenda est, habitus nempe animi rationi & naturæ consentaneus: sed ingenij subtilitas & dexteritas & solertia & alia quælibet facultas. Eadem phrasis effertur præpositione,*pro*,vt lib.11.Ep. 12. ad Brutum: *Non dubito autem, pro tua singulari prudentia,quin perspicies*,sic hoc loco *modò velis, facilè, quâ tu es virtute*:vel pro tua virtute expugnabis & obtinebis postulatum.

Vinci

Vinci posset.] Rectè *Douza* hîc legendum putat posse.

Tempora quæram.] Obseruatu est hîc dignum, non esse temerè desistendum ab re præsertim honestè incepta, etsi spe nos sæpè fallimur, nec illa nobis ex animi sententia succedit: in quo Anonymus imitatur Terentianum Charinum Andr. Act. 2. Scen. 2. *Ibo, etsi Hercle sæpè iam me spes hæc frustrata est*, & ibidem Act. 4. Sc. 1. D. *Deceptus sum, at non defatigatus.* CH. *scio.* D. *Hæc non successit, alia aggrediemur via:* iuxta prouerbium Græcorum, ἀμείνοσι δευτέροις, *secundis melioribus.* Pro hoc Cicero dicit lib. 11. Epist. 16. ad Brutum: *Vt tempus obseruaret epistolæ tibi reddendæ*, & ibidem: *Satis scitè & commodè tempus ad te cepit adeundi.* Item sub init. orat. pro Sexto Roscio Amer. *Quum præsertim tam multi occupationem eius obseruent, tempusq; aucupentur*, Gall. *espient l'opportunite de le rencontrer bien a poinct & a bonne heure*, quomodo Terent. loquitur in Eun. Act. 2. Sc. 3. de virgine. *Illa sese intereà commodùm huc aduorterat*: Et Plautus, *Si istac ibis, commodùm obuiam venies patri*: Item Cicero, *Commodùm ad te dederam literas de pluribus rebus.* Et hæc per antimeriam, commodè & opportunè.

Deducam.] Supple, domum vel aliò, quò volet ire: Græcè: προπέμψω ἐκεῖνον οἴκαδε honoris gratiâ.

Hæc dum agit.] Dum effutit talia verba.

Fuscus.] Hunc fuisse nobilem Grammaticum aiunt, cui cantata est Od. 22. lib. 1. & Epist. 10. lib. 1. Hæc autem verba vellere & prensare videntur habere quid ὑστερον, quod lectio, *pressare*, tollet. Brachia autem tentissima dicit, quòd suo pressu & vellicatione vt pigerrima & tardissima membra, nihil commouentur. Hoc autem epitheton geminatur a Cicerone lib. 1. ad Att. Epist. 11. *Nihil ego illo impudentius, ajutius, lentius noui*, & Suet. in Tiberio cap. 57. *Sæua ac lenta natura ne in puero quidem latuit*: & ipse Fuscus se, vt insulsum & inscium quid vellet, meis nutibus præstabat, & risu dissimulabat, & ego irascebar. In his duobus infinitis ellipsis est verbi deliberantis, cœpit, velstuduit.

Vnde venit.] Id est, Fuscus Aristius quæsiuit ex me, vnde venirem, & quò tederem, & respondit vicissim, vnde veniret & quò tenderet.

Nutans.] Id est, sæpè dans signum vultu, oculis & compressione manus explicandi me.

Distorquens.] Terent. Eun. Act. 4. Sc. 4. paullò aliter accipit: *Illud vide, os vt sibi distorsit carnufex*, quò Donatus addidit: os autê dicimus illi distorquere, quem naturâ pulcrum deturpamus. Ita hæc oculorum distortio & deprauatio non caruit deformitate faciei: quod Græcè dicitur τὸ πρόσωπον καταστρεβοῦσθαι.

Schabbatha.] Vox est Syriaca a radice *scabbath*, quieuit vnde schabbathũ, cessatio, ac velut schola quędam Dei, non Platonis. E. 25. c. Leuit. cognoscitur schabbathum triplex, vnum dierum, alterum annorum, tertium hebdomadum, quæ schabbathina septenarij triplex ceremonia spectabat ad vacationem agrorum, ad restitutionem possessionum, quod postremum 49. annorum sequitur annus Iubilæus, qui est quinquagesimus: vt ibidem dicitur: *Iobel ipse annus quinquaginta annorum erit vobis, & reuertemini quisq; ad possessionem suam & ad familiam suam*: ideò non satis constat, quæ festa inciderent in trigesima schabbatha. Quidam putãt ex 30. schabbathis neomeniam intelligendam, quę incidit in diem 30. quoto anno mẽses Iudæorum terminabantur. Ad differentiam autem septimi cuiusque schabbathi veriùs explicabis more Græcorum trigesima schabbatha διὰ τῆς τριακάδος, τῆς εἴνης καὶ νέας συμαινούσης τὴν ἐσχάτην τοῦ μηνὸς ἡμέραν, *per trigesimam mensis diem, quæ vt vetus & noua dies* ratione præcedentis & sequentis Lunæ erat. Nam Plut. in Galba pro eodem sumit Neomeniam & Calendas: ille tamen in Romaic. scribit, non conuenire Neomeniis Romaicis cum Græcanicis, putatque Neomeniam potiùs incidere in Nonas, quo tempore incipit Luna apparere, quæ calendis latet σὺν συνόδῳ cum Sole: vnde conijcit Calendas dici a *clam* vel a celando. Idem lib. Συμπο 4. falsò putat schabbatum a voce Bacchantium *Sabba* denominatum & festiuitates Iudæorum esse Bacchanalibus similes. Leuitas quoque quasi Lysios & Eunios de Bacchi nomine vocatos. Sueton. in Octau. meminit schabbathi cap. 76. e quadam Epist. Augusti ad Tiberium, *Ne Iudæus quidem, mi Tiberi, tam diligenter schabbathis ieiunium seruat, quàm ego hodie seruaui*: vnde schabbatharij dicuntur a Martiali, non quòd septimo quoque ieiunarent, vt Romani falsò putabant, sed quòd eum religiosè colerent. Stata enim apud Iudæos erant tempora ieiunijs, maximeque ante magnum Paschatis schabbatum, quo ieiunabant, atque nudis pedibus incedebant. Quòd si annus initium ducit a Septembri more Iudæorum, tricesima schabbatha, id est, triginta hebdomades ferè cadent in illud solemne Pascha.

Curtis Iudæis.] De his vide Grammatica Sat. 5.

Atqui.] Expie, sed mihi est religio, Gall. *Quanda moi: ce sau grande conscience* more Epicuri.

Vnus multorum.] Id est, solus præter multos religione obstrictus sum: neque ego puto sic explicandum, vt εἷς τῶν πολλῶν, vnum e vulgo, apud Demo. in Mediam. Ita enim Græci τοὺς πολλοὺς præposito articulo significant vulgus imperitum.

Relligio.] Quid religio a superstitione discrepet vide 2. de Nat. Deo. quorum neutri addictus fuit Poeta, id est, neque Deos timuit, neque veritus est. *In nulla est mihi relligio.* hîc potest repeti, *oppedere*, & accipi pro non vereor repugnare Iudæis, vel a recta conscientia non discedo, quum ceremonias Iudæorum improbo: ὀλεμία μοι σὺλλάβεια τῶν σαββάτων Ιουδαϊκῶν ἐστι, vel σὺ λαβῶμαι περὶ τούτων. Huius autem vocis ratio duplex affertur, cur ita dicatur. Altera est Seruij in hunc versum 8. Aeneidos.

Iam tum relligio pauidos terrebat agrestes.

Religio, inquit, est metus, ab eo, quòd mentem religet: quomodo sumitur Act. 2. Scen. 1. in Heaut. *Nam nihil esse mihi, relligio est dicere*, id est, metuo dicere, nihil mihi esse. Idem interpres in versum 2. Aen. *Relligione patrum &c.* scribit, timorẽ & religionem cõnexa esse, & hanc ab illo ortam confirmat hoc Statij versu:

Primus in orbe Deos fecit timor.

Altera eiusdem vocis notatio est lib. Cic. modò citato: *qui autem omnia, quæ ad cultum Deorum pertinerent, diligenter retractarent & tanquam relegerent, iunt dicti religiosi ex relegendo.* Hoc etymum Lactantius admodũ Christianè improbat lib. 4. cap. 28. &, Cicerone vellicato, hanc reponit eiusdem vocis rationem, *diximus*, ait ille, *nomen religionis a vinculo pietatis esse deductum: quòd hominem sibi Deus religauerit, & pietate constrixerit: quia seruire nos ei, vt Domino, & obsequi, vt patri, necesse est. Melius ergo id nomen est interpretatus Lucretius, vt paulò ante Seruius, quia dixit religionum se nodos exsoluere, alludens vterq; ad rectam vocis Etymologiam. Discrimen quoq; religionis atq; superstitionis non minus ineptum, quàm superius etymum, idem notatur. Quid enim*, ait, *mihi afferet caussa, cur precari pro salute filiorum semel religiosi, & idem decies facere superstitiosi esse hominis arbitretur? Si enim semel id facere optimum est, quantò magis sæpius? Si horâ primâ: ergò & tota die. Si vnâ hostiâ placabilis, placabilior est vtique hostijs pluribus, quia multiplicata obsequia demerentur potius, quam offendunt. Non enim odiosi nobis videntur ij famuli, qui assiduè & frequenter ad obsequium fuerint, sed magis chari.*

Quare qui nouos sibi ritus assumebant, vt in Deorum vicem mortuos honorarent, quos ex hominibus in cœlum receptos putabant, hos superstitiosos vocabant, non eos, qui filios suos superstites optabant. Omnes enim idē etiam hodie optamus. Eos verò, qui publicos & antiquos Deos colerent, religiosos nominabant: vnde Virgilius lib 8. Æneidos.

Vana superstitio, veterumque ignara Deorum.

Sed quum veteres quoque Deos inueniamus eodem modo consecratos esse post obitum: superstitiosi ergo, qui multos ac falsos Deos colunt, nos autem religiosi, (vt pietate constricti) *qui vni Deo & vero supplicamus.*

Antestari.] Significatio huius verbi discenda est e more Romanorum antiquo, qui quum vt actores, manum inijcere volebant vadato, qui in iudicio ad diem dictum non comparuisset, capiebant vnum de præsentibus testem, tangentes eius auriculam & quærentes, *licéne antestari?* si ille respondisset, *licet*, tum manu iniectâ trahebatur vadatus ad Iudicem. Antestari Grammatici dicunt cōflari ex am, præpositione inseparabili, & testari, quasi circuntestari.

Explicatio Rhetorica.

TOta Satyra est in Dialogismo per importunā cōmunicationem cuiusdam cum Poeta: quem credibile est ab eo confictum fuisse, vt futilem & arrogantem hominum garruliratem reprehenderet, vt iam in Dialecticis monuimus. Atque vt ita credam facilè adducor nominis dissimulatione, quod alioqui notū ipsi erat: vnde auctor est sæpè coactus obscurè repetere *inquam* & *inquit*, *rogat*, & *respondet*: & horum intermissione colloquium obscurare.

a Hac voce puto versus Satyricos significari synecdochicōs ad risus & cachinnos verecūdè modesteque notandos. Ingenium enim Poetarum est ferè huiusmodi, vt inter viam semper quid simile secum altâ mente versent.

b Meton. est subiecti ad integram mentē, ingenium atq; intelligens iudicium significandum, quorum certè cerebrum sedes atq; domicilium esse creditur.

c Figura est λέξεως in similitudine soni ad vtramque clausulam incili Græcè Επιστροφή.

d Metaphora est ab homine ad bestiam pro ingenio asini iniquo & tardo ad herilem agitationem.

e Epanaphora est eiusdem vocis initiò sententiæ.

f Sumtum est a collectione & cōportatione frugum in horreum ad conditoria cadauerum indicanda, vt iam in Grammaticis fuit subnotatum.

g Exclamatio hîc mihi videtur admirantis felicitatem parentum mortuorum, qui importunitate huius hominis exsoluti sint.

h Permissio est tacita Poetæ, simulque metaphora a gladiatoribus, vt in Gramm. iam apparuit: quorum victus voce moribundà dicebat vincenti: *Confice*, Gallicè. *despeche moi*, vt hîc nunc Poeta garrulo. Hoc Demosthenes interpretari videtur: ἐμοὶ μὲν χρήσασθε, τοῖς βούλεσθε· *de me statuite pro vestra libidine.* & Galli, *faite de moi a vostre plaisir.*

i Synecdoche generis pro, quod mihi Horatio adhuc puero prædixit.

k Metonymia est effecti pro efficiēte prædictionem rei futuræ, quomodo Poeta Ode 27. lib. 3. Cornicem appellat *auem diuinam imbrium*, id est præsentientem imbres ac voce prædicentem.

l Synecdochica periphrasis pleuritidis.

m Metonymia est altera effecti pro efficiente tardos & lentos eos quorum illa contundit articulos.

n In *hic* est metonymia subiecti forti pro adiuncta causa, quæ illic agitur, & lite, quæ illic diiudicatur, tanquam diceret, mihi fauē in hac caussa: non autem vt hoc Virgil. *huc ades, o formose puer*, pro, *accede.* Illud Græci efferunt verbo παρίστασθαι ἢ παραγίνεσθαί τινι pro βοηθεῖν ἐν δικαστηρίῳ, *opem ferre consulendo alicui in foro.*

o Exclamatio est sibi imprecantis & deprecantis a se talem præsentiam.

p Sumtum est a disciplina militari, vbi dicitur miles inter pugnam pulcerrimè stare, quum eum, quem ceperat, locum obtinet; sed quum litigatio sit genus concertationis.

q Ἀνακοίνωσις est, quâ deliberat cum Poeta de suis negotiis.

r Synecdoche est generis pro garrulo homine & pertinaci, qui vincit odio.

s Horatius, κατὰ τὴν ἀποσιώπησιν, nescio quâ animi commotione repetit concisè quæsitum Anonymi & suum responsum subijcit.

t Metaphora est ab auspiciis secundis pro faustiùs & feliciùs.

u Metaphora est ab actoribus fabularum, vbi varię partes imponuntur histrionib⁹, qui ob id dicuntur in Poetica Arist. πρωταγωνιστής, ἢ δευτεραγωνιστής, ἢ τριταγωνιστής, qui vel primas, vel secundas, vel tertias fabulę partes agit, sicut e.i. Verr. intelligi potest, *vt in actoribus Græcis fieri videmus, sæpè illum, qui est secundarum aut tertiarum partium, quum possit aliquando clariùs dicere, quàm ipse primarum, multum summittere, vt ipse princeps quàm maximè excellat.* Hic igitur Anonymus sic partitur Horatio, si velit ipsum tradere & commendare Mæcēati, quicquid est officij præstandum, illi ab vtroq; vt Horatio principem locum & auctoritatem apud Mæcenatē datur⁹ & cessurus sit, atq; in secundo ipse sit futurus.

x Exclamatio est sibi imprecantis ad solertiam iactatam comprobandam.

y Metonymia est subiecti. ꝓ, null⁹ est princeps neq; dominus, qui honestiùs & purius & quietiùs domesticos & seruos moderetur ipso Mæcenate.

z Metaphora est a contessu deliberantium, pro, in domo Mæcenatis suum cuique est tributum munus ac officium, nec quicquam inuidiosè dicitur, nec perturbatè efficitur.

aa Metaphora satis quidem nota, vnde fluxit & vsitatior est propriâ significatiōe ad perturbationes animi exprimendas. Itaq; Anonymus dicit tali commemoratione Horatij, cupiditatem familiaritatis cū Mæcenate contrahendæ sibi auctam fuisse. Cumulatior fuit hic tropus Ep. 14. de Terent. Mæcenatis vxore:

Vrens ipse miser, quòd fit non pulcrior ignis
Accendit obsessam Ilion.

bb Sumtum est a castellorum munitionibus, quæ machinis bellicis oppugnatæ, tandem expugnantur & capiuntur: sic hōmes importunitate sępè vincuntur.

cc Epistrophe est in similitudine eiusdem soni in clausulis sententiarum.

dd Apparatus ad prosopopœiam Fusci Aristij, quem inducit sic percontantem de itinere Poetæ.

ee Hoc videtur sumtum a tarditate corporum, quæ non facilè obsequuntur mouentibus, ad stupidos sensus & inertes notandos, quòd paulò aliter explicatum est in Grammaticis 15. Epod.

ff Metaphora est ab insipidis cibis pro homine parùm prudente & callido.

gg Notauim⁹ τάυτην ἀκυρολογίαν καὶ ἀλληγόρησιν in Gram. Od. 13 l. 1. ꝓ cor meū incendi nâ & excadescere cœpit.

hh Synecdoche est generis pro certis quibusdam festis nondum mihi satis notis e tanta scriptorum dissensione.

ii Nota est metaphora vel ex illo Martialis:

Nil aliud video, quòd te credamus amicum,
Quàm quòd me coram pedere, Crispe, soles.

Hinc ad dissensionem & contentionem transfertur: sic a Græcis, vt a Latinis, Aristoph. τῶν χειροτεχνῶν καὶ τῶν πενίας καταφρονεῖν, *opificibus & paupertati oppedere*, id est, vtrumq; aspernari & respuere. in Plut. Act. 2 Sc. 6.

kk Metaphora est à colore luctuoso ad infortunium indicandum, quæ paulò secus in Rhetoricis Satyr. 4. præcedentis exposita est.

ll A victimis mox iugulandis sumptum est ad præsentissimum malum & periculum, in quo quis deseritur, notandum, de quo vide Chil. 2. Cent. 10.

mm Synecdochicῶς sumendum videtur pro speciali creditore: qui in iudicium Anonymum adducebat dissoluendi æris alieni caussâ.

nn Metonymia adiuncti, pro, rapit ad Tribunal. εἰς τὸ κριτήριον ἢ δικαστήριον ἀφέλκει τὴν ἀφτάξα, quod est ἐμφατικώτερον, quàm adducit in iudicium.

oo Quidam hîc agnoscunt duplicem metonymiam, primùm subiecti pro adiuncta Dei statua: deinde pro foro iudiciali ab Augusto propter multitudinem caussarum constructo: vbi erat Apollinis statua eburnea, litigantium perpetua, tanquam diceres auscultatrix: vnde Iurisperitus Apollo Satyr. 1 Iuuenalis vocatur. Eò igitur Bolanus tractus fuerat & abreptus in ius. Alij propriè sumunt religionis ergò pro ipso Deo seruatore, quia vt est dictum in Dialecticis Od 21. lib. 1. Apollo fuit Deus Auerruncus, depulsor malorum, vt est Iliad. v. vbi dicitur Hectorem liberasse e prœlio cum Achille commisso ad hæc verba:

---- Τὸν δ' ἐξήρπαξεν Ἀπόλλων
Ῥεῖα μάλ' ὥς τε θεὸς ἐπικλύψας ἠέρι πόλλῃ.

Sic accipe, *illum*, *scilicet Hectorem, non Aeneam, eripuit Apollo, admodum facilè, vt Deus, & occultauit caligine multâ.* Non defuit tamen idem Deus Aeneæ pari salute Iliad. ε. vbi Apollo Diomedem & Achiuos elusit effificto Æneæ idolo. Ad huiusmodi autem ἀλεξιπαθῶν quidam putant Horatium respexisse: vtram malis, propriámne an modificatam interpretationem, delige.

SATYRA DECIMA.

Hæc Satyra propugnare videtur aduersus Lucilii fautores pro quarta superiori: vbi nunc Horatius simulate scribit, illius Satyras a se cum exceptione & ratione improbatas fuisse. Præterea à iudicium doctorum, non vulgi, de scriptis cuiusq; exipectandum esse.

N*Empe* a *incomposito dixi pede currere versus*
b *Lucili. Quis tàm Lucili fautor ineptè est,*
Vt non hoc fateatur? at idem, quod c *sale multo*
d *Vrbem defricuit, e chartâ laudatur eàdem.*
f *Nec tamen hoc tribuens, dederim quoq; cætera: 3.*
Et Laberî mimos, vt pulcra poemata, mirer. (*nâ sic*
4. Ergo non satis est risu g *diducere rictum*
Auditoris: & est quædam tamen hoc quoq; virtus.
Est breuitate opus: vt currat sententia: neu se
Impediat verbis lassas onerantibus aures.
Et sermone opus est modò tristi, sæpè iocoso,
Defendente vicem modò Rhetoris, atq; Poetæ,
Interdum vrbani, parcentis viribus, atq;
Extenuantis eas consultò. 5. ridiculum acri
Fortiùs, & meliùs magnas plerunq; h *secat res.*
6. Illi, scripta quibus Comœdia prisca viris est,
Hoc i *stabant: hoc sunt imitandi: quos neq;* k *pulcer*
Hermogenes vnquam legit, neq; l *Simius iste,*
Nil præter m *Caluum & doctus cantare Catullum.*
7. n *At magnum fecit, quòd verbis Græca Latinis*
Miscuit. o *O seri studiorum, quine putetis*
Difficile & mirum, Rhodio quod Pitholeonti
Contigit. 8. At p *sermo linguâ concinnus vtrâq;*
Suauior: vt Chio q *nota si commista Falerni est.*
9. Quum versus r *facias,* s *te ipsum percontor: an &*
Dura tibi peragenda rei sit caussa Petillî, (*quum*
Scilicet oblitus t *patriq; patrisq;: Latini,*
Quum Pedius caussas exsudet Publicola, atq;
Coruinus, patrijs intermiscere petita
Verba foris malis, 10. Canusini more bilinguis?
11. Atq; ego quum Græcos facerem, natus u *mare citra*
Versiculos: x *vetuit me tali voce Quirinus,*
Post mediam noctem visus, quum somnia vera:
12. In syluam non ligna feras insaniùs, ac si
Magnas Græcorum malis implere cateruas.
13. Turgidus Alpinus y *iugulat dũ Memnona, dumq;*
Diffingit Rheni luteum caput: hæc ego ludo,
Quæ nec in z *æde sonent certantia iudice Tarpâ,*
Nec redeant iterum atq; iterũ spectata aa *theatris.*
14. Argutâ meretrice bb *potes, Dauoq; Chremeta*
cc *Eludente senem, comis* dd *garrire libellos,*
Vnus vtuorum, Fundani. Pollio regum
Facta canit ee *pede ter percusso: forte* ff *epos acer,*
Vt nemo, Varius: gg *ductu molle atq; facetum*
Virgilio annuerunt gaudentes rure Camœnæ.
15. hh *Hoc erat, experto frustra Varrone Atacino,*
Atq; quibusdam alijs, meliùs quod scribere possem,
ii *Inuentore minor: neq; ego illi detrahere ausim*
Hærentem capiti cum multa laude coronam.
16. kk *At dixi fluere hunc lutulentum: sæpè ferentem*
Plura quidem tollenda relinquẽdis. 17. ll *Age, quæso,*
Tu nihil in magno doctus reprendis mm *Homero?*
Nil comis Tragici mutat Lucilius Attî?
Non ridet versus nn *Ennî grauitate minores,*
Quum de se loquitur, non vt maior reprensis?
Quid vetat, & nosmet Lucilî scripta legentes
Quærere, num illius, num rerum dura negarit
Versiculos natura magis factos, & oo *euntes*
Mollius? 18 pp *At si quis pedibus quid claudere senis*
Hoc tantùm contentus, amet scripsisse ducentos
Ante cibum versus, totidem cœnatus: Ethrusci
Quale fuit Cassi rapido qq *feruentius amni*
Ingenium: capsis, quem fama est esse, libriq;
Ambustum propriis: rr *fuerit Lucilius, inquam,*
Comis & vrbanus: fuerit limatior idem,
Quàm ss *rudis, & Græcis intacti carminis auctor,*
Quamq; Poetarum seniorum turba: 19 sed ille,
Si foret hoc nostrum fato dilatus in ævum,
Detereret sibi multa: recideret omne, quod vltra
Perfectum traheretur: & in versu faciendo
Sæpè tt *caput scaberet, vtuos & roderet vngues.*

Sæpè tt *stylum vertas, iterum, quæ digna legi sint,*
Scripturus: 20. neq;, te vt miretur turba, labores,
Contentus paucis lectoribus. An tua demens
Vilibus in ludis dictari carmina malis?
Non ego: nam satis est Equitem mihi plaudere, 21. vt audax,
Contemtis alijs explosa Arbuscula dixit.
22. Mén moueat uu *cimex Pätilius? aut crucier, quòd*
Vellicet absentem Demetrius, aut quòd ineptus
Fannius Hermogenis lædat conuiua Tigelli?
Plotius & Varius, Mæcenas, Virgiliusq;,
Valgius, & probet hæc Octauius optimus, atq;
Fuscus, & hæc vtinam Viscorum laudet vterq;.
Ambitione xx *relegatâ,* yy *te dicere possum,*
Pollio, te Messala tuo cum fratre, simulq;
Vos Bibuli & Serui: simul his te, candide Furni.
Complures alios, doctos ego quos, & amicos,
Prudens prætereo: quibus hæc, sint qualiacunq;,
zz *Arridere velim: doliturus si placeant spe*
10 *Deteriùs nostrâ. 23.** Demetri, teq; Tigelli*
Discipulorum inter iubeo plorare cathedras.
24. †† *I puer atq; meo citus hæc subscribe libello.*

Analysis Dialectica.

HÆc Satyra, sicut quarta, est Apologetica, aduersus eos, qui dictarent Lucillium stylo nimis cẽsorio ab Horatio illic notatum: quod dum Poeta εἰρωνικῶς eleuat, multa quoque aliorum vitia facetè notat: virtutes etiam quorundam obiter prædicat. Itaque hic sermo præcipuè videtur versari in ratione animaduersionis reddenda, certaq; quadam lege versibus definienda, quam sequi Satyricos oportet. Principium autem sermonis est hominis pathetici & concitati, qui suam de versibus Lucillij sententiam liberè dicit, & longè verisimam paribus confirmat: *quòd*, inquit, *illos inelegantes & inconditos dixi: idem quoque testantur ob omni perturbatione quiq; maximè vacui.* Huc potest Cicero e lib. 1. de finibus: *sunt Lucilij scripta leuiora, vt vrbanitas summa appareat, doctrina mediocris*, in testimonium vocari.

2. Seueritas styli censorij extenuatur aduersis: quæ tamen, ne Poeta discrepantia dixisse videatur, sic temperanda sunt: *Vituperaui equidem in Lucillio, quæ vituperatione videbantur digna, & probaui, quæ laudationem & approbationem merebantur, quale illud fuit iudicium eiusdem Lucillij, quum ipsemet dicitur apertè, grauiter & falsè vitia ciuium Romanorum coarguisse.* Videtur tamen Cic. in Ep. I. 16. ad Att. Epist. 11. Lucillius id obscurè fecisse, quum scribit ibi: *perstringam Antonium sine vlla contumelia Siccæ & Septimiæ: tantùm vt sciant* παῖδες παίδων *sine vallo Lucilliano*: quia hic Satyricus maledictis obscuris cives suos figebat, & tali inuolucro se, velut vallo, muniebat aduersus illorum querelas & actiones.

3. Amplificatur hæc sententiæ dissensio alteris paribus: *Si aqua in laude posuissem totam Lucillij poesim, in eadem mihi ponendi fuissent versus Laberij dicacissimi Mimographi.*

4. Ex genere aduersorum conficit Poeta: *Virtutem Satyræ, quam Lucillius non seruauit, partim cerni in salib. & facetijs risum mouentibus, partim in seuera vitiorum reprehensione: in breui item & libero cursu carminis*: quæ breuitas duplici fine illustratur: *ne cursus sententiæ copiâ verborum inhibeatur: nec aures spectantium multitudine illorum grauentur. Prætereà eandem virtutem versari in sermone partim serio, partim iocoso*, id est, qui per vices, Poetæ delectationem & Oratoris affectionem imitetur, vrbanumq; referat, hoc est dissimulantem, qui multò minus, quàm possit, dicere conetur. Hæc tota præceptio videtur niti hac prouerbiali sententiâ. τῇ ἀγορᾷ χρῶ, *foro vtere*, id est, ad locum, tempus, & personam accõmoda scripturam tuam.

5. Ostendit e minoribus, *tristem & seueram animaduersionem minùs aliquantò valere ad mores hominum corrigendos, quàm lætam, facetam & iocosam*: quod quidẽ potest cõfirmari exemplis, ac primo cuiusdam Euclidis, qui commotus irâ in fratrem, faceto eius sermone placatus fuit: deinde Polemonis ira est quoq; sedata molli admonitione eius, cui grauiter succensuerat: animi denique Aeschinis & Aristippi conciliati sunt inter se iocosâ compellatione. Nam quum ex hoc quæreretur: vbi est amicitia vestra? Dormit, inquit, sed eam facilè
20 exsuscitabo. Itaque accedens ad Aeschinem sic ait: videórne tibi omninò miser & insanabilis, vt ne moneri quidem abs te merear? Ita restinxit incensum Æschinis animum, & sibi arctiùs, quàm anteà, deuinxit. Hæc potes legere apud Plutar. in libello περὶ τῆς ἀοργησίας, *de ira reprimenda.*

6. Apodosis demonstratur exemplis & efficientib⁹: *quòd latis iocis & animaduersione facetâ veteres Comici vehementer laudati sint & probati: quâ laude approbationis Hermogenes & Demetrius Simius caruerunt*, talis caussæ a-
30 motione, *& quòd nec legissent, nec imitati essent illos veteres Comicos, contẽti inepta modulatione & imitatione L. Calui & Val. Catulli Elegiacorum.*

7. Extenuat laudem Lucillianæ orationis Latinæ: *quòd ea verbis Græcis sit intertexta*: cuius stultos admiratores inopiâ iudicij laborare docet parium collatione: *quòd iuxtà ridiculus fit Lucillius illâ permixtione vocum Græcarum & Latinarum: atq; Pitholeon Rhodius, qui Comica & Epigrammata tali texturâ effutierat.*

8. Eosdem admiratores, qui dicerent Lucillium cõ-
40 cinniorem & comtiorem esse tali permistione vtriusque linguæ, refellit ironicâ similitudine. Nam ex eo, quòd dicit *verba Græca Latinis mista efficere suauiorem orationem, vt Chium dulce vinum permistum cum austero Falernò solet reddere suauiorem & gratiorem saporem*, intelligenda est hæc dissimilitudo: *non sic efficitur oratio elegantior & dulcior permistis vocibus Græcis cum Latinis, vt austerum Falernũ fit suauius permistione vini dulcis Chij.* Dum sic interpretor, facio, vt hæc verba: *At sermo linguâ concinnus vtraq; suauior*, sint admiratoris obijcientis: ista
50 verò, scilicet, *vt Chio nota, &c.* Poetæ respondentis. Quòd si malis vtramque comparationis partem tribuere defensori Lucillianæ mixturæ; facies illum iniquum & ineptum æstimatorem rerum, quæ sint inter se dissimiles.

9. Vnus præter cæteros doctus hîc appellatur, vt laudator Lucillianæ compositionis, & ita comparatè interrogatur: *vtrùm, quum Poeta fis, si tibi caussa sacrilegi Petillij defendenda sit contra Pedium Publicolam & Messalam Coruinum accusatores, studiosissimos sermonis Latini, malis oblitus linguæ patriæ intermiscere verba peregrina patrijs & Latinis, quàm his solis & puris vti?*
60

10. Protasis superiorum maiorum augetur similibus: *malis* inquam, *sic miscere Græca Latinis, vt Canusini vtriusq; linguæ, Græcæ & Latinæ periti facere consueuerunt?*

11. Vtraq; comparatio soluitur testimonio diuino: *talis linguarum permistio vetatur a Romulo & Vrbis & sermonis auctore per somnum apparente.*

12. Testimonium paribus enunciatur: *Non minùs*, inquit,

inquit, *insanies, si versus Græcos faciendo putes te numerari in Græcis Poetis, & copiosissimam illorum poesin augeri tuâ, quàm si in densissimam sylvam ligna inferres.* Ex superiorib⁹ possunt hæc præcipua in Lucillio vitia notari: *quòd sententiosè quidem dicat, sed sine modo & ordine, quæ in quovis dicente videtur infantia Ciceroni: quòd nullam affectibus & sermonibus adhibeat varietatem: quòd Græca ineptè permisceat Latinis: quòd permultos ex tempore funditet versus: quòd denique spernat illos maturè castigare & expolire.*

13. Locus est e dissimilibus, vbi *Aulus Cornelius Alpinus* notatur ex *ambitiosa, inepta tamen & incondita fabulæ vel historiæ confectione, ac invenusta, illepidaq; Rheni descriptione.* Poeta verò versus suos videtur dissimili fine eleuare. *Ille quidem & alij suos versos scribunt, vt in apertum proferãtur: iudicio Matij Tarpæ supra alios versus concertantium probentur: deinde in templo Apollinis decantẽtur: deniq; in scenam sæpiùs ascendant: ego verò dum hæc ludo tenuia, longè aliò spectare soleo.* Hic videtur desiderari ad sensum apertiorem, quod Satyr. 4. dixit:

Non recito cuiquam, nisi amicis, idq; coactus.
Non vbi vis coramue quibuslibet. In medio qui
Scripta foro recitent sunt multi.

14. Hac libertate iudicandi de vi ac facultate cuiusque Poetæ arguitur Horatius verè Satyricus. Fit autem hoc iudiciũ è dissentaneis: *Alpinus quidem malus & inuerecundus Poeta: Horatius tenuis & verecundus: Fundanus quoque optimus Comœdus: Pollio clarissimus Tragœdus: Varius Epicus acerrimus, & in hoc genere nemini cedens: Virgilius elegantissimus & politissimus* in Bucolicis & Georgicis, quod efficientibus declaratur: quia *vtrumque carmen est veluti a Musis ei dictatum & concessum*, quo tẽpore Aeneis nondum apparuerat. Hæc sublimis auctoritas caussarum videtur cum characteribus Bucolici carminis & Georgici pugnare. Nam illud tractatur humilis styli verbis, sententiis, comparationibus & figuris ab humilibus personis. Hoc verò ijsdem facultatibus, sed omnibus mediocris styli & characteris. Eam ob rem Musa sæpenumerò reuocatur a tractatione grauis materiæ, vt Ode. 7. lib. 3. ad vers. antepen. *Quò Musa tendis?* vbi consules nostras notas. Hæc autem Poetarum & poematum dissensio non videtur aberrare a proposito de Lucilio, & ipsi similis Poetis iudicio.

15. Iam suum de se Poeta iudicium sic temperat, *vt Varrone Atacino*, id est, Narbonensi; *& alijs quibusdam similis Lucillij se faciat superiorem scriptione Satyræ, inferiorem autem Lucillio.*

16. Hic pars prior thetici, quod proposuimus, apertius explicatur e diuersis: *Horatium improbasse versus Lucillij cum exceptione: nam vt illos dixi viles, lutulentos & inelegantes, in illis tamẽ multa continere digna, quæ sumantur, & in vsum transferantur.*

17. Hæc licentia quiduis notandi illustratur parium collatione: *Quum tu, o laudator Satyræ Lucillianæ, tantum tibi sumis, vt aliquid in Homero reprehendere audeas, sicut Lucillius in L. Attio Tragico aliquid mutare, in Ennio versus minũs graues ridere: liceat etiam mihi in naturam Lucillij, & in vim argumenti, quod tractauit, inquirere, ac, quid vtrumq; discrepet, quidue legibus Satyræ congruat, diligenter examinare.* Hic te moneo, Lector, non tibi fortassè defuturos, qui te doceant hunc locum esse a maioribus, quod est genus aliud comparati, & quod illis equidem concederem libenter, si Poetæ soli inter se conferrentur, i. si Homerus, Attius & Ennius tanquã maiores cum minoribus Lucillio & ipsius laudatore comparentur. Verum quum facta Lucillij & Horatij æqualiter considerentur, non est dubium, quin ad locum parium pertineant: verbi gratiâ: *Si licuit Lucillio reprehendere superiores ætatis Poetas: licuit etiam Horatio Lucillium notare.*

18. Inquisitionis ratio probabilior fit e diuersis: *licet detur præstantissimus quisq; Poeta, vel Lucillius, is tamen sibi ipse in vitam restituto esset huius inquisitionis & emendationis auctor.* Talis autem Poetæ præstantia declaratur primum similitudine, *vt ille, quem iubemus dari, similis sit ingenij celeritate, atque fuit Cassius Ethruscus*: deinde minorum collatione, *vt & se quodam modo, & antiquissimos quosq; huius classis Poetas longissimè superet.*

19. Hic est consequens enunciati diuersi: *ille tamen emendaret sua scripta.*

20. Consilium est Poetæ de vitanda inconcinnę Satyræ reprehensione ex fine, *vt se quisq;, quasi reprehendens, sæpè corrigat in ijs, quæ paucis doctioribus probanda sint*, quod maioribus declaratur: *quia iudicium nostrum*, vt Quinctili⁹ monet in Epi. de Poet. sub fin. *pluris est quàm multitudinis imperitæ, quæ Lucillio inconsideratè applaudit.*

21. Idem confirmatur testimonio cuiusdam *Mimæ, quæ contenta a plebe satis esse sibi dicebat claris equitibus placuisse.*

22. Idem e paribus: *quod illa Mima fecit, se facturũ dicit, vt cõtemtis quattuor ineptis obtrectatorib. apud se valuerit existimatio 14. eruditorum aut plurium his approbatorum.*

23. *Demetrium Simium & Hermogenem Tigellium* modulatores irridet ex aduersis & e subiecto, *vt illi lacerati inuidiâ Horatianæ scripturæ doctissimis & optimis viris probatæ, plorent in gynæcio, vbi totos dies studebant desidentes, nescio quâ voluptate cantilenarum mulieribus, non viris spectatis, placere.*

24. Latet hîc quædam huius sermonis commendatio: *quòd is dignus videatur, qui velut αὐτοχεδιάσει ex tempore & inconsultò habitus, aduersum Lucillij patronos præsentes, alijs tamen superioribus, quasi appendiculæ quædam, subscribatur.*

Enarratio Grammatica.

NEmpe.] Ad huius imitationem Persius Sat. 3. exorsus est:

Nempe hoc assiduè, iam clarum manè fenestras,
Intrat.

Ellipsis autem est quædam tacitæ interrogationis, vel simplicis enunciatiõis Poetæ irato admodum accommodata, & quæ potest facilè a quouis expleri: eam ob rem nihil necesse est illi⁹ loco præfigere hos octo versus fictos & commentitios, quanquam non desunt, qui illos tueantur vt fœtus Horatij naturales: quos vt tales agnoscam, est mihi præter aliorum interpretum argumenta impedimento significatio illa reditus in viam, quam nondum inierat Poeta: tantùm aberat, vt ab ea longiùs progressus fuisset. Nihil enim proposuerat, ad quod intermissum admonendus esset talis reditus.

Lucilli, quàm sis mendosus teste Catone
Defensore tuo peruincam, qui malè factos
Emendare parat versus: hoc Leuius, ille
Est quo vix melior: longè subtilior illo,
Qui multùm puer & loris & funibus vdis
Exornatus, vt esset, opem qui ferre Poetis
Antiquis posset contra fastidia nostra,
Grammaticorum equitum doctissimus, vt redeam illuc,
Nempe incomposito, &c.

Itaque fautoribus Lucillij Poeta nunc ἀπολογητικῶς respondet præcisè & affirmatè, hunc versus inconditos fudisse. vt Sat. 4. dixit, *quum flueret lutulentus*: atque hîc, *nempe*, accipiendum est affirmatè, vt Græcum δηλαδὴ, vel μούνοι, *profectò*, vel *equidem, certè*, quod rectè Galli reddunt, *c'est mon vraiment, i'ai dict, &c.* dixi quod sequitur, versus incompositio pede currere: sic

Ouidius lib. 3. de trist. Eleg. 1. vocat elegias suas carmina clauda.

In composito pede.] Posset etiam hoc intelligi de inconditis versibus naturâ solum, non arte factis, quales Corydon Virgilianus dicitur iactasse. Sic Plinius lib. 8. de Elephantis Germani Cæsaris scribit, *qui motus quosdam inconditos edidere saltantium modo*: ibidem *blanditias inconditas*: quæ omnia Græci dicunt ἀνάρμοστα καὶ ἀσύντακτα, πλημμελῆ, ἀνόμετα *sine harmonia, & contra modulationis normam, inconcinna*, vt iam expresserunt Dialectica.

Fautor ineptè.] Aduerbia quædam cum substantiuis verbalibus originis caussâ construuntur, & cum aliis substantiuis speciem adiectiuorum referentibus, vt Virgil. dixit, *latè rex*, & Plaut. in Asin. *tam homo ego sum, quàm tu*, id est, tam latè regnans, & tam humanus vel tam fortis: sed ibidem est clarior locus: *Quid tibi huc ad te receptio est meum virum*, pro, *quare recipis ad te virum meum*? pro quo Terentius Hec. Act. 5. Scen. 1. *Dicit meum receptes filium*: ita hoc loco, *tam ineptè fautor*, valet etiam, tam ineptè fauens. Eiusdem quoque originis caussâ verbalia substantiua regunt casus verborum suorum. Cic. l. 1. de legibus. *Iustitia est obtemperatio scriptis, legibus, institutisq; populorum*, id est, iustitia est obtemperare legibus: sic Agellius lib. 16. c. 19. *nobilis Arion cantator fidibus fuit*. Sic quoque Sallust. in Coniurat, *& neq; institutioribus consulibus quicquam promovebant*. idem Sallustius: *qui tunc Romanis Imperator erat*. Sic Terent. Adel. Act. 4. Sc. 5. *Auctor hujus rebus quis est?* pro Romanorum & harum rerum auctor.

Destruit Vrbem.] Hoc redolet tritum hoc prouerbium Terent. in Phor. Act. 4. Sc. 4. *tetigit vlcus*. quum eius rei fit mentio, quæ nos vehementer vrat: cui non est dissimile illud Plutar. libel. de adulatione λεψφίς λόγοι πινεῖν ἕλκος, id est, *arcani sermonis mouere vlcus*.

Laberi mimos.] De hoc Laberio Mimographo lege Agellium lib. 10. cap. 17. & lib. 17. c. 14. Cice. Epist. 11. lib. 7. *Non modò Laberium, sed etiam sodalem nostrum Valerium pertimesce: mira enim persona induci potest Britannici Iurecõsulti*, id est, Trebatij, qui noluerat in Britanniam cum Cæsare proficisci. Ideoque meritò ridendus videbatur a Mimis, tum quòd Iureconsultus in militiam vbi leges, vt inter arma, silent, tum quia metu prohibitus fuit traiectu freti Caletani, & ita videbatur ignarus iuris ciuilis & timidus miles. Macrobium item lib. 2. Satur. cap, 3. & 7. Præterea Suetonium in Cæsare: e quibus omnibus discis hominis ingenium & mores, & præterea quod carminis genus fuerit Mimus: quanquam ex Aristotelis Poetica, quum hæc sit μίμησις, Poeta enim quiuis dici potest Mimus, imitator: sed hæc communis notio ad certam aliquam & specialem restricta fuit e Cicero. Epist. 16. lib. 9. ad Fam. & ad verba: *Nunc venio ad inuocationes tuas: quando tu secundũ Oenomaum Attij, non vt solebat olim, Atellanum, sed vt nunc fit, Mimum introduxisti*. Cognosci potest, vt Mimus sit fabula parùm modestè dicax, & ab vno solum agi solita, sine exodijs, sine tibicinis, sine cantu & corporis motu, nec in 5. Actus diuisa, vt reliquæ fabulæ. Atellanæ verò minùs dicaces erãt, & iocis modestioribus & elegantioribus & 5. Actibus temperatæ. Mimus autẽ vox est Græca pro histrione, vt antè dictum est 2. Sat. qui gestu dicta & facta imitatur, quę definiendi ratio ex vi similis verbi Gręci τὸ μιμεῖσθαι sumta est, & a Diomede vsurpata: Mimus, inquit, est sermonis cuiuslibet motus sine reuerentia, & factorũ cum lasciuia imitatio: hinc traducitur ad genus poematis aliquantò licentioris & obscœnioris, quàm fuit vetus Comœdia, vnde Ouid.

Scribere si fas est imitantes turpia mimos.

Cuiusmodi fabulæ scriptores fuerunt apud Gręcos dicti Μιμογράφοι duo, Sophron & Xenarchus, & apud Latinos D. Laberius & Publius, quorum comparationem vide in loco Macrobij citato: vnde disces, D. Laberium equitum Rom. annos 60. natum, a C. Cæsare quingentis millibus inuitatum, vt prodiret in scenam acturus Mimos, quos scriptitârat: quod, vt probrosum & infame, in prologo testatus est se inuitum & a Cæsare coactum fecisse. Iulianus enim Iurisc. lib. Digest. 3. quum enumerat eos, qui notentur infamiâ, eos, qui artem ludicram factitant & pronunciant, in scenam prodeuntes, nominat: itaq; auctor lib. ad Herennium scribit Attium & Lucillium de iniuriis egisse in iudicio cum histrionibus: quòd hi nominatim illos in Scena appellassent, & hoc genus hominum haberetur sordidum & infame: a quo nominatim prædicari probro & dedecori vertitur: quæ caussa fuit, cur Terentius nusquam in prologis nominatim appelletur. Mimorum autem duo genera Plutarchus in Sympos. 7. prob. 8.

Diducere rictum.] Est impellere lectores vel auditores ad immoderatã hilaritatem: quę os dilatet & dentes nudet, quo modo loquitur Iuuenal. Sat. 10.

Ipse ad conspectum cœnæ diducere rictum
Suetus.

Quod Quintilianus scribit esse oranti vitiosum l. 2. c. 2. *ne immodicus hiatus rictum offendat.*

Vt currat.] Non dissimile huic consilium Augusti Cæsaris fuit ad Agrippinam neptim, vt refert Sueton. in ipsius vita c. 86. e quadam Epist Agrippinæ neptis ingenium collaudans, *sed opus est*, inquit, *dare te operam, ne molestè scribas aut loquaris*, id est, ne tua scriptura vel locutio magis verbosa & aspera, quam sententiosa & lenis, exhibeat molestiam lectorib. atq; auditoribus. Tacitus l. 4. Annal. testatur illam tum scribere commentarios de sua vita & casibus suorum.

Defendente.] Sic Propertius loquitur lib. 4. Ele. 12. *Fungere maternis vicibus pater*, id est, præsta & imple officium & partes matris tuere.

Consulto.] Id est Virgil. lib. 2. Æn. *Compositò rumpit vocem*, & Terentio in Phor. Act. 5. Scen. 1. *Compositò factum est*: vbi Donatus notat: sic veteres, nos *ex consulto*, Plautus *ex industria, de compacto*, loquebantur, & Senec. lib. 1. cap. 6. de Clement: *Peccauimus omnes, alij ex destinato, alij forte impulsi, alij alienâ nequitia ablati &c.* Sueton in Iul. *Præmia non tantum destinato, sed ex occasione sumebat*, quæ certè omnia Galli interpretantur, *desaict, pense, de propost, deliberè, tout expres*, Græci συμβουλευτικῶς, ἢ προνοητικῶς, ἢ ἐκ προαιρέσεως, ἐκ προνοίας.

Ridiculum.] Ita substantiua Terentius sumit Eun. Act. 3. Sc. 7. *Mihi sola ridiculo fuit, quæ, quid timeret, sciebam* (hic τὸ *sola* flexum est ἀρχαϊκῶς, more veterum, vt hoc obiter moneam) & numero multitudinis oratorio secundo. *Sæpè etiam sententiosè ridicula dicuntur.* Sic Græci τὸ γελοῖον καὶ τὰ γελοῖα, *res iocosæ, & adrisum ciendum aptæ.*

Secat.] Quod Græcè dicitur διαιρεῖται ἢ διαιρεῖνα, ἢ διαιρεῖ, *dirimit, decidit & definit*, & si lites fuerint, eas componit: vt Epist. 16. l. 1. loquetur.

Quo multa magnaq; secantur iudice lites.

Scripta quibus.] Ellipsis est præpositionis, a quibus viris scripta est.

Hoc stabant.] Veteres Comici iocis, salibus & ridiculis, cum dente tamen iunctis, suam in Scena retinebant dignitatem & auctoritatem, dum his plus efficiebant, quàm si acrib° vsi fuissent. Hic, τὸ *hoc* vtrumque est ab

est ablatiuus caussæ, propter id prisci Comici placebant, & ob idem probabantur, ideoque imitandi sunt.

Simius iste.] Nomen est a Simia deflexum per contemtum, vt a Varinio lib. 5. Epist. ad Fam. Ciceronem 10. vsurpatur, & lib. 7. Epist. 1 ad Marium, similiolus dicitur Plancus Bursa ὑποποριστικῶς, vt Græcè *πιθήκιον ἢ πιθηκίσκος*, ad grauiorem despicientiam, quasi homo esset semissis ac nihili. Hîc autem significat Demetrium Lucillij imitatorẽ; qui Satyricè notatur deformitatis nomine: quòd macie supremâ, corporisque vieti exiguitate forma ipsi confecta erat, aut potiùs eundem notat peruersâ imitatione priscæ Comœdiæ. Simia enim a Græcis ἡ μιμώ, ὅς, id est, imitatrix hominum, vnde quidam putant Simiam quasi mimiam vocari. Non ignoramus tamen esse proprius etymum ipsius, si παρὰ τὴν τῶν ῥινῶν σιμότητα, *a simis ac depressis naribus* dici putemus. Ea bestia Græcè aliter ἐτυμολογεῖται πιθηξ, ἢ πίθηκος, παρὰ τὸ πείθεσθαι ὑφ' ἀνθρώπων, quòd facilè persuadeatur ab hominibus: vnde Plutar. ὁ πίθηκος μιμεῖσθαι τὴν ἀνθρωπον ἐπιχειρῶν ἁλίσκεται, συγκινούμενος καὶ συνορχούμενος, id est, *Simia tentans imitari hominẽ capitur, simul motitans & saltans.*

Doctus cantare.] Sic loquitur Ode 6. lib. 2.

Cantabrum indoctum iuga ferre nostra.

pro eo, qui nihil didicit, nisi cantilenas amatorias L. Calui & Valer. Catulli malè imitari cantando.

At magnum.] Pro hoc Martialis dicit l. 2.

Rem magnam præstas, Zoile, si bonus es.

vbi subintelligas aliquid magnum præstas vel memoras, vt Sat. præcedenti, *magnum narras*, id est, vix credibile.

O seri studiorum.] Id est, parum docti ac periti: vix tamen alibi reperias hanc syntaxin apud Latinos,, pro qua videtur Isocrates dicere, ὀψιμαθὴς τῶν, qui multâ iam ætate progressus hæc didicit: quomodo dicitur ὄψινοος, *qui sero sapit*: qui contrà maturè & a puero discunt, eos Græci vocant παιδομαθεῖς.

Quine putatis.] Grammatici, ac præter cæteros Priscianus docet l. 16. hîc τὸ *ne*, vt Sat. 3. l. 2.

Clarus erit fortis, iustus, sapiénne etiam.

esse confirmantis, aut certè enunciantis particulam, non dubitantis: sed meo quidem iudicio est παρέλκον, productionis gratiâ appositum. Sed in hoc Suetonii loco cap. 28. Iul. Cæsaris hæc ἐκτασις nihil potest; *Quandóne plebi scito Pompeius illam postèa abrogasset* Restat igitur, vt dicamus illam hîc vacare, quicquid Turnebus supplementi attulerit ad eam retinendam. Similis est in Epith. Catulli bis, vbi dicit: *quéinne ipsa reliquit*, & *quíne fugit.* Pro vocabulum *qui* ante *putetis* est ætiologicum pro quod vel quia.

Pitholeonti.] In hunc locum rectè quadrat explanatio Donati in And. Act. 4. Sc. 2. vers. 13. *Hanc mihi expetiui, contigit, conueniunt mores.* Quod, ait interpres vix euenit, contigisse dicitur: talem eventum habet hæc permistio verborum Græcorum & Latinorum. Hũc autem Pitholeonta Cruquius, contra opinionem aliorum, interpretatur fuisse e viginti Demetriis, qui recensentur a Laertio in vita Demetrii Phaleræi, Comicum Poetam & natione Rhodium: qui quòd absentem vellicaret, ab hac indecenti & acerba imitatione, quasi πίθηκος ἢ ὁ λέων, id est, simius & leo simul esset, notatus fuit. Quum autem huic Græco Demetrio domesticus vitæ vsus & consuetudo Romæ fuisset cum Latinis, inter versus quos faciebat Græcos, identidem multos consuetudini Latinæ, more Lucillij, Græcos tradebat: nobilis tamen Poeta est habitus ex fide ac testimonio dictæ historiæ.

Vt Chio.] De hoc vino lege in nonis Epodis, sicut de Falerno Od. 27, l. 1. & Ciceronem in Bruto de Thucydide loquentem.

Quum versus facias.] Anastrophe est particulæ *an*, dubitandi & interrogandi, quæ primũ sententiæ locum solet tenere, vt ordo debeat esse: Percontor te ipsum, an quum versus facias, & quum dura caussa Petillij agenda. De Petillio fuit Sat. 4. huius lib. &c. Valet autem, quum versus facias, quum tu sis Poeta, an malis, &c.

Te ipsum percontor.] Alterâ syntaxi dicitur etiam in l. de claris Orat. *ex aliquo percontari, quanti aliquid vendat*, vt dictum est Sat. 2. huius libri.

Caussas exsudet.] Suspicor hæc verba facetè contorta in caussidicos, qui vehementissimâ animi contentione ac virium e toto corpore sudorem eliciant: cuiusmodi oratoris ampli, vehementis & grandis exemplum habes initio l. 3. de Or. Licin. Crassum.

Coruinus.] Intelligit Messalam, de quo dictum est priùs Sat. 6.

Petita foris.] Id est, aliunde, & ex aliena natione sumta, quæ Aristoteles vocat in poetica γλῶτταν, & interpretatur ὀνόματα ξενικὰ, id est, extera & peregrina vocabula: quod vitium Quintil. l. 8. c. de ornatu videtur ποικιλμὸν vocare, orationem e variis linguis mistam.

Bilinguis.] Ennius & Lucilius primi Canusinos. (qui & Brutates & Bruttaces, vel Bruttiates potiùs sũt Festo emendato, de quibus præterea vide Strabonem l. 6.) vocârunt bilingues, quòd Græcè & Latinè scirent ex diuturna cum Græcis habitatione in Sicilia: quæ postea dicta est magna Græcia: quos Græci dicunt διγλώσσους, qualis fuit Anacharsis Scytha cognitione linguæ Græcæ. Aliquando tamen bilinguis ad animi fallacias transfertur, vt Aen. 1.

Quippe locum timet ambiguum, Tyriosq; bilingues.

quos Græci dicunt διχόθυμους.

Mare citra.] Altera est anastrophe, sed præpositionis, Gallicè, *Né deçà la mer Tyrrhene en l' Apouille, non en Sicile la Grecque.*

Quum somnia.] De Homericis ac Virgilianis verorum & falsorum somniorum portis monuimus in Grammaticis Odes 27. lib. 3. sed plura somniorum genera lege apud Artemidorum Daldianum, Macrobium, & Gasparum Peucerum de diuinationum generibus. ὄνειρος autem Grammatici deflectunt παρὰ τὸ εἴρειν, quod est τὸ ἀληθὲς ἀγέλλειν, *à vero nunciando*, vel παρὰ τὸ ὀνεῖν, δῆλον ὅτι ὠφελεῖν, *à iuuando.* Theocritus εἰδ. ιβ. σύν ῥώπῃ veritatem insomnij conijcit primo galli cinio.

Νυκτὸς ὅτε τρίτατον λάχος ἵκατο, ἐγγύθι δ' ἠὼς,

Quum tertia pars noctis erat, & aurora non procul aberat.

vide ibi reliqua. Idem ferè Tibullus l. 3. Eleg. 4.

Di meliora ferant, ne sint insomnia vera,
Quæ tulit extremâ proxima nocte quies.

Tùm enim vapores ex esculentis & poculentis sublati in cerebrum concocti sunt, ideo sensus puriores & moderatiores, de quo vide Platonem l. 9. de Repub. & medicos.

Implere cateruas.] Pro hoc videtur dicere Virg. l. 12 Aen. *densare cateruas:*

-----Vos vnanimi densate cateruas.

Pro quibus e l. 2. c. 2 Vegetij Græci & Dardani phalangas habebant singulas 8. millibus armatorum constantes. Cateruæ autẽ Gallorum & Celtiberorũ compositæ erant 6. tantùm millibus armatorum. Præterea quid intersit inter Cateruam & turmam perspicitur facilè ex Ep. 1. l. 2. huius Poetæ:

Dum fugiunt equitum turmæ, peditumq; caterua.

Non reperio in Græcis parem distinctionem τίφος καὶ

ἴλη vel ἕλη, quum in Xen. στίφος τῶν ἱππέων: apud Herodotum etiã ἕλαι ἱππέων, equitum agmina dicantur. De variis copiarum militarium & ordinum appellationibus lege notas Eustathij in versus hunc sequentes ἰλιαδ. δ.

Ὡς ῥ' ὅγε ποιμαίνων ἐπεπωλεῖν στίχας ἀνδρῶν. 1.

Sic ille imperans lustrabat ordines virorum.

Πρῶτος μὲν στὶξ, ἐξ ἀνδρῶν πεντακοσίων κατὰ τὸν παλαιόν. 2. *ὅλαμος δὲ τάξις, ἐκ τεσσαράκοντα ἀνδρῶν.* 3. *φάλαγξ δὲ ἀπὸ ἑκατὸν καὶ εἴκοσι.* 4. *Πύργος δὲ, ὡς τριακοσίων καὶ ἑξήκοντα τάξις αὕτη τετραγωνοειδῶς πυκνομένη. μετὰ δ' ὀλίγα ὅτος περὶ τὸ λόχος* ad vetsum,

Αψ ἀνερχομένῳ πυκινὸς λόχος εἶσαν ἄγοντες, 1.

Retrocedenti densas insidias ductus locauerunt.

5. *καὶ μέν τινες λόχον φασὶ τῶν ἐξ ἕκοσι τεσσάρων.* Singulorum rationes lege ibidem.

Memnona.] Quamuis Hesiodus in Theogonia memoret Memnonem & Hemathionem filios fuisse Tithoni & auroræ: Strabo tamen lib. 15. scribit Aeschylum vocare matrem Memnonis Cissiam, id est, Susiam a Susis a Tithono conditis. Seruius quoque in hũc locum l. 1. Aen.

Et sq. acies, & nigri Memnonis arma:

scribit sic: Tithonus Priami frater raptus ab aurora Memnonem, quem ex illa genuit, Troianis misit auxilium, vbi *nigri* interpretatur *Aethiopis*: quia, inquit, ex Aethiopia. Cuius opinioni assentitur Pindar. Nemeor. ᾠδ. ε. στροφ. γ.

Ῥέταται δ' ἐπί τε χθόνα, καὶ διὰ θα-
λάσσας πτηνόθεν ὄνομ' αὐ-
τῶν· καὶ ἐς Αἰθίοπας
Μέμνονος ὑπ' ἀπο-
γάσαντος, ἐπάλτο. 1.

Itaq; volat super terram & per
mare procul nomen eorum (Aeacidarum)
Quinetiam ad Aethiopas prosiluit,
Memnone non (illuc) reuerso (ab Achille occiso.)

Ex Suida tamen perspicimus Memnonem Susium, non Æthiopem fuisse, sed Æthiopum ducem, quorum copias quũ Priamo patruo duceret auxilio, ab Achille interemtus est: de cuius nomine Aulus Cornelius Alpinus scripsit Tragœdiam, vel eiusdem bella hexametris tam ineptis & inscitis, vt Memnonem videatur alterâ cæde confecisse. De hoc tamen Alpino mihi videtur Cruquius accuratiùs aliis hæc obseruasse ex antiquitate Blandinianarum annotationum, quę pro eo, quod alij annotârũt, *Horatius Viuallium quendam Poetam Gallum tangit*, agnoscant Viualum, & inde ipse coniecit pro hoc legendum esse riualem quendam: quo probroso cognomine Horatij, nescio quâ simultate commotus affecit C. Gallum, Virgilij familiarem, egregiumque Poetam, vt e Seruio in Silenum, & in 10. Eclog. huic inscripta constat: vbi pro Alpino Iuliensis nominatur. De quo vide plura in Chronicis Euseb. Vnde autem orta sit simultas inter vtrumque, nondum planum est.

Quæ inde.] i. quæ non audiantur in æde Apollinis, & illic dijudicẽtur a Metio Tarpa Palæmone cantu concertantium, & sæpiùs proponantur theatris.

Iudice Tarpâ.] P. Metius aut Mæcius Tarpa Criticus fuit, & iudex acerrimus poematum, quæ a Mimis posteà in Scena recitabantur, vt e 1. Epist. l. 7. ad fam. Marium perspicuum est: *Nobis autem erant ea perpetiendæ, quæ scilicet P. Metius probauisset.* Ex hoc item Poeta ad Pisones,

-----si quid tamen olim
Scripserit in Metii descendat iudicis aures.

Arguta meretrice.] Ἀνάλυσις verborum est huiusmodi: O Fundani Poeta Comice, tu vnus viuorum comis & facetus: vel per antimeriã ἐπιῤῥηματικῶς comiter & facetè potes effundere & scribere libellos, vbi callida meretrix adolescentes, & seruus perfidus senes eludet. *Garrire* autem libellos eâdem dicitur formâ, quâ carmen canere: quod videtur flexum a Græco γαῤῥύειν, sonare, loqui.

Pollio regum.] De C. Asinio Pollione, & de ipsius viribus vide enarrationem Odes 1. l. 2. sicut de Vario Gramm. Odes 6. l. 1. Hîc quoque Heinricus Stephanus meliùs videtur distinxisse, & accommodatiùs ad sensum sic legisse per membra;

----- Pollio regum
Facta canit pede ter percusso: forte epos acer,
Vt nemo, Varius: ductu molle atq; facetum
Virgilio annuerant gaudentes rure Camœnæ.

Intelligit trimetros iambicos, quorum bini pedes ter coniunguntur, & singulorum posterior est ferè iambus. Sex quidem sunt ictus, vnde etiam senarii versus dicuntur, sed tres tantùm sunt percussiones. Georgius Merula hunc locum citauit in l. 12. Martial Epigram. in Tuccam. In *molle ductu & facetum* videtur repetendum a superiori τὸ ἔπος: quod Eustathius in ἐπιγραφλὴ Iliad. α, definit: ἔπος ὁ ἔμμετρος λόγος, ἰδιάζεται δὲ ἡ λέξις καὶ ἐπὶ τῶν ῥαψῳδούντων, id est, *Epos est sermo metricus, & propriè conuenit hæc dictio carmina consarcinantibus.* & hæc ῥαψῳδία Hexametris versibus conscripta definitur ἐμπεριοχὴ θέων καὶ ἀνθρωπίνων, καὶ ἡρωϊκῶν πραγμάτων, *comprehensio rerum diuinarum, humanarum & heroicarum*, qualis est Ilias & Odyssea Homeri. Vnde videtur interdum sumi, vt ῥῆσις, pro re & facto, vt quum Lucian. dicit, ὅλεν πρὸς ἔπος ταῦτα, & Plato, τί πρὸς ἔπος, *hæc nihil ad rem & quid ad rem?* quemadmodum Iosephus Scaliger existimat τὸ *dictum* accipiendum notis in Ceiren ad versum,

Quæritur ex omni verborum iniuria dicto.

Huc addit τὸ *res* vocabulum Latinum παρὰ τὸ ῥῆσις, διὰ τῆς ἀποκοπῆς παράγεσθαι. deflecti. Hanc autem vocem ἔπος Grammatici Græci dici volunt παρὰ τὸ τὰς φάσεις ἕπεσθαι ἀλλήλαις, *quòd sententiæ in hoc carminis genere sese mutuò faciliùs consequantur*, vel, ὅτι τὰ ἐφεξῆς τοῖς πρώτοις ἕπεται, id est, *quòd sequentia sequantur prima*: quanquam spiritu nomen a verbo discrepare videatur. De hac vocis ratione Agell. lib. 18. cap. 9. etiam admonuit. Hac voce *Epos*, Cic. li. 3. Epist. vlt. ad Q. Fra. vsus est: *Quòd me hortaris, vt absoluam, habeo absolutum suaue, mihi quidem vti videtur, epos ad Cæsarem: sed quæro losupletẽ tabellarium, ne ei accidat; quod Erigonæ tuæ.* Vnde satis est perspicuum, hac dictione opus hexametris versibus confectum significari, sicut etiam ex Aristotele in arte poetica περὶ ἐποποιίας planum est. Vt autem hîc dicitur *forte epos*, ita *robuctum epos* apud Persium propter heroicam materiam eo explicari solitam.

Ductu molle atq; facetum.] Hunc locum Fab. Quint. lib. 6. cap. 3. assumit de risu, & vim *faceti* ex hoc confirmare videtur, quam scribit non tantùm circa ridicula consistere. *Neque enim diceret Horatius facetum carminis genus naturâ concessum esse Virgilio: decoris hanc magis & excultæ cuiusdam elegantiæ appellationem puto*: quam vocis descriptionẽ Donatus sic approbat: *facetus est, qui, quod vult, verbis efficit.* Versatur tamen etiam in sententiis atque rebus.

Annuerunt.] Διὰ τῆς συστολῆς pronunciandum est, aut legendum, annuerant, vel annuerint, aut denique ἐκ τετρασυλλαβίας ποιητέον τὴν τρισυλλαβίαν διὰ τῆς συνιζήσεως καὶ συνεκφωνήσεως, vt Eustathius docet faciendum in dimensione primi versus Iliados.

Hoc erat

Hoc erat.] Sententia est, vt aliquid etiã de me modestè prædicem, Carmen Satyricum scripsi melius, excepto Lucillio illius inuentore, quàm alij. Quum Poeta vocat Lucillium Satyræ inuentorẽ, non exiguam ipsi laudem tribuit: præsertim quũ inuentionis inceptio, huius perfectio comes fuerit. Ex his enim tribus plena existit laudatio, vt licet cognoscere ex hoc Terentij loco Eun. Act. 5. Sc. 9. v. 5. *o mearum voluptatum omnium inuentor, inceptor, perfector.* vbi Donatus notat primo sapientiam & prudentiam significari, audaciã & fortitudinem secundo, grauitatem & constantiam tertio. Syntaxis autem verborum est: Hoc erat, quod possem scribere meliùs Varrone Atacino frustrà experto, & alijs quibusdam. Cruquius putat ex Chronicis Eusebij, hunc esse P. Terentium Varronem cognominatum a vico, vel fluuio Galliæ Narbonensis *Atace*: tu videris, quàm rectè.

Sapè ferentem.] Ellipsis est discretiuarũ, quas sic explere possis: Etsi dixi Lucilliũ lutulẽtè & ineleganter scripsisse; attamẽ illũ protulisse plura, quæ sumenda & probanda magis sint, quàm reijcienda, non negârim. Hoc verbum, *tollere*, pro assumere vsurpatur lib. 2. ad Quintil. Fratrem, *Meâ factum est infusâ verecundiâ, vt te proficiscens non tollerem & assumerem.* Sic Epist. 7. l. 1.

——*At tu, quantum vis, tolle.* i. pirorum quantum vis sume.

Reprendis.] Vsitata est Poetis hæc syncope, pro reprehendis.

Nil comis.] Comis deflectit Varro libro 5. de ling. Lat. a voce Græca *κῶμος*, quæ significat *ἐορτὴν κωμαστικὴν, hilaritatem festi comissatorij.* Comis igitur est facetus & vrbanus.

Attî.] L. Attius fuit Tragicus Poeta.

Ennî.] Apocope est, pro Ennij.

Grauitate minores.] Videtur Ennius hîc reprehendi, de prætermisso decoro poematis.

Non vt maiore.] Id est, quum de se loquitur, non se dixit præstare alijs, qui iam sunt reprehensi.

Magis factos.] Id est, nihil impedit, quin liberè quærã caussam, cur poema Lucillij sit tam incompositum, sitne hoc ingenio ipsius vitio ducendum, an difficultati materiæ, quæ sæpiùs doceri mauult, quàm ornari. *Magis factos* valet, versus accuratiùs elaboratos & diligentiùs expolitos. Ita Græcè *ποιεῖν* absolutè ꝑ versus facere & carmina scribere vsurpauit Xenophon, *ὅτι ὁ Ὅμηρος ὁ σοφώτατος πεποίηκε ἀρετὴν περὶ πάντων ἀνθρωπίνων.* id est, carmina scripsit, & versus fecit de omnibus ferè humanis rebus.

At si quis pedib.] Meliùs sic leguntur hæc verba, & cõstruuntur: verũ adsit aliquis hac re tãtũ content⁹, sc. aliquid scribere versibus hexametris, *amet etiam ille aliquis scripsisse, &c.* Hic *aliquis* dicitur mox Lucillius.

Ethrusci.] Cassius Ethruscus Parmensis tot capsas & libros versuum scripsit, vt illi suffecerint sine ligno ad eum comburendum. Huius autem Poetæ fit mentio Ep. 4. ad Albium Tibullum, lib. 1.

Hæc ille.] Hæc discretiua *sed* est loco alterius *tamen*, vt ostendimus in Dialecticis, quæ, vt plurimũ substrui & cõiunctim & separatim solet: sed est hîc remotior a priori, propter interiectum multarum vocum, quem agnoscens Poeta præfatur: *fuerit*, inquam, *comes.*

Detereret.] Valet hîc, deleret & corrigeret, q̃ redundaret, si illi concessissent fata hac nostrâ ætate vixisse.

Sapè stylum.] Id est, sæpè quod tu scripseris emendes. Pro *vertere stylum* Petronius dicit, *sapè effodere verba stylo atroci*, id est, multas in scribendo lituras facere, ac tamdiu, dum rectè constituta sint omnia. De stylo plura dicentur Sat. 1. lib. sequentis.

Miretur.] Id est, neque tu cures, vt assentatiunculâ quadam auram popularem aucuperis, quod Oratorib. conuenit, sicut e Bruto Cicer. perspicitur.

Arbusculâ.] De arbuscula, quæ fuit & mima, & meretrix vide Sat. 2. huius lib. Item lib. 4. ad Attic. Ep. 15. & 3. Tusc. & in Eclog. 10. Seruium initio.

Fannius.] De hoc fuit Sat. 4. huius lib. *Beatus Fannius.*

Octauius.] Cæsarem Augustum non intelligit, sed Poetam quendam, bonitate, credo, boni carminis cõmendatum.

Relegatâ.] Id est, posito gratiæ studio, ac cupiditate fauoris depositâ.

Deteriùs spe.] Id est, si peius vobis placeam, quàm sperauimus.

Explicatio Rhetorica.

IN *pede incompositio* allegoria quędam est e continuatis metaphoris ab animantibus, quarum vt pedibus propriè tribuitur motus, vel celer vel tardus: sic vox in dictionibus & sententijs, modò celeriùs, modò tardiùs absoluitur: vnde ad versus & sententias Lucillij transfertur: quæ, quia inæquali & incondito motu feruntur, hîc meritò reprehenduntur. Similis est allegoria lib. 11. Martial. Epigram. in Chrestillum & clarior e diuersitate viæ. Illud vide.

b Hîc licet posterius *Lucilli*, nõ statim occupet initiũ sententiæ sequentis: non desinam tamen statuere hîc *ἀναδίπλωσιν*, reduplicationem eiusdem soni in clausula præcedentis, & principio sequentis sententiæ.

c Allegoria est altera à canibus mordaci sale cõspersis, ne illæ corrumpantur, & vt eâdem operâ iucundiori sapore commendentur. Huiusmodi fuerunt ioci, facetiæ, & vrbani sales Lucillianæ Satyræ, quibus amuralentis asperſit Lucillius, & derisit deprauatos ciuium Romanorum mores, & emendare voluit, ne illi perderentur: vnde Plinius Secundus Vespasiano scribens præfationem in historiam naturalem dicit: *Lucillius primus condidit styli nasum*, hoc est, poema sine nomine vitia hominum exagitans.

d In *Vrbem*, duplex tropus: prior est synecdoche generis pro Roma, posterior metonymia subiecti pro ciuibus Romanis: quem tropum Persius Sat. 1. est imitatus: ---*secuit Lucillius vrbem, Te Lupe, &c.*

e Similis est metonymiæ modus, pro versibus commendatitijs in charta cerata scriptis.

f *Ἐπανόρθωσις* quædam est superioris laudationis per diminutionem.

g Sumptum est a canibus irritatis, qui distortis labris, & in rugas contractis dentes nudant.

h Metaphora est ab excisorijs instrumentis ad vim facetiæ sermonis indicandam, quum ille lites cõponit, dissoluit, finit: pro quo Suet. in Iul. c. 85. *distrahere controuersias interposito per Cæsarem iusiurando* dicit: vel quum aliquid eo decernitur, & sententijs concluditur. Similis est tropus Ep. 16. in, *lites secare.*

i Alia metaphora ab actoribus Comœdiarum, qui placebant talibus facetijs & salibus versuum, & faustas acclamationes & lætos plausus a spectatoribus consequebantur.

k Manifesta est *εἰρωνία* ex ipsius descriptione, Sat. 2.

l Metaphora est a bestia ad demonstrandum ineptũ imitatorem veterum Comicorum: qualis fuit M. Demetrius imitator Lucillianæ scripturæ.

m Metonymia Allegorica est caussæ, pro poematis Calui & Catulli, quæ sola nouit cantare iste Demetri⁹.

n *Προπαλάμψις* est, vbi Poeta obiectum Demetrij præoccupat, nisi malis breuem esse prosopopœiam il-

lius Simij sic opponentis magnam laudem permisti Latino Hellenismi.

o Ἀποστροφὴ est per exclamationem ad ὀψιμαθεῖς *serò literas Græcas discentes.*

p Altera est προκατάληψις, vel fictio, vt priùs.

q Metonymia est adiuncti pro seuero & austero vino Falerno, quod sit suauius Chio commistum.

r Synecdoche est speciei, pro, quum versus quilibet faciat: quæro ex eo, &c. quod non puto posse referri ad certum Lucilliani poematis laudatorem, vt quidam referunt.

s Est κοινοποίησις figura sententiæ, deliberatio vnius cum altero.

t Est metonymia subiecti, pro, oblitus sermonis Romani & paterni.

u Synecdoche est generis: sunt enim alia multa citra mare loca, quum hîc Apuliæ fines tantùm significentur, & citra mare Tyrrhenum intelligatur.

x Prosopopœia est Romuli non omninò perfecta, quia nulla est nota illius depositæ. Præterea *Quirinus* per synecdochen generis hîc accipiẽdum est pro Romulo, qualis notata est in Rhetoricis Od. 3. l. 3. ad hæc verba *Hæc Quirinus &c.* Nam dicitur etiam de alijs, vt de Augusto Cæsar. 3. Georg. *victorisq; arma Quirini*: vbi Seruius scribit non posse Romulum intelligi.

y Alleg. duplex, pro, dum Alpinus malè conformat & distinguit historiam Memnonis, & scaturiginem & originẽ Rheni fluminis malè colorata descriptione figuræ. Sic Od. 1. l. 1. dixit, *Nunc ad aquæ lene caput sacra*, pro principio cuiusq; rei. Ita sumitur Ep. 17. l. 1. *caput rerum hoc erat.* & Aen. 11. O *Latio caput horum & caussa malorum.* Vbi Seruius annotat esse antiquum tropum, & firmat auctoritate Terentij: *nam si hîc mali est quicquam, hem illic est huic rei caput.*

z Synecdoche est generis pro templo Apollinis Capitolini.

aa Metonymia est, pro, quæ spectetur a Principibus & populo in theatris.

bb Auertit sermonem ad Fundanium Comicum Poetam.

cc Metaphora est, teste Donato in Eunuchum, *Perijsti, eludet, vbi te victum senserit*, a victoribus gladiatoribus, qui victis insultabant. Similis est initio primæ Catilin. *quamdiu nos etiam furor iste tuus eludet?*

dd Sumtum est ab auibus, quarum garritus est hilaris, iucundus & facetus, qualis fuit Comœdia Fundanij. Quo videntur pertinere λωμὸς καὶ λωμῳδεῖν, dicuntur etiam Poetæ λιλαδεῖν Κρόνου παῖδα, *decantare Saturni filium*, translatè ab aquis & ventis, apud Pind. ὀλυμπ. α.

ee Synecdoche est periphrastica Tragœdiæ, pro versibus illius iambicis trimetris: qualis est in *epos ductu molle atq; facetum*, pro carmine Buc. atq; Georg.

ff Synecdoche est generis pro heroico carmine.

gg Metaphora ab officinis metallicis, vbi metalla tundendo malleis, & cudendo εἰς ἐλάσματα, in laminas extenduntur. Propriè loquutus est Epist. 1. lib. 2.

——*Aut alius Lysippo duceret æra.*

quod Græci dicunt, ἐλαύνει τοῦ ἀσπίδα χαλκεύς, *faber cudit clypeum.*

hh Pronomen est ἐπιδεικτικὸν per synecdochen generis ad speciale Satyræ carmen indicandum.

ii Idem est tropus pro Lucillio Satyræ primo auctore.

kk Προκατάληψις est ἀλληγορικῶς enunciata ab amnibus turbidis pro eo: *aliquis mihi obijciet scripturam Lucillij, vt obscœnam & inuenustam a me vocatam.*

ll Apostrophe est, cui communicatio altera est adiuncta.

mm Metonymia efficientis pro effectis carminibus, ab Homero, qualis est in *Ennij.*

nn Idem est tropus, sed simplex, qui fuit suprà in *currere pede.*

oo Concessio est, quâ ostendit neminem posse dari, in quo non reprehendas aliquid.

pp Sumptum est ab igne, pro subtilius, promptius, accelerius.

qq Exprimitur superior concessio, & διὰ τῆς ἀναφορᾶς iteratur.

rr Synecdoche est periphrastica Ennij Poetæ, qui primus fuit auctor Satyrici carminis rudis, quod σωνεκδοχικῶς pronunciatur.

ss Allegoria est e metaphoris a corpore ad animi maiorem attentionem, pro qua Cic. in L. Pisonem dicit, *manu sinistrâ perfricat caput*: & Aeschines, τὴν κεφαλὴν τρίβειν. Nam qui in re aliqua totam mentem defigunt, sæpè gestus edunt indecentes per incogitantiam, quales hîc memorantur sine vllo pruritu vel capitis, vel vnguium agi a Poetis acerrimâ & attentissimâ cogitatione poesin meditantibus, vel alijs in rebus perplexè hærentibus.

tt Anaphora est, atq; adeò allegoria ab antiquo more scribendi in tabellis ceratis & pugillaribus: vbi quod malè fuisset exaratum acutiori parte styli graphiarij, posteà densiori alterâ eiusdem parte expungebatur & corrigebatur. Consilium igitur Horatij est, vt quod quis scripserit, tantisper mutet & corrigat, dũ rectè constituatur. Similis est loquutio apud Cicer. in Ver. Act 4. *Timuit aliquando, & commotus vertit stylum in tabulis, uu: quo facto caussam omnem euertit suam.*

uu Metaphora est ab insecto fœdissimi odoris in ligno nascente, vt scribit Aristot. hist. animal. lib. 5. c. 31. & Plin. lib. 19 cap. 4. ad fœtorem & obscœnam Pantilij maledicentiam notandam. Sic Aristoph. in nubibus Corinthios notauit iocosè, ἀλλ' οὐκ ἐῶσι μ' ἐξουγενεῖν οἱ κόρεις, *verùm cimices*, Corinthij, *non permittunt me foràs pedem proferre.* Tres autem hæ interrogationes suspendunt subiectionem negatam.

xx Puto sumtum ab ijs, qui in exsulium eijciuntur, pro omni cupiditate honorũ & ambitione compressa & exstincta.

yy Apostrophe ad quinque clarissimos viros, quibus optat scripta sua probari.

zz Ab homine, qui est τὸ ζῶον γελαστικὸν, translatum est ad inanimum, vt Od. 11. lib. 14. in *domus argento ridet*, p. grata esse ac placere. Qualem tropum etiam Chrysogonus Christi martyr vsurpauit, Græcè scribens epistolam consolatoriam ad Anastasiam mulierem, etiam martyrẽ, μετὰ χειμῶνα ἱλαρός σοι ἡ εὐδιος ἐπιγελάσει. *post tempestatem tibi hilare ac tranquillum tempus arridebit.* Quæ sententia planè est allegorica tota, tristitiæ semper lætitia est comes, & post mærorem voluptas.

** Altera est apostrophe ad suos aduersarios, Demetrium & Hermogenem, qui impudicè & miserè student tantùm fæminis probari.

†† Auertit postremò sermonem ad puerum amanuensem, vt hanc Satyram, vt appendicem in commentarios properè referat, atque tanquam clausulam superioribus adiungat. Vnde potes discere τὸ *puer* hîc σωνεκδοχικῶς sumendum pro seruo amanuensi, quem Græci dicunt τὸν ἐπὶ γραμματέων, ἢ ὑπογραφέα.

(?)

Finis libri primi Satyrarum.

Q. HORATII FLACCI SATYRARVM LIBER SECVNDVS.

SATYRA PRIMA.

Quòd a ſcribenda Satyra Poeta non poſſit animum auertere, & ad virtutes Auguſti verſibus extendendum traducere, quicquid ipſi inde ſit euenturum.

SVnt, quibus in Satyra videar nimis a *acer, & vltra*
Legem b *tendere* c *opus: ſine neruis altera, quicquid*
Compoſui, pars eſſe putat, ſimilesq; meorum
Mille die verſus d *deduci poſſe:* e *Trebati.*
Quid faciam, præſcribe. Quieſcas. Ne faciam, inquis,
Omnino verſus? Aio, 2. f *Peream malè, ſi non*
Optimum erat: verùm nequeo dormire. 3. Ter vncti
Transnanto Tiberim, ſomno quibus eſt opus alto:
Irriguumq; mero ſub noctem corpus habento:
4. Aut, ſi tantus amor ſcribendi te rapit, aude
g *Cæſaris inuicti res dicere, multa laborum*
Præmia laturus. 5. Cupidum, pater optime, vires
Deficiunt: neq; enim quiuis h *horrentia pilis*
Agmina, nec fractâ pereuntes cuſpide Gallos,
Aut labentis equo deſcribat vulnera Parthi.
6. i *Attamẽ &* k *iuſtum poteras, & ſcribere* k *fortem:*
Scipiadam vt ſapiens Lucillius. 7. Haud mihi deero,
Quum res ipſa feret: niſi l *dextro tempore, Flaccî*
Verba per attentam non ibunt Cæſaris aurem:
Cui malè ſi m *palpere, recalcitrat vndiq; tutus.*
8. Quanto rectius hoc, quàm triſti lædere verſu
n *Pantolabum ſcurram, Nomentanumq; nepotem:*
Quũ ſibi quisq; timet, quanquã eſt intactus, & odit.
9. Quid faciam? ſaltat Milonius, vt ſemel icto
Acceſſit feruor capiti, numeruſq; lucernis.
Caſtor gaudet equis, o ouo prognatus eodem
Pugnis: quot p *capitum viuunt, totidem ſtudiorum*
Millia: 10. me q *pedibus delectat claudere verba*
Lucillî ritu noſtrûm melioris vtroq;:
11. Ille velut fidis arcana ſodalibus olim
Credebat libris, neq; ſi malè ceſſerat, vnquam
Decurrens aliò, neq; ſi benè: quo ſit, vt omnis
Votiuâ pateat veluti deſcripta tabellâ,
r *Vita ſenis: 12. ſequor hunc Lucanus, an Appulus, anceps:*
Nam Venuſinus arat finem ſub vtrumq; colonus,
Miſſus ad hoc, pulſis (vetus eſt vt fama) Sabellis,
Quò ne per vacuum Romano s *incurreret hoſtis:*
Siue quod Appula gens, ſeu quòd t *Lucania bellum*
Incuteret violẽta. 13. Sed hic u *ſtylus haud petet vltrò*
Quenquam animantem: & me veluti cuſtodiet enſis
Vaginâ tectus: quem cur diſtringere coner
Tutus ab infeſtis latronibus? x *O pater & rex*
Iuppiter, vt pereat poſitum rubigine telum:
Nec quiſquam noceat cupido mihi pacis! at ille,
Qui me commorit (melius non y *tangere clamo)*
Flebit, & z *inſignis totâ cantabitur* aa *Vrbe.*
14. Seruius iratus bb *leges minitatur & vrnam,*
10 *Canidia Albutî, quibus eſt inimica, venenum:*
Grande malum Turius, ſi quis ſe iudice certet:
15. Vt, quo quisq; valet, ſuſpectos terreat, vtq;
Imperet hoc natura potens, ſic cc *collige mecum:*
Dente lupus, cornu taurus petit. Vnde, niſi intus
Monſtratum? 16. Scæuæ viuacem dd *crede* ee *nepoti*
Matrem: nil faciet ſceleris ff *pia dextera (*gg *mirum:*
Vt neq; calce lupus quenquam: neq; dente petit bos)
Sed mala tollet anum vitiato melle cicuta.
20 *16. Ne longum faciam, ſeu me tranquilla ſenectus*
Exſpectat: ſeu mors atris circumuolat alis:
Dives, inops, Romæ, ſeu fors ita inſſerit, exſul,
Quiſquis erit vitæ, ſcribã, ii *color. 18.* o kk *puer, vt ſis*
Vitalis metuo, & maiorum ne quis amicus
ll *Frigore te feriat. 19. Quid, quũ eſt Lucillius auſus*
Primus in hunc operis componere carmina morem;
mm *Detrahere & pellẽ, nitidus quâ* nn *qq; per ora*
Cederet, introrſum turpis: num Lælius, aut oo *qui*
30 *Duxit ab oppreſſa meritum Carthagine nomen*
Ingenio offenſi? aut læſo doluêre Metello?
Famoſiſq; lupo pp *cooperto verſibus? Atqui*
Primores populi arripuit, populumq; tributim:
Scilicet vni æquus virtuti, atq; eius amicis.
20. Quin vbi ſe à vulgo & ſcena in ſecreta remôrant
qq *Virtus Scipiadæ & mitis ſapientia Lalî;*
Nugari cum illo, & diſcincti ludere, donec
Decoqueretur olus ſoliti: 21. Quicqd ſum ego, 22. quã-
40 *Infra Lucillî cenſum ingeniumq;, tamen me (uis*
Cum magnis vixiſſe inuita fatebitur vſq;
rr *Inuidia: &* ſſ *fragili quærens illidere dentem,*
Offendet ſolido: tt *niſi quid tu, docte Trebati,*
Diſſentis. Equidem nihil hinc diffindere poſſum:
23. Sed tamen, vt monitus caueas: 24. ne fortè negotî

Incutiat tibi quid sanctarum inscitia legum.
25. Si mala condiderit in quem quis carmina, ius est,
Iudiciumq; uu *Esto, si quis mala: 26. sed bona si quis*
Iudice condiderit, laudatur Cæsare: si quis
Opprobriis dignum xx *latrauerit, integer ipse;*
yy *Soluentur risu tabulæ: tu missus abibis.*

Analysis Dialectica.

HÆc Satyra est *συμβουλευτικὸς λόγος*, vbi Poeta consilium capit cum Trebatio Iurisconsulto, de vitanda maledicorum calumnia & de temperanda Satyræ scriptione, obliterandaq; asperitatis & nimiæ lenitatis fama, cuius nomine apud complures valdè laborabat, & fortassis apud hunc magis, quàm apud alium quenquam, quod callidè dissimulat, nec minùs tamen obiter eum notat Poeta. Est autem initiò propositio e quadam distributione accusationis, *quòd Poeta homines acriùs mordeat, quàm par sit, fundatq; versus minimè ruiosos & elaboratos*: quod similitudine illustrat apertè satis enunciatâ. Huic igitur morbo Trebatius facit medicinam ex efficiente sine qua non, quam statuit in cessatione talis scripturæ, *vt Horatius omnino ab hac vacet.*

2. Etsi remedium Trebatij, vt maximè omnium singulare, videtur Poeta probare; *eo tamen* ipse e diuersis respondet *se vti non posse: quia istiusmodi cessatio ipsi pareret insomniam.* Et certè non mihi satis hîc videtur Horatius *φυσικῶς* loqui, quum quies operis, maximeq; literarij animales spiritus reficiat & recreet, & hi sic redintegrati suauiorem & altiorem somnum inducant: sensus vinciant & constringant ad tempus: contrà ijdẽ studio acriori dissipati & exstincti correlinquant languidius ad vitales spiritus gignendum: qui debilitati nequeunt animales creare & alere: vnde tandem cerebrum redditur siccum: quia ex Hippocrate *ἐνὶ ἀγρυπνίῃ ἀπαιμὸς ἡ παραφροσύνη· ob immoderatas vigilias contractio nervorum & mentis alienatio fiunt.* Quum enim cerebrum *ἀδιαλείπτως* intenditur, & cor varijs motibus afficitur, nisi reficiantur quiete, facilè arescunt. Huc adde: *Quod caret alternâ requie, durabile non est.*

Hæc autem facile perspiciuntur e definitione somni ab Aristotele sumta lib. *περὶ ὕπνου καὶ ἐγρηγόρσεως. Ὕπνος ἐστὶν ἡ τοῦ αἰσθήσεως ἀκινησία, καθ' ὅλον δεσμός· somnus est immobilis constitutio & quasi vinculum sensus: ἡ δὲ ἐγρήγορσις αὐτῆς λύσις καὶ ἄνεσις· Vigilia autem eiusdem sensus est solutio atque remissio*: in qua definitione obscurè latent eiusdem somni caussæ: efficiens in calore spiritus vitalis: materia in vaporibus inde in cerebrum sublatis, qui refrigerati delabuntur in partes subiectas & illas sopiunt: forma in situ corporis quieti & in membrorum alterna vel proiectione vel contractione, pro iacentis constitutione: finis, vt cerebrum benignè irrigetur ad cõseruationem & salutem animalis, vt Menander docet: *ὕπνος κέφαλε σώματος σωμάτων somnus initur ad corpus cõseruandum & tuendum.* Idem, *ὕπνος ἐστὶν πᾶσιν ἐστὶν ὑγεία βίου, somnus est omnibus sanitas vitæ.* Non tamen ignoramus alibi somnum & vigiliam ab Aristotele definiri affectiones esse circa cor principis sensus sedem. Sed malo sequi medicos Philosophos. Ex quibus efficitur, vt somnus ex illa requie scripturæ existat: contrà e scribentis contentione insomnia, cuius certa comes est *ἀσυνεξία καὶ πάσων νόσων μήτηρ, cruditas mater omnium morborum*: si vacatio per se & simpliciter consideretur: sed si idem Poetæ accidit, quod grauidis mulieribus, vt desideratis cibis magis crucientur, quàm appositis & comestis, licet hi sint insalubres; dicemus Poetam cessantem fieri insomnem ex vehementi illa voluntate scribendi de morum emendatione ob desiderium & cupiditatem virtutis actuosæ: quomodo Iuuenalis scribit se affici Satyr. 1. propter corruptæ ætatis suæ mores:

Difficile est Satyram non scribere: nam quis iniquæ
Tam patiens Vrbis, tam ferreus, vt teneat se?

Itaque talis Satyræ scriptio cuiuis Poetæ decori & ornamento futura est: atq; sic Horatius videbitur tale sui in Philosophiam amoris documentum constituere, quale Plutarchus scribit eleganti comparatione in libello, *πῶς αὖ τις ἀισθοῖτο ἑαυτὸν προκοπτόντος ἐπ' ἀρετῆς· quomodo quis nosse possit, vt in virtute profecerit: ὁ γὰρ δεῖ τοῖς λόγοις συφραίνεσθαι παρόντας, ὥσπερ τοῖς μύροις, ἀπόσαντας μὴ χαίρειν, μηδὲ ἀχθόμενον, ἀλλὰ πένθος τινὶ καὶ λύπῃ πάθος ὁμοῖον οὐ τοῖς ἀποσασάσμοις πάσχοντας· ἔχεσθαι τοῦ προκοπτόντος ἀληθῶς, οὔτε γάμου, οὔτε πλούτου, οὔτε φιλίας τινός, οὔτε στρατείας προαιρεῖσθαι ποιήσει τὸ χωρισμόν· ὅσῳ γὰρ πλέον ἐστὶ τὸ προσειλημμένον ἐν φιλοσοφίᾳ, τοσούτῳ μᾶλλον ἐνοχλεῖ τὸ ἀπολειπόμενον*: i. *Nõ est similis capienda nobis præsentibus e literis voluptas, atq; ex vnguentis, vt quum inde nos recesserimus, illas non amplius requiramus, nec secessum ægrè feramus, sed vt a studio semoti teneamur tamẽ, velut fame quadã & siti, illarũ desiderio, ac in illis verè proficiamus, siue nuptijs, siue diuitijs, siue aliquâ amicitiâ, siue expeditione militari nos inde abstrahamur & auocemur: quantò enim vberiorem e literis Philosophicis perceperimus fructum, tantò grauiori cruciabimus desiderio relictarum.*

3. Affingitur sermo Iurisconsulto valdè accommodatus, qui remedia, tãquam leges sanciat aduersus insomniam, somnum, quæ sumuntur e calore exercitatione excitato, & humore potione aucto: vnde vapores tolluntur, & sopor ducitur. Hoc autem consilium oratione quidem est legislatoris Iurisconsulti, sed re ipsâ est Physici, qui iubet laborẽ cibis anteponendũ: quia calor natiuus, vbi exercitatione auctus est, faciliùs cibos & pocula concoquit, & exhalãtes inde vapores in cerebrũ extollit. Sic Vlysses Odyss. *ω*. Laerti patri seni suadebat faciendum ad exemplum regis, qui

... ἐπεὶ λόσαιτο, φάγοιτε
Εὐθέμενοι μαλακῶς, ἡ γὰρ λίπη ἐστὶ γεροντῶν.
Postquam lauit se in balneis & comedit,
Dormit suauiter: est enim hic mos senum.

sed ex hoc versu Odyss. *δ*.

Αλλ' ὅτε δὴ μιν ἐγὼν ἐλόεσσιν καὶ χρίσαιμι ἐλαίῳ,
Sed vbi ipsum laui, & vnxi oleo.

lotio præcedit vnctionẽ, vt huius leuitas corrigat asperitatẽ ab illa inductã cuti. Hęc concilient Physici e discrimine lotionis calidæ ac frigidæ: quod licet ita cõcludi & iudicari: *Quibus est opus alto somno, ij primùm benè corpus vngant, deinde exerceant, posteà sub noctem curent, vt is largioribus poculis humescat: Horatius illo eget, vt antè ipsemet dixit: exerceat igitur corpus, & posteà mero irriget, nec obruat tamen.* Prudenter hîc quidem præscriberetur, quantum cibi & potionis esset adhibendum, quibus vires hominis reficerentur, non opprimerentur: quia *οὐ παροινέα, in ebrietate* nullus est ferè somnus, nisi tumultuosus. Et certè ebrio idem accidere solet, quod lucernis: quarum lumini si plus olei instilles, quàm opus sit, lumen exstinguas, non excites. Atque naturalis calor copiâ grauatus & ferè exstinctus non potest agere in esculenta & poculenta: ideoque nec benignos & placidos in caput transmittere vapores, qui somnum concilient: quòd si qui ex eo exhalant, crudi sunt, minimeque concocti: vnde turbulenti & furiales somni, & nocturna inquies oriuntur. Itaque salubrius fuisset consilium Plin. lib. 14. capite octauo, *papaueris candidi semen tostum in secunda mensa cum melle apud antiquos edebatur ad somnum altiorem.*

4. Alte-

4. Alterum præscribitur remedium Horatio e subiecto & adiuncta mercede, *vt ille se conferat ad illam scripturam, quæ res Augusti carmine celebret, fructumq; afferat prædicanti.*

5. Poeta modestè respondet, *se prælijs quidem Cæsaris describendis non defuturum animo libenti, sed sibi non adesse satis magnam & idoneam vim ingenij ad hoc munus dignè exsequendum:* Qui locus est e diuersis dissentaneis, quorum pars consequens declaratur triplici difficultate belli ac descriptionis.

6. *Quanquam* (inquit Trebatius ex eodem genere argumenti) *non possis dignis modis dicere Augusti bella: illius tamen virtutes carmine potes prædicare.* Hæc pars consequens illustratur similibus, *vt Lucillius ad immortalitatem summas Scipionis maioris virtutes versibus consecrauit, & Ennius prælia eiusdem: sic tu Cæsaris iustitiam, animiq; magnitudinem potes monimentis tuis ad omnem memoriam cõmendare, & alter Poeta illius prælia.*

7. Poeta videtur ita probare consilium Trebatij de commemorandis Cæsaris virtutibus, *vt id & opportunitate huius & commodo suo facturus sit, resq; postulauerit:* vbi facetè & vrbanè quosdam importunos illius temporis assentatores notat, & prudentiam iudiciumque Augusti ex effectis laudat: qui, dum venditores blanditiarum ad eum accedunt, illos aspernatur & respuit. Vide praxin Horatiani huius consilij Epist. 13. ad Vinnium Asellam, & Epist. 1. lib. 2. ad vers.

---quum tibi librum Sollicito damus aut fesso.

Permagni enim referre videtur, quo quidque fiat tempore: quum eandem effectionem temporis ratio possit vel illustrare, vel obscurare.

8. Hoc institutum Poetæ Trebatius commendat minorum collatione, *quòd hoc scribendi genus de virtutibus Augusti gloriâ videatur anteire Satyricæ compositioni, quæ flagitiosos & sceleratos homines non sine inuidia reprehendit.* Ista autem comparatio diuersis confirmatur: *Quamuis vitiosum hominem scripto non tetigeris, is tamen, quia sibi male conscius est, quum alios similes sui videt a te notari, metuit te & odit.*

9. Non hîc petitur consilium, vt anteà, *Quid faciam, præscribe Trebati:* sed difficultas immutandæ voluntatis, quæ rationibus Iurisconsulti vrgebatur, collatione quatuor parium significatur, vel potiùs excusatur, tanquam diceret Poeta: *Ne tibi sit mirum, o Trebati, quòd tuũ consilium sequi non possim. Idem enim mihi vsu venit, quod primo cuiq; homini contingere solet, vt suâ trahatur libidine, suo studio teneatur: suâ deniq; voluptate capiatur,* vt dicebat Vlysses Eumœo Odyss. ξ.

Αλλος γὰρ τ' ἄλλοισιν ἀνὴρ ἐπιτέρπεται ὄργοις,
Alius enim alijs delectatur studijs.

Vt etiam Plin. Iunior Epist. 1. *Varia sunt hominum iudicia, varia voluntates:* vt præterea Persius:

Mille hominum species, & rerum discolor vsus,
Velle suum cuiq; est, nec voto viuitur vno.

10. Apodosis est superiorum parium: *Me æquè iuuat Satyra scriptura, ac sua quemq; voluptas,* quæ rursus approbatur similibus: *vt Lucillius oblectabat se Satyris scribendis, ita me hoc scriptura genere soleo delectare:* quorum protasis confirmatur minoribus, *quòd Poeta & Trebatius censu & generis claritate multò sint Lucillio inferiores.* Latet in hoc argumento abdita quædam simultas inter Trebatium & Horatium: quum hic cautè & Satyricè arrogantiam illius notet, nõ sibi parcens, nisi malis hoc referre ad iocum, quali dicitur Cicero vsus in Trebatium lib. 7. Epist. 10. ad famil. Trebat. *Sed tu in re militari multò es cautior, quàm in aduocationibus, qui neq; in Oceano natare voluerit studiosissimus homo natandi, neq; spectare Essedarios:* vbi hic Iurisconsultus videtur notari inscitiâ suæ artis, qui consultoribus suis non bene cauisset, quorum fuerat aduocatus: ac præterea timiditate, qui noluerit cum Cæsare traiectum maris Caletani nauigatione conficere contra Britannos, neque impetum Essedariorum spectare: *sed iam satis iocati sumus,* subiecit Cicero.

11. Lucillius iam describitur similibus, *quòd ille, vt homines fidelibus amicis arcana sua credunt: sic quicquid ipsi, siue benè, siue malè contigisset, libris suis olim committebat, & ad eos, tanquam ad amicos confugiebat:* quæ apodosis augetur altero simili. *Non secus,* inquit, *vita Lucilli spectatur ex ipsius libris: atq; naufragia & pericula hominum e tabulis votiuis templis affixis cognoscuntur.*

12. Poeta vicissim se ipsum describit, primùm ex simili: *Volo,* inquit, *ad mores illius viri me effingere & cõformare:* deinde e subiectis, *dubito, Lucanusne, an Apulus sim: quia ego Venusinus inter Lucanum & Apulum interiaceo:* qui locus publico testimonio, fine, & efficiẽte circumscribitur. Non video satis cur Poeta huc patriam suam in dubitationem adducat: & certè id puto, vt nõnulli, alienum a proposito. Inter omnes enim constabat, Venusiam interiacere Lucaniæ & Apuliæ, nisi fortè per allegoriam dicas dubitationem ideò allatam, vt se facetè ostenderet anxiè dubitare de consilijs & remedijs Trebatij accipiendis, vel potiùs, vt se conferret cum illa Romana colonia Venusiam missa, quæ Lucanos & Apulos incurrentes in Romanos reprimeret, sed quiescentes non peteret: talem se Horatius promittit in suos inimicos & maledicos futurum. In hanc equidem alteram cogitationem inductus sum communicatione huius sermonis cum D. Antonio Senetone præside Metensi, & Regia priuato consilio viro talis honoris gradu dignissimo, publico Metensis ciuitatis testimonio: quam certè rationem longè verissimam censeo: eaque vi manifestæ comparationis nullum relinqui locum digressionis: a qua non abhorret nota & testata Lucanæ gentis crudelitas: de qua sic Palinurus lib. 6. Aen. queritur apud Aeneam,

Nisi gens crudelis madida cum veste grauatum,
Prensantemq; vnciis manibus capita aspera montis
Ferro inuasisset.

13. Hic apodosis est enunciata per diuersa, quibus ostendit, *se non omnino abijcere Trebatij consilia, sed ea certis conditionibus astringere, vt sibi liceat illos suis scriptis ladere, & vitam illorum flagitiosam infamiæ maculis aspergere, non, qui nihil ipsi nocuerint, sed qui ipsum quietum suis vitijs irritârint, & contumelijs lacesserint:* sed te, o Horati, ne quid tale admitteres, Plato in Critia tibi dissuasit, ἢ ἀδικεῖν μὲν οὐ δεῖν οὐδαμῶς ἀδικεῖν, ἐπεὶ δεῖ γε δὴ πάντως ἀδικεῖν, illatam iniuriam non esse vindicãdam, *quum nemini quouis modo iniuria facienda sit:* sed contrà de inimicis benè merendum, vt Seneca post Socratem dixit rectè & pietati Christianæ congruenter vterq;: quanquam id tantùm amore quodam in salutem humanæ societatis consuluerunt & præstiterunt. Nam si constitutũ esset, vt peccata homines peccatis, & iniurias iniurijs vlciscerentur, quantũ incõmodorũ consequerentur? Hic autem Poeta videtur alludere ad dictũ Diogenis, qui se gloriabatur apud Antisthenem, ἑαυτὸν εἶναι τῶν τοιβωνίων σάλπιγγα, *se tubam esse conuiciorũ,* aut potiùs imitari Sophistas, quorum erat proprium, si quis eos lacessisset, vlcisci, hoc versu Homeri vsurpato:

Εὐαγγέλλομαι αὐδὴ ἀμειβόμενος, ὅτε τις πρότερος χαλεπαίνῃ.

Profiteor me vlturum, quicunque prior mihi molestus erit.

14. Paribus id præcedentium minarum & vindictarum sibi licere postulat Poeta, *quod Seruio inquisitori li-*

ce: quod Canidiæ veneficæ, quod C. Turio iudici venali, in vituperendis inimicis & malcuolis, quibuscunq; modis id præstare illi possint.

15. Approbatio est parium ex efficiente, *quòd illa propulsatio iniuriæ cuiq; animanti ingenerata sit naturâ, & ab eadem sit quæq; ad vim repellendam accommodatè armata.*

16. Existimo commemorationem huius parricidij hic ideò adhiberi, vt Poeta demonstret eum planè omnem humanitatem exuisse, qui non commoueatur tam impij sceleris immanitate: & quum audit filium parricidio inquinatum, manum non admoueat ad inurendam infamiæ notam auctori tantæ impietatis: qua in re nemo vnquam videbitur cuiquam nimis acer & acerbus Satyricus. Hoc videtur confirmare superiore Plutarchi comparatione de signo amoris Horatiani in philosophiam. Huius autem venefici & parricidæ Scævæ pectus fingitur diuersis: *quòd ille non manus quidem suas sanguine matris cruentabit, sed illam tollet veneno*: idque amplificatur similibus: *vt lupus neminem ladit calce, neminem bos dente: ita hic Scæua manu non ladit matrem*: quæ ratio ad priorem diuersorum partem pertinet: hæc verò ad posteriorem: *vt lupus lacerat prædam dentibus, vt bos petit cornibus, sic Scæua veneno necat.* Porphyrio in hunc locum profert e Cicerone pro Scauro simile argumentum, *Libertus patronum non occidit, sed duobus digitulis gulam oblisit.* Hoc ideò addidi, quòd legerim huiusmodi argumentum poni a Cicerone *σὺν τοῖς σὺν τέχνοις*, id est, inter artificiosa & arguta, quæ dicuntur *παρὰ προσδοκίαν, præter exspectationem* risum mouere. Vide lib. 2. de Oratore, & Epist. 32. lib. 7. de ridiculis.

17. Complures sunt nostri Poetæ persimiles, qui vbi obfirmârunt animum in re aliqua, vix illos, ac ne vix quidem, vllâ ratione inde dimoueas. Simulant quidem se consilia expetere & postulare: sed ea, quâuis non ingrato animo, tamen obstinatione quâdam opinionis præiudicatæ repudiant. Itaq; Poeta sic se obfirmat aduersus consilium Trebatij, *vt quicquid ipsi casurum sit, siue bonum, siue mali, non tamen ob id Satyrarum compositionem remissiorem sit.* Talis autem obstinatio enunciatur multiplici oppositorum disiunctione.

18. Animus Poetæ tam obfirmatus conijcit Trebatium in metum mortis Horatio mox futuræ ex hoc genere scripturæ, *ὡς ἐξ αἰτίας θανατίμου, tanquam e lethifera caussa.*

19. Poeta nunc e paribus conatur Trebatio metum adimere, in quo erat hic de ipsius animo tam obstinatè operam volenti dare scribendis Satyris: quorum protasis est ex aduersis & effectis: *Lucillius* ait, *quando turpitudinem & vitia intemperantium hominum, libidinosorum sicariorum, veneficorum Satyris suis acerbè insectatus est, nullus vir bonus, nullus ex ciuitatis proceribus virtute præditus offensus est: imò verò plurimum oblectatus, nihilq; omnino huiusmodi accidit, sed pro iusta vitiorũ castigatione magna procerum beneuolentia est adiuncta & familiaritas: quamuis pariter a qualiterq; summos & imos tractauerit. Itaq; tales mihi infensos non reddam vitiorum reprehensione, nihilq; est, quod tu mihi propter iustam vitiorum animaduersionem metuas, o Trebati.*

20. Superiorem rationem maioribus confirmat: *Illorum*, ait, *summorum Imperatorum non modò non offendit animos suis scriptis Lucillius, sed etiam se cum illis in secessu delectauit (quum ipsi se a conspectu populi & luce forensi animi relaxandi caussa remouissent) frugaliq; apparatu & cibis parabilibus vsus fuit.*

21. Apodosis est antecedentium parium, tribus verbis comprehensa, quorum protasin repeto, vt tota cõparatio clarior sit: *Lucillius placuit summis Imperatoribus, etiam vi acerrimâ scriptorum suorum, illorum familiaritate & conuictu frugali vsus est, & ita tutus fuit ab hostibus & insidijs: idem adhuc mihi contigit, & idem spero posthac futurum.*

22. Approbatio est ἀποδόσεως e diuersis, modestiæ caussâ: *Quanquam*, inquit, *inferior sum Lucillio & genere, & opibus, & ingenio: vixi tamen cum summis quibusq; ac primarijs viris ciuitatis: quod testimonio vel inuidorum potest probari*, qui videntur argui à Poeta alijs paribus: *vt si quã illi duram accusationem & obtrectationem ipsi instruxerint, non minùs durâ depulsione aciem intentionis Horatius retusurus sit.* Quæ tamen comminatio simulatè temperatur voluntate Trebatij, tanquam Horatianæ commotionis moderatrice.

23. Respondet Trebatius diuersis: *se licet non dissentiat a Poeta in ratione propulsandæ iniuriæ, tamen velle illum monere de cautione adhibenda in scribendis Satyris.*

24. Illa diuersa confirmantur fine: *ne quam Satyra ipsi molestiam exhibeat per inscitiam legum scripta.*

25. Vis legis videtur proponi ex aduersis: primùm *si quis mala carmina in aliquem scripserit, iure plectatur*: quam sibi legem malorum carminum indicit libenter Poeta: sed amphibolia vocis, *mala*, illum fallit. Putat enim hac significari carmina incondita & absurda, quum famosa & probrosa Trebatius intelligat: quibus alterius fama passim atteritur: ideoque in auctorem talium carminum actio instituitur, & pœna iure constituitur.

26. Pars deinde altera oppositionis subijcitur à Trebatio: *sed si quis vacuus ipse vitijs bona carmina fecerit, & flagitiosum sceleratumq; hominem dignis modis perstrinxerit, is laudabitur ab Augusto, & legum custodes ac ministri tali scripturâ delectabuntur.* Sic ferè leges nudè ac simpliciter proponuntur: vnde tamen facilè potest assumi: *Horatius fecit bona carmina, & vitijs caret: illum ergo decus manet*: contrà, *Idem fecit mala*, id est, famosa *carmina: manet igitur eum pœna.*

Enarratio Grammatica.

Sunt quibus.] De hoc genere loquendi vide Gramm. Od. 1. 1. Addam tamen illud Theocriti *eidl. 7. ἦ χόρος ἦνιν ἔγωγε καὶ Εὔκριτος ἔρχομες*, id est, *tempus erat, quũ ego & Eucritus ibamus*, pro aliquando ibamus. Georg. 1. item 4. *Sunt, quibus cecidit custodia sorti*, pro quibusdam apibus cecidit custodia sorti: pro quo hîc dicitur: Quidam me iudicant nimis acrem animaduersorem, & diligentem vitiorum castigatorem. Alij contrà nimis remissum, & serum.

Vltra legem.] Id est vltra modum mordacem esse sine vllo personarum discrimine, non habitâ illarum ratione & delectu.

Trebati.] E proœmio Topicorum, & 7 Epistol. ad Famil. perspicitur, idque maximè Epistol. 5. ad C. Cæsarem in Gallijs Imperatorem, quàm familiaris fuerit C. Trebatius Iurisconsultus Ciceroni, & huic nostri Poetæ, non tamen sine simultate. Verba autem Ciceronis de eo sunt huiusmodi: *Mitto igitur ad te Trebatium, atque ita mitto, vt initio meâ sponte, post autem inuitatu tuo mittendum duxerim. Hunc, mi Cæsar, sic velim omni tuâ comitate complectare, vt omnia, quæ per me possu adduci, vt in meos conferre velis, in vnum hunc conferas.* In eodem libro leges Epistolas iocis Ciceronis in Trebatium confertas de ipsius timiditate in bello, & de aduocationibus eiusdem. Et illa Horatij quæ faciunt Trebatium eodem generis gradu Lucillio inferiorem, atque Poetam. Nam vt ille iurisprudentiâ, sic hic poetices scientiâ præstitit & clarus fuit.

Non

Nonnulli huic trinominem appellationem attribuũt, C. Trebatium Testam, ac ipsum inserunt Epicis Poetis, inter quos est Alexander ab Alexandro l. 6. c. 22

Præscribe.] Id est, modum mihi constitue scribendę Satyræ, vel quid sit mihi faciendum in hac hominum querela, & qualis Satyricus esse debeam, indica & doce, vt ad tuum præscriptum, tanquam ad normam & formulam iuris, agam omnia: de quo verbali repete notas Rhetoricas Od. 15. l. 2. ab eadem origine alterum est verbale, *præscriptio*, quod præter vsum, quem iurisconsulti sequuntur, accipitur pro inscriptione actitulo in epist. 2. l. 5. ad famil. Q. Metel. *Iam illud senatusconsultum, quod eo die factum est, eâ præscriptione est, vt, dum id exstabit, officium meum in te obscurum esse nõ possit.* quomodo vsurpatur lib. 1. de officijs, *Ex quo fit, vt ager Arpinas Arpinatum dicatur, Tusculanus Tusculanorum*, similisque est priuatarum possessionum præscriptio, qualis est Græcis πρόγραφή καὶ πρόγραμμα.

Quiescas.] Hoc verbum nõ equidem existimo accipiendum hic, vt alterum Terentij in And. Act. 3. Sc. 4. v. 19. *corrigere mihi gnatum porrò enitere, & quiescas*, Gall. *reposez vous en sur moi & me laissez faire*, Latinè, *sinas me istud facere*: quomodo sæpè vsurpatur absolutè: & certè pro hoc *quiescas*, quod est modi imperatiui Donato in locum citatum, *quiesce*, aut deest *volo*, aut *faciro*, videtur sumi τὸ τάκε, in Eun. Act. 5. Sc. 1. *Hera mea tace, obsecro, salua sumus*: vbi interpres annotat, verbum non esse silentium indicentis, sed securam facientis, quod Aristoph. in νεφ. dicit ἀτρεμεῖ ἢ ἔχ' ἀτρέμα, ἢ ἔχε νυῦ ἥσυχος, ibidem. Σω. πῶς οὖῦ διωνήσῃ μανθάνειν. Στρεψ. ἀμέλει, καλῶς. id est, *quomodo igitur poterit discere? Strep. quietus fis.* pulcrè discere poteris. In Plut. τῦτ' ἔστι μόνε ἥσυχος, *conside, quiesce.* Sed videtur hîc sumendum, tanquam esset constructum cum infinito, quiescas scribere Satyras, vt Agel. loquitur l. 2. c. 28. *Sed Dei nomen cui seruare ferias oportet, statuere & edicere quiescebãt* quod Græci dicerẽt ἡσύχαζε ἢ περὶ τύτῦ ἡσυχίαν ἄγε, ἢ ἐν τοιύτῃς τῆς γραφῆς ἀναπαύῦ, vt Plato epistol. 2. Νυῦ οὖῦ ὥσπερ ἢ ἐξ ἀρχῆς κεθηγῦ, ἕψομαι δὲ ἐγὼ, τιμώμενος μὲν ὑπὸ σῦ, τιμήσω σε. μὴ τιμώμενος δὲ, ἡσυχίαν ἕξω. id est, *num itaque velut initio res agatur, dux via mihi esto, ego siquidem sequar. Nam si abs te cultus & obseruatus fuero, te quoque meritò colam & obseruabo: spretus autem & contemptus, conquiescam.* Ita verbum πάομαι per *quiesco* exponitur Latinè, vt hic locus ἰλιαδ. ψ. πάυσατο δὲ φλόξ per hunc Æneidos G. *Postquam collapsi cineres, & flãma quieuit.* i. *desiit ac cessauit.* Sic illud Cleanthis lib. 7. Diog. Laertij: παῦσαι, ἔφη, ἢ μὴ ψέγε. id est, *Quiesce, inquit, neque vituperes.* Explico igitur hîc, abstineas prorsus à scribenda Satyra, vel illius compositione omnino supersedeas: quomodo ipse Poeta interpretari videtur, dum subiicit, *ne faciam versus satyricos præscribis?* Pro hoc enim Cicero sępè vtitur verbo quiescendi, vel vt Terentius loquitur, remitte iam deinceps omnino quenquam dente satyrico perstringere: quod tibi multò fuerit vtilius ac tutius, quàm vllum hominem per ora aliorum traducere & fabulã facere. Sed quid tam diu immoror in explanatione huius verbi, quum Poetæ responsio ipsum interpretetur, *ne faciam omnino versus?* Hæc autem breuitas respondendi, *quiescas & aio*, non caret sale dentato in seueritatem iureconsulti.

Si non optimum erat.] Exple, omnino abstinere a vitijs hominum stylo Satyrico notandis.

Nequeo dormire.] Hoc equidem putarem sic etiam intelligi posse, vt Poeta respondeat iureconsulto, se non nisi subseciuis horis, & quum est [illegible] aliquantum otii a grauioribus studijs & negotiis, ad fallendum tempus Satyras scribere: Sic Satyrâ 5. huius dicet,

Quam nequiêre proci recto depellere cursu.

aliter τὸ *nequeo* cum particula *quin* sequente sumitur. Terentius, in Hecy. Act. 3 Sc. 3. *nequeo, quin lacrymem, miser*, vbi Donatus supplet, *nequeo tenere me, quin, &c.* quale supplementũ syntaxis cum infinito nõ patitur.

Ter vncti.] Remedia insomniæ proponuntur convenienter personæ præscribenti, ac si leges ferrentur. Ita Cic. 2. de leg. *Ad Diuos adeunto castè: pietatem adhibẽto: opes amouento*, è prisco veterum more leges pronunciat. Tales autem exercitationes, quæ in campo Martio fiebant olim, non solùm erant progymnasmata & præludia virtutis bellicæ & gloriæ aliquando futuræ, sed etiam cautiones & prouisiones valetudinis conservandæ & tuendæ, vt constat ex Od. 8. l. 1. & 7. l. 3. & prima l. 4. Hîc *ter transnanto, non ter vncti*, videtur construendum. Transnare autem est vltrà natatu flumen transire, vel traijcere ter Tiberim. Videtur Poetæ Trebatius cauere, atque ἰατρικῶς consulere. Nam medici tradunt e natationibus, quę dulcib⁹ in aquis fiunt, fluviales sanis corporibus minùs nocere, & ad sonum inducendum valere: sed eas, quæ in paludibus, stagnis & lacub⁹, valdè perniciosas esse: atq; vnctio adhibebatur nataturis contra frigus aquæ & corporẽ membrorum: quo remigium crurum & brachiorum agilius esset, vt luctaturis aduersus luxationes articulorum, fracturas membrorum antipalorumque apprehensiones.

Somno quibus.] Quod Græcè dicitur, οἵτινες τῦ βαθυτέρυ ὕπνου τυγχάνουσι δεόμενοι, natent æstate & fluminibus abluantur. Hoc imitatus est Iuuenalis Satyra prima, quum suasit Syllæ, vt deponeret dictaturam, priuatus vt altum dormiret.

Irrigauimq;.] Quod Græcè etiam dicitur τὸ σῶμα ὑπὸ τῆς νύκτα τῷ ἀκρατῷ ἐπορρέχοντο, vel, τὸ σῶμα ὑπὸ τῆς νύκτας βεβρεγμένον ἀκρατῷ ποιοῦντο: sed ego existimo hîc τὸ μὲν οἰνῦσθαι, ἢ δὲ μεθύσκειν intelligendum. Nam e Solone apud Diogenem Laertium discimus οἰνωθῆναι δὲ τὸν σοφὸν φασιν, ἢ μεθυσθήναι. *vt alterum valeat bene potum esse, & alterum omnino ebrium ac vino sepultum esse.* Eustathius tamen illud apud Homerum per hoc explicat, & Aristot. 7. Ethic.

Sub noctem.] Sic Cæsar lib. 1. de bello ciuili, *Pompeius sub noctem nauis soluit*: quem vtrumque locum malo interpretari circa noctem, vel paulò ante noctem, quàm noctu, pro Gallico, *Entre chien & loup, que dire de nuict.* Sed de vsu huius præpositionis lege Grammat. Satyr. 1. l. 1. ad hæc verba *Sub galli cantum.*

Si tantus amor,] Id est, si tantâ cupiditate & studio tanto scribendi ardes: res ab Augusto præclarè gestas versibus manda: quod tibi summæ laudi maximoque emolumento futurum est. Similem phrasin Virg. l. 2. Aen. per infinitum ἐλλιπῶς expressit,

Sed si tantus amor casus cognoscere nostros.

Cupidum, &c.] Hinc apparet studium Poetæ consilio Trebatij repugnantis: nam etiamsi defuissent ipsi vires ingenij, respondere tamen debuisset more Ausonij ad Theodosium:

Non habeo ingenium: Cæsar sed iussit, habebo:
Cur me posse negem, posse quod ille putat?

Pater optime.] Hîc fortassis Poeta non tam respicit ad ætatem Trebatij, quàm ad Senatoriam dignitatem vt Od. 14. lib. 4.

Vires deficiunt.] Sic συνεγκτικῶς vtitur Cic. 1. l. de Orat. *quum me deficere vires cœpissent.* Idẽ etiam ἐλλειπτικῶς in altera syntaxi 3. Verr, *Verebar, ne mihi vox viresq; deficerent.* Est autem hic praxis eius consilij, quod dat Pisonibus de re poetica, *Sumite materiam vestris, &c.*

Agmina.] Eadem est syntaxis verbi φρίσσειν, & significatio Iliados *n.* sub initium, quæ est hîc τῶ horreres,

——τῶν δὲ τάχες εἵατο πυκνοί,
Ἀσπίσι, καὶ κορύθεσσι, καὶ ἔγχεσι πεφρικυῖαι.

Ordines autem horum sedebant densi, scutis & galeis & lanceis horrentes.

Hæc autem agmina Virg. Aen. 12. vocat pilata:

Procedit legio Ausonidum, pilataq; plenis
Agminaſe fundunt portis.

De pilis vide Varronem & Vegetium libro secundo, quæ erant tela Romanis quinque pedum & semis, ferro triangulo acuta. Tu quoque rationē & etymon vocis, *agmen*, repete e Grammat. Od. 2. l. 3. ad hæc verba, *Rudis agminum.*

Neque enim.] Id est, tanta est difficultas rectè scribendi genus armaturæ, tanta etiā conflictus, stratagemata, prœlia, plagas & lapsus velut sub aspectum subijciendi, quantam non quiuis vnus e poetis, sed doctus, & intelligens historicus posset exsorbere.

Fractâ cuspide.] C. Marius prædicatur primus auctor huiusmodi telorum & iaculorum aduersus Cimbros: alij scribunt aduersus Santonas, quæ in hostem intorta frangebantur, ita vt vel in scuto, vel in corpore pars altera hgeretur, altera remaneret pendula maximo impedimēto repugnaturis, vel exitio, vel certè vt nulli essent posteà hostibus vsui. De quo lege Plutarchum in Mario. Quo autem tempore ac bello, & qui Galli fractâ cuspide perierint, & Parthi ex quo confossi deciderint, coniecturâ non est facilè consequi. Trebellius Pollio narrat quidem C. Marium e triginta Tyrannis vnum fuisse a milite quodam interfectum, qui inter aggressionē iactauerit, *Hic est gladius, quem tu ipse fecisti*: vnde constat Marium ante ipsius imperium fabrum fuisse ferrarium, ac interfectoris militis operâ vsum in officina fabrili: a quo locus prouerbio datus fuit, *suo sibi hunc iugulo gladio.* Itaque non est mirum, si auctor fuerit huiusmodi iaculorum, quæ hîc memorantur.

Scipiadam.] Rationem vocis *Scipio* affert Macrobius libro primo, capite sexto, sub fine ad illam Papyrij Prætextati firmandam, *Non aliter*, inquit, *dicti Scipiones, nisi quòd Cornelius, qui patrem luminibus carentem pro baculo regebat, Scipio cognominatus nomen ex cognomine posteris dedit.* Latini autem *Scipionem*, Græcum vocabulum vsu fecerunt suum. σκίπων enim Græcè dicitur *baculus*, quo senes & imbecilli homines inter ambulationem innituntur, παρὰ τὸ σκίμπτειν, quod etiam σκήπτειν, *ab incumbendo & innitendo*, vnde ἀσκίπονες, qui viridi senectâ sine baculo incedunt: Hæc certè patronymici finis rarior pro Scipiaden. De Scipione, qui à deuicta Africa cognominatus est Africanus, lege historiā Plut. & Liuij, & Virg. lib. 6. Aen. Sic de se scripsit modestè Ode 6. lib. 1.

Dum pudor, imbellisq; lyræ Musa potens vetat.

Item Od. 3. lib. 3. *Quò Musa tendis? desine perulcax magna modis tenuare parui.*

Haud mihi deero.] Cur non potiùs respondit Poeta, non deerit Cæsari inuicto mea cura & studium in tanto officio? equidem credo, vt carissimam ingenij libertatem retineret, & suis commodis præcipuè serviret.

Quum res ipsa feret.] Id est, quum materia & opportunitas meam industriam & scripturam requiret: quod tamen videtur exsequutus multis Odis & Epist. 1. l. 2. Ita ferè Latini vsurpant absolutè *ferre* cum his vocibus: natura, res, ætas, tempus & aliquot alijs, pro exigere, postulare, permittere, licere. Cic. pro Quinctio, *Vererer, ne grauioribus vtar verbis, quàm natura mea fert*, id est, quàm naturâ sum comparatus, vel quàm hæc postulat. Sic Terent. in And. Act. 5. Sc. 1. 13. *Incœpi, dum res tetulit: nunc autem non fert*, id est, dum licuit, nunc non licet per naturam.

Dextero tempore.] Id est, opportuno & commodo rebus agendis tempore, pro quo modò dixit, *quum res ipsa feret*: & Græci dicunt εὐκαιρίαν, & Cicero, tempus idoneum & opportunum ad aliquid tutò conficiendum.

Et attenta.] Hîc attentus valet ad res alias grauiores intentus. Alibi notat animi attentionem ad quid diligenter audiendum & iudicandum. Syntaxis autem verborum sic apertiùs resoluatur: Verba Flacci non ibunt per aurem Cæsariis attentam, nisi dextro, id est, opportuno tempore.

Cui si malè.] Id est, cui si malè palpum obtrudas, & supra modum blandiaris inepris tuis versibus, adeò circūspecto & acri est iudicio, vt nunquam illtâ viâ illius, magnâ prudentiâ stipati, beneuolentiā tibi colligas: imò verò in ipsius maleuolentiam incurras.

Palpere.] Palpari propriè est, quod Græci dicunt ψηλαφᾶν, *blande contrectare, & manu demulcere*, vt Xenophon accepit sub initium περὶ τῆς ἱππικῆς. καὶ ἅπτεσθαι δὲ χρὴ, ὧν ψηλαφωμένων ἵππος μάλιστα ἥδεται, id est, *contrectari oportet eas corporis partes, quarum contrectatione gaudet equus*, καὶ πόλλης θωπείας δεῖται καὶ ἥδεται, Id est, *equus etiam multis blandimentis eget & gaudet*: alioqui ἀντιλακτίζει τοῖς ποσὶ καὶ πληγίζει, *pedibus recalcitrat & calce petit*, vel vno verbo, λακτιστὴς ἢ πληγιστὴς, *est calcitro: vel calcitrosus.*

Pantolabum.] De vtroque lege Grammatica Sat. 8. lib. 1.

Saltat Milonius.] Hic scurra fuit vinolentiæ admodum deditus, cuius cerebrum simul atque potione meracioris vini perfusum erat, & oculi videbant lucernas geminari, accingebat se saltationi, quum neque pes, neque manus suum facerent satis officium, quod Gallicè sic exprimas: *depuis que le vin lui auoit dōné sur la cor-ne, il ne demandoit qu' à danser & à baller.*

Ictò capiti.] Tibullus Eleg. 2. l. 1. pro hoc dicit, *percussum tempora multo Baccho.* Ibi tamen legitur etiā *perfusum.* Illud Græci vno verbo efferunt οἰνοπλήγα ἢ οἰνόφλυγα, *vino ictum*, vel *eodem feruentem.* Hîc ergo in *ictò*, intelligo vaporibus vini, tanquam telis percusso capiti.

Numerus.] Cur obiecta, quum simplicia sint, ebriis multiplicari videantur, lege Aristotelē problem. sect. 3. & lib. 4. Lucretii, & Cæl. Rhodiginum lib. 8. cap. 20. & libro decimo quinto capite trigesimo quarto: Galenum quoq; libro decimo de functione particularum, & Auicennam.

Castor gaudet.] De hoc & ipsius fratre Polluce dictum est in Grammat Od. 3. l. 1.

Me pedibus.] Id est, delector & præter cætera ducor compositione carminis Satyrici, more Lucilij. Hoc autem verbum *delectat*, Grammatici adscribunt impersonalibus: & e Saliustio simile huic exemplum afferunt: *In primisque me delectauit tantum studium bonorum in me exstitisse*: quod mihi certè nullâ ratione nixi facere illi videntur: quòd, cùm infinitum cum sua rectione possit fungi vice nominatiui: tum non secùs, atque in hoc Ciceronis loco, Epist. 10. lib. 4. ad Familiar. *Subuereor, ne te delectet tarda decessio*: tum certè personaliter vsurpetur semper ὀνεργητικῶς καὶ παθητικῶς, vt exemplis passim occurrentibus comprobatur.

Melioris vtróque.] Genere & censu: quia fuisse auus vel auunculus Magni Pompeij existimatur: vnde

vnde constat τὸ *Melioris* epithetum ad claritatem generis & facultates Lucillij, non ad morum probitatem referendum, tametsi insectatur vitiosos: vnde fortassis fortior & acrior ad illorum castigationem videretur, vt, *Tydides melior patre* ad pugnas periculosas dictus fuit Od. 15. l. 1. ex Homero.

Velut fidis.] Quidam putant in hoc Lucilium imitatum fuisse Sapphonem, Alcæum & Anacreontem Lyricos, qui suis scriptis, tanquam amicis, vt consuessent. Alij huc referunt, vt Lucilius libris horũ Lyricorum vsus sit loco sodalium.

Decurrens aliò.] Aliò se conferens, id est, in adversis non aliunde solatium petebat, nisi a suis libris, nec alijs congratulationem rerum secundarum declarabat, nisi eisdem sodalibus libris.

Votiua.] De *tabula votiua* dictum est in Grammaticis Od. 5. l. 1. sicut de *Venusio* in Grãmatis Od. 28. eiusdem.

Vita senis.] Eusebius scribit, Lucilium obijsse annos quadraginta sex natum: quâ ætate senectus est viridis & matura: vnde Agel. lib. 10. cap. 28. scribit, homines infra 46. annos cognominari Iuniores, supra eosdem Seniores.

Anceps.] Hæc vox sonat, dubito, ac sum incertus, ἀμφιδοξέω: quod quidam putant sumtum ab armis vtrinque acutis, quæ dubitamus, vtrâ parte apprehendamus sine offensione, vt ratio illius præ se fert Festo.

Nam Venusinus, &c.] Satyricum poema nostri auctoris hinc cognominatum est, Satyrâ. 1. Iuuenalis, *Venusina Lucerna.*

Arat.] Verbum *arat*, absolutè ponitur: in quo tamen facilè intelligas, terram. Aliter 4. Epod. *Mena arat Falerni mille fundi iugera.*

Pulsis Sabellis.] Id est, expulsis Samnitibus sub dominatu Syllæ, vt diximus in Grammaticis Odes 6. l. 1.

Quò ne.] Valet hîc, *vt ne*: vt ne hostis incurreret Romano, pro quo Orator dicit incurrere in hostes, & in aciem, in loca, & in agros populi Romani.

Lucania.] Situm huius regionis sic Strabo lib. 6. describit: *Est verò Lucania inter Tyrrhenum, Siculúmque littus interiacens*: & paullò antè dicit, Lucanum duxisse genus a Samnitibus, & illorum Metropolin fuisse Petiliam: quæ tota plaga Italiæ infestissima olim fuit Romanis; eamque ob rem Poeta vocat illam violentam.

Bellum incuteret.] Pro quo etiam Cic. dicit, bellum faceret, concitaret, inferret.

Stylus.] Syntaxis verborum est huiusmodi: stylus, non nisi provocatus, petet quenquam: sed me defendet, velut ensis tectus vaginâ, quum arma gestentur defensionis, non offensionis caussâ, πρὸς ἀμύναν τῶν ἀδικούντων, ἢ πρὸς φόνον ἀβλαβῶν ἢ βλαβλίν. Stylum autem malo per ypsilon scribere, quippe quod a Græco videatur ortum, στύλος, significante præter columnam γραφίδα *penicillum*, & γράφιον, quo vtitur Ouid. Amor. l. 1, Eleg. 11.

Quid digitis opus est graphium lassare tenendo?

pro instrumento acuto parte alterâ, qua in cera vel pugillaribus scribitur (quæ a pungendo dicuntur, non a pugno, quia stylo tabellæ punguntur ad imprimendam literæ figuram) alterâ parte obtuso, quâ malè scriptum deletur: *quelle deuoit estre la touche, de lequelle lon escrit aux tablettes.* Successit autem stylus æneus in locum ossei, quo in codicillis, id est libris & corticibus arborum exarabatur initiò. Donatus in prologum Andriæ ad verba, *Dissimili oratione sunt factæ ac stylo*, discrimen orationis ac styli obseruauit, vt oratio ad res, id est, ad sententias, stylus ad verba propriè referatur. Quod autem addit, orationem esse & in cogitatione & in prolatu, & illam εὐθυμηματικὸν hanc προφορικὸν λόγον dici. Adelph. Act. 1. Sc. 1 non possum probare. Nam & Diomedis notatio, quâ vocem, λόγον *oratio* bifariam affecit, opinioni Donati repugnat, siue ab etymo oris, siue ab ὁμιλεῖν *a confabulando* dicatur, vt Ode 31. lib. 1. notatum fuit. Donatus deceptus fuit ambiguitate vocis τοῦ λόγος, quæ modò est mentis, modò est oris. id est, sermonis & loquutionis, sicut distinximus in præfatione huius operis.

Cur distringere.] Sic Od. l. 3. *districtus ensis, cui super impia cervice pendet.* Sic Orator, *Quid districtus tuus in acie Pharsalica gladius agebat?*

Vt pereat.] Exple ellipsin, O Iupiter precor te, vt ensis nigræ rubiginis morsu exedatur. Potest etiam explicari per optationem sine supplemento: Vtinam pereat telum! de qua voce vide Oden nonam libri quarti.

Qui me commôrit.] ὃς ἐμὲ παραζιλώσῃ καὶ παροργήσῃ

Tangere, &c.] Id est, clarâ voce illi denuncio, meliùs cum ipso actum iri, si me non vexet contumeliis, & probris figat.

Insignis cantabitur.] Quod Græci dicũt etiam absolutè, Aristophanes in Pluto, κλαύσει καὶ οἰμώξει, *flebit, nec impunè nocebit.* Feret cum lamentatione infortunium. Ita dignis modis ille celebrabitur Romæ, qui me provocauerit, vt fabula futurus sit populo, & vehementer eum pœniteat facti. Gallicè, *il sera bien remarqué & noté par toute la ville.* Epodi sexti non minùs sunt plenitumidarum minarum, quas iactauit in Cassium Seuerum Poetam maledicentissimum, quàm hic locus. Tales sunt minæ Chremetis Act. 5. Sc. 1. Heaut.

——*egóne? si viuo, adeò exornatum dabo,*
Adeò depexum, vsq; vt dũ viuat, meminerit semper mei. Gallicè, *Ie l'accoustrerai & le pignerai si bien, qu'il lui souuiendra de moi, tant qu'il viura.*

Seruius.] Hic fuit acer inquisitor vel accusator. Cruquius contendit scribendum esse Ceruius: & e 7. Verr. Ciceronis P. Ceruium dicit iudicem reiectum. Fiet quoque mentio eiusdem Ceruij Vicini Sat. 6. sequenti.

Vrnam.] De vrna dictum est Od. 3. l. 2.

Canidia.] De Canidia dictum est Epodis tertijs, & quintis, & decimis septimis.

Albuti.] Ellipsis est vocis communis *filia*, vt v, 35. l. 6. Aen. *Deiphobe Glauci, fubandi*, inquit Seruius, *filia: & est proprium nomen Sibyllæ.*

Vt quo quisq;. Id est, quâ re, & quibus quisque artibus est instructus, ijs suos inimicos & simultatis nomine suspectos exanimat.

Vtq; imperet.] Hic *vt* posterius modum designat, sicut prius finem. Hæc autem videntur sumta ex poemate admonitionum Phocylidis:

Οπλον ἐπάστῳ νεῖμε Θεὸς· φύσιν ἱερόφοιτον
Ορνισι μὲν πολλὴν ταχύτητ', ἀλκὴν τε λέοντι,
Ταύροις δ' αὐτοχύτοις κεράεσιν, κέντρα μελίσσαις
Εμφυτον ἀλκαῖ ἔδωκε. λόγος δ' ἔρυμ' ἀνθρώποισι.
Armaturam cuiq; tribuit Deus: naturam aeriuagam
Auibus & quidem multam celeritatem: robur leonibus,
Tauris naturalia cornua: aculeos apibus pro tutamine dedit.
Ratio autem est propugnaculum hominum.

Hic tamen Poeta non a natura, sed a Deo ipso huius auctoritatis præsidis dari hominibus sanctius & veriùs sensit. Noster autem Horatius ignarus corruptæ originis humanæ contrà sic loquitur, ea quidem licere, quæ instinctu & impulsu naturæ fiant;

qualis instinctus, & maximè, qui ad vindictam & vitia impellit, Christianis damnandus & fugiendus est. Quomodo autem, inquit, natura sollicitet & impellat homines ad peccata peccatis, iniurias iniuriis, offensas offensis vindicandum, mecum ex his exemplis perpende & iudica.

Cornu petit.] *περαστικός ἐστιν ἢ πεπατίζει.* Sic Virg. loquitur in Palæmone de tauro:

Qui cornu petat, & pedibus qui spargat arenam.

Item Plinius lib. 8. cap. 45. sic tauros describit: *Tauris*, inquit, *in aspectu generositas, toruâ fronte, auribus setosis, cornibus in procinctu dimicationem poscentibus, sed tota comminatio in prioribus pedibus stat. Irâ gliscente alternos replicant, spargunteq; in altum arenam, & soli animantium eo stimulo ardescunt*: quem locum, vt opus reliquũ auctoris, Antonius Pinetus operâ & sumtu pij viri Cl. Sennetonis Lugdunensis Gallicum fecit: cuius hæc est interpretatio: *Les toreaux ont le regard, frer & braue, car ils regardẽt tousiours de trauers on les aureilles fort chargees depoilt, & les cornes en deuant tousiours disposées a combattre: quand ils menacent, ils se donnent a entendre par les pieds de deuant. Mais s'ils s'en flandauantage, ils trepiginent maintenant d'vng pied de deuant & maintenant de l'autre, & font voller la poudre enlair, & sont seuls entre les animaux qui s'enflamme ten ceste sorte.* Ex hac tamen interpretatione perspicio vtrîque correcta exemplaria defuisse: De lupo idem auctor eiusdem libri cap. 22. *in Italia creditur luporum visus esse noxius: vocemq; homini quem priores contemplentur, adimere ad præsens. Inertes hos paruosq; Africa & Aegyptus gignunt, asperos, truces q; frigidior plaga.* Potest item huc proferri locus Plutarchi e libello *περὶ τύχης*, vbi ostendit ex Empedocle naturâ plus bestijs, quàm hominibus fauisse: ideoque homines illarum robore abvsos aduersus alios in bello, Lucret. l. 5.

Vnde, nisi intus.] Id est, ab instinctu interiori naturæ monstratam: quod Græcè dicitur: *ἐὰν μὴ δύναμις φύσεως ἀμυντικὴ, ἢ περὶ τοὺς ὑποτοὺς ταῦτα ζῶα παροξυνεῖ, ὡς ἐπὶ τοὺς πολεμίους, nisi vis naturalis & ad iniuriam suspectorum propulsandam instructa incitaret illa animalia tanquam aduersus hostes.*

Scæua.] Hic Scæua parricida videtur conuenienter sortitus suo sceleri cognomen. E definitione Festi, scæua res dicitur mala, quasi sinistra, iuxta Græcum σκαῖον, sinistrum.

Cicuta.] Hæc herba Græcè dicitur *κώνειον παρὰ τὸ κωνοῦσθαι*, verbum priscum pro *στρέφειν, διὰ τὸν γινόμενον ἐπιλιγμὸν διὰ τὸν τοῖς πίνουσι, quia bibentibus inducit vertiginem & delirium*: ideoque fit ex eo *τὸ πῶμα βλαβερὸν, θανάσιμον διὰ δηλητήριον, potio noxia, lethalis, perniciosa*, quæ refrigerat, atque adeò exstinguit calorem animalis, & hoc ferit frigore, vt noster Poeta loquitur, id est, enecat, & interficit: eam ob rem *κατάψυξις* etiam dicitur Dioscorid. lib. 4. cap. 77. præter alia eiusdem nomina ibidem commemorata: quæ quidem appellatio congruit cum descriptione huius auctoris: *ἔστι δὲ τὸ κώνειον τῶν φαρμακῶν κατὰ ψύξιν ἀναιρῶν*. i. *Cicuta est de numero venenorum lethalium frigore tollens e medio ipsius potorem*: de hac herba iam dictum fuit Epod. 3. Huc tamẽ addam problema *πδ* sectionis *γ.* ex Aristotele, quod ad intelligendam vim cicutæ plurimum valet, cuius est interpretatio, Cicuta quidẽ sensim frigiditate suâ exstinguit calorem, & indurat humorem: vinum autem caliditate suâ macerat vel marcidum & languescentem reddit naturalem calorem. Quemadmodum à nimio igne atq; sole ignis exiguus exstinguitur: sic intimus corporis calor à vini calore, *si nimius est, exstinguitur*: vnde credita est publica Athenienſium pœna. vt scribit Plin. l. 25. c. 13. *Cicuta quoq; venenum est, publicâ Athenienſium pœnâ inuisa: semen habet noxium, Semini & foliis refrigeratoria vis: quæ si enecat, incipiunt algere ab extremitatibus corporis. In vino pota, irremediabilis existimatur. Semine trito expressus succus, & sole densatus in pastillos, necat sanguinem exspuissando. Et ideo sic necatorum maculæ in corporibus apparent*: Eâ Socrates interijsse dicitur: de quo vide extremum Phædonis & Satyram 4. Persij.

——Barbatum hoc crede magistrum
Dicere, sorbitio tollit quem dira cicutæ.

de qua sic etiam Seneca in disputatione de prouidentia cap. 3. *Malè tractatum Socratem indicas, quòd illam potionem publicè mixtam non aliter, quam medicamentum immortalitatis obduxit, & de morte disputauit vsque ad ipsam. Malè cum illo actum est, quòd gelatus sanguis est, ac paulatim frigore inducto venarum vigor constitit*, id est, pulsus arteriarum exstincto calore finem fecit motus atque vitæ.

Vitalis.] Puto hîc *vitalis* sumendum esse, vt apud Plin. l. 7. c. 5. *nunquam vitalis est homo ante septimum mensem.* Explico igitur, metuo, ne diu fruaris istius vitæ vsurâ, vno verbo Græco dicitur *ἀβίωτος*, vel duobus, *μὴ πολυχρόνιος, ἢ μακροβιοτῆς.* Grammatici autem obseruârunt *τὸ νὴ*, subiectum verbis metus, habere tacitam negationem, vt apud Terentium And. Act. 2. Sc. 4. ver. 22. *Dies mihi vt sit satis, vereor, ad agendum*, pro, vereor, vt dies non sit mihi satis ad agendum. Sic apud Cæsarem in Comment. *vt satis commodè supportari posset, timere dicebant*, pro, vt non satis: ita hoc loco, metuo, ne non diu in vita permaneas. Eiuscemodi sunt Cic. phrases epist. 19. lib. 12. *non dubitabam, quin meas literas libenter lecturus esses: verebar, vt redderentur*: hic *τὸ vereor, vt*, præ se fert dubitationem. Suspicabatur enim fore, vt literæ non redderentur, quas reddi cupiebat. Item epist. 14. l. 14. *Sin homo amens diripiendam vrbem daturus est: vereor, vt Dolabella ipse satis vobis prodesse possit.* Cic. cupiebat suos Romæ tutò esse operâ Dolabellę sub aduentu Cęsaris post vrbem a Pompeio & consulibus relictam, sed incertus timebat, vtrũ eos, nec ne, Dolobella seruare posset: breuior est phrasis Tusc. 2. *veremur, vt natura patiatur*, pro, ne non posit, &, ne non patiatur.

Maiorum amicus.] Intelligit aliquem, qui valeat gratiâ apud diuites & potentes ab Horatio carmine notatos. *Τὸ amicus* dicitur ab animi æqualitate quasi animæquus, quum duo pari se diligunt affectione, quam Grę-cè dicas *ὁμοθυμίαν*. Hæc æqualitas animorũ iuxta etymologiã & syntesin vocis *amicus* potest firmari ex Aristotele l. 8. c. 5. adfinem de moribus ad Nicomachum, *διὰ φιλοῦντες τὸν φίλον, τὸ αὐτοῖς ἀγαθὸν φιλοῦσιν· ὁ γὰρ ἀγαθὸς, φίλος γενόμενος, ἀγαθὸν γίνεται ᾧ φίλος. ἑκάτερος δὴ φιλεῖ τὸ αὐτῷ ἀγαθὸν, καὶ τὸ ἴσον αὐταποδίδωσι τῇ βουλήσει, ἢ τῷ ἡδεῖ. λέγεται δὲ φίλοτης, ἢ ἰσότης, μάλιστα διὰ τὴν τῶν ἀγαθῶν ταῦτα ὑπάρχει. Qui amicum amant, quod ipsis bonũ est, amant. Vir enim bonus factus amicus, illi est bono, cui amicus est. Vterque igitur & amat quod sibi bonum est, & par æqualeq; vicissim reddit iucundè ac libenter. Siquidẽ amicitia dicitur æqualitas. Itaq; hæc sunt amicorũ maximè.* Huc accedat, quod Plut. initio libel. *περὶ πολυφιλίας* scribit *τὸ ἑταῖρος* dici quasi, *τὸ ἕτερος*, tanquam alter idem, vt Lælius interpretatur dialogo de amicitia: quod est explicandum, vt illud 7. in in Verrem. *alter Verres luxuriâ & nequitia.* i. similis Verri talibus vitiis, vt Seruius explicat illud Æneid. 6. de amore Sichæi & Didonis:

——coniux vbi pristinus illi
Respondet curis, æquatq; Sichæus amorem.

Cederet.] Pro incederet palàm *ἀφαρπτικῶς*, vt illud Virgilij Eclog 9. *Omnia fert ætas animum quoque*, pro aufert.

Ducere nomen.] Sic Cicero in Acad. loquitur, nomen ducere

ducere ex aliqua re, verùm sæpius deportare cognomen sapientis Athenis, trahere & sumere.

Ingenio offensi.] Hîc ellipsis est sic supplenda, num hi duo Lælius & Scipio fuerunt offensi carmine Lucilli;

Lupo cooperto.] Id est, num illi duo doluerunt Metelli & Lupi Rutilii caussâ, quod eos viderent probrosis Lucillij versibus & ignominiosis læsos. Cicero 11. lib. de Nat. Deorum ponit hunc Lupum inter sacrilegos, impios & periuros. Hunc quoque Lupum & Mutium Albutium persequutus est Lucillius suis Satyris, vt memorat Persius Satyr. 1.

----Secuit Lucillius Vrbem,
Te Lupi, te Muti & genuinum fregit Iulis.

id est, Æneadis & Romulidis e castigatiõe Iani Douzæ: qua de re lege Cic, initiò l. 1. de finib. malorum & bonorum.

Primores] Id est, imò verò Lucillius suis scriptis, tam principes, quàm plebẽ vrbanam: tam summos, quàm infimos exagitauit & notauit. (Sic dicet Sat. 3. posteà, *Nomentanum arripe mecum*) & virtuti & ipsius studiosis solùm pepercit. Seruius in v. 309. Aeneidos 9. *Primorum manu ad portam.* etymologiam τõ *primores* explicat, & Nonius sic appellat summas quasque res: Ideoque Plautus eosdem dicit *summates*: Græci τοὺς ἀρίστους, vt Latini etiam *optimates.*

Arripuit.] Hîc valet maledictis vexauit & acerbè insectatus est.

Populumq; tributim.] Ex hoc quidem loco multi intelligũt tot Satyras a Lucillio scriptas fuisse, quot tribus fuerant Romæ. Triginta quinque autem fuisse historici Græci & Latini narrant: sed quod Carisius numerat tres & quadraginta Satyrarũ libros, mendoso codici tribuendum est: quas tribus nominatim Alex. ab Alexãdro sic recenset: Romiliam seu Quirinalem, Titiam seu Titiensem, Suburranam, Palatinã, Esquilinam, Collinã, Claudiã, Lemoniã, Pontiã, Crustuminiam, Scaptiã, Stellatinã, Sabatinã, Tormentinã, Armensem seu Narniensem, Pollíam, Papyriam, Pupiniam, Pupillam, Metiam, Phalerinam, Ophentinam, Volsciniam, Terentinam, Fauciam, Mentinam, Galeriam, Pomtinam, Publiciam, Anthesin, Velinam, Aniensem, Æmyliam, Sergiam, Corneliam, Veturiam: sed possunt eiusdem tribus varia esse nomina, vnde plures, quam 35. putantur, sicut præsens catalogus est 36. De populo in tribus diuiso lege 1. Liuii librũ. Hîc autem siue legas tributum, siue tributim, sensus manebit iam expressus, quem Galli rectè sic reddunt, *Ils' est attacqué aussi bien aux grands, qu' aux petits, respectant seulement les vertueux.*

In secreta.] Id est in tecta, semotas domus partes & intra parietes.

Remôrant.] Syncope pro remouerant, & se subduxerant ab aspectu populi.

Discincti.] Hæc dicuntur per anomaliam generis & numeri & casus propter tropum, quem mox ostendemus in Rhetoricis. *Discincti* autem accipiendum est propriè, pro, comparati ad animi relaxationem exercitationemque corporis: vbi est ellipsis, pro discincti & soliti erant ludere.

Olus.] Qui fuerat olim apparatus & frugalis victus hominum tenuiorum, vt dictum est in Gramm. Sat. 6. sicut & de *lachano* voce Græca.

Fragili quærens.] Ellipsis est substantiui, *corpori*, id est, dum putant dente corpus fragile comminuere, incurrit in corpus solidum & durum.

Equidem possum.] Seruius τὸ *equidem* annotat semper valere, *ego quidem*, vt hîc & Sat. 5. sequente: sed τὸ *quidem* apud Persium cum personis tantùm secundis iungi: sed apud alios & Poetas & Oratores reperiri, *ille quidem*, vt *tu quidem.*

Negoti] Apocope est alterius i. Hîc τὸ *negotium* non simpliciter pro rebus, sed pro re difficili & molesta sumitur, idque præcipuè cum verbis facessere ac exhibere, vt hîc excutere. Cicero. in Verrem; *Quum audissent ei negotium facessitum*, & lib. 10. Epist. 10. *Quum est ad nos allatum de temeritate eorum, qui tibi negotium facessit:* & alia passim id genus: pro quo Græci dicunt παρέχειν ἔργον, λιὰ πράγματα, vt μή τις ἀπειρία νόμων σοι παρέχῃ πράγματα.

Nil deffindere.] Videtur hoc verbum adsignificare alterum proximè antecedens, dissentire a te & propositum velut dispertire, vt tu partem vnam, ego alteram diutiùs tueamur, vt in Dialecticis interpretatus sum, licet alij dicant esse verbum iuris pro differre disceptationem caussæ in alium diem, vel reijcere vel comperendinare, aliquot dies prodere, vt Terentius loquitur And. Act. 2. Sc. 1. Idem *proferre dies.*

Sanctarum legum.] Dicuntur leges sanctæ, quia hoc sanciunt, hoc volunt, hoc spectant, vt incolumis sit vita & coniunctio ciuium omnium, quod firmatur sanguine victimæ: vnde τὸ *sanctus* dicitur.

Condiderit.] Penthemimeris extendit hîc breuem syllabam.

Ius est.] Id est, licet in iudicium vocare talem maleficum. Meminit huius legis Suetonius in Octauio cap. 55. *Contra sparsos in curia famosos libellos. Cognoscendum est*, inquit, *posthac de iis, qui libellos & carmina ad infamiam cuiuspiam suo alienóue nomine edant: etiamsi prodirent in publicum ἀδεσπότως, dum tandem auctor agnosceretur.* Idem 12. tabulæ vetabant, ne quod condere carmen liceret ad alterius iniuriam, Tuscul. 4. Ideoque Terentius in prologis defensoriis suarum Comœdiarũ nunquam Læuinum aut Lycium senem suos aduersarios compellat nominatim, sed periphrasticõs tantùm.

Sed bona si quis.] Perturbata est syntaxis, quam sic ordines: sed si quis condiderit bona carmina, laudatur Cæsare iudice.

Latrauerit.] Videtur etiam ἀφαιρετικῶς dictum pro *allatrauerit.*

Integer ipse.] Supple, vitæ integer, sceleris purus ac vitiis incontaminatus.

Explicatio Rhetorica.

TOta hæc Satyra versatur in dialogismo interrogantis Poetæ & respondentis Trebatij.

a Hoc sumtum est a sapore & gustu mordaci, vt propriè dicet 3. Sat. sequenti *acetum acre*, vt Græcũ τὸ ἀρτὶ μὺ pro aspero & vehementi, vt Cic. in Hortensio dicit, *aut Philippo breuius, aut Theopompo acrius.*

b Videtur allegoria e metaphoris a sagittarijs, qua scopo semper aberrantes, modò citra hunc, modò vltra emittunt sagittas, neruis prauè & nimium vel adductis vel remissis, aut vi lacertorũ nunc magis, nunc minùs ad rationem tractus intentâ. quos imitari a multis existimatur Poeta, quum in vitijs hominum notandis nunquam potest modum criminationis tenere, interdum declinans, quorundam iudicio ad ellipsin, interdum, aliorum opinione, ad hyperbolen. Non ineptè tamen quadraret allegoria, si diceretur petita a citharœdis, malè fides pulsantibus, vt in Ep. ad Pisones scribitur:

——& citharœdus
Ridetur, chordâ qui semper oberrat eâdem.

c Videtur ſumendum per ſynecdochen generis pro carmine Satyrico, modò nimis acri quibuſdam, modò nimis leni aliis. Quid verò, ſi propriè quis velit hoc, *vltra legem tendere opus*, intelligere de poeſi immodicè ac nimis ad criminationes extenſa & producta, & Poetam in illis nimium & immoderatũ eſſe? Malo equidem verba agnoſcere modificata, vt *fine neruis* translationem vel ex eo notam Eunu. Act. 2. Sc. 3. *Siue adeò digna res eſt. vbi tu neruos intendas tuos*, pro, ſine vi, energia, pondere & robore.

d Metaphora eſt a lanificis, qui dum tenuant lanam vel linum, in filum deducere dicũtur, quomodo ſumſit propriè Ouid. 4. Metam.

E quibus vna leui deduces pollice filum.

ſed Virgil. in Sileno tropicõs.

Cynthius admonuit deductum dicere carmen.

vbi Macrobius l. 6. ſcribit, *poſitum eleganter pro ſubtili & tenui carmine*: & Quintilianus lib. 8. cap. 6. dicit, *nihil poſſe inveniri ſignificantius hoc*, pro, *nullo ferè negotio effundere & ex tempore dictare*. Ideoque malè factos & illaboratos eſſe. Epiſt. tamen. 1. l. 2. dicet, *tenui deducta poemata filo*, pro, accuratè, cogitateque ſcriptis.

e Hæc Satyra hinc cognoſcitur eſſe dialogiſmus interrogantis Poetæ, & Trebatii reſpondentis per alternos ſermones, qualem Donatus in And. Act. 1. Sc. 1. verſ. 1. annotauit: *Quid igitur faciam?* Eſt, ait, dialogiſmus perditæ mentis (ſed hîc fictæ) poſt multam fruſtrà cogitationem διὰ τῆς ἀπορίας alterũ interrogantis.

f Exclamatio eſt Poetæ ſibi imprecantis & obteſtantis: qualis fuit Epod. 12.

——Pereat malè, quæ te
Lesbia quærenti taurum monſtrauit inertem.

g Synecdoche generis pro Auguſto.

h Metonymia effecti, pro incutientia horrorem ſpectantibus.

i Epanorthoſis eſt Trebatii.

k Metonymia ſubiecti p iuſtitia & fortitudine Auguſti, quas virtutes facilè Horatius ſcribere poterat.

l Metaphora eſt ab auſpicibus, qui proſpera, commoda, læta & opportuna prædicebant fore e dextro auium volatu, & innoxium fulgur ex eadem parte vibratum, vt iam dictum eſt Sat. 9. lib. 1. Hic autem tropus videtur illud, quum res ipſa feret, explicare, de idoneo tempore ſcribendi laudes Cæſaris, vt Epiſt. 1. lib. 2. conſtat eſſe factum. Attamen augures quum auium volatum obſeruarent, Meridiem ſpectabant, & tum ad ſiniſtram habebant Orientem, quem verſus volantes aues faciebant ratum: vnde videtur hoc alivnde ſumtum. Audio tamen dextera omnia in bonis poni a Pythagoricis, vt læua pro malis.

m Allegoria eſt ab equiſonibus, qui equis applaudunt & blandiuntur popiſmis, vel cum labiorũ compreſſione ſibilant acutè: vel leni manus tractatione illos demulcent, quò faciliùs illos vel ephippio ſternãt: vel ori fræna inſerant: vel pedibus ſoleas inducant: vel denique in eos inſiliant: quod niſi dextrè fecerint, calcitrare ſolent ſternaces, quales ſolent eſſe maximè ἵπποι θέρμοι καὶ δυσκάθεκτοι τὸν ἐφιππάτην ἀπορρίπτοντες, *equi feruentes & retentu difficiles & ſeſſorem deiicientes*: adverſus quales caſus ſolet prudens equiſo eſſe comparatus, quemadmodum Auguſt⁹ contra ineptias ſe laudantium. Hanc troporum continuationem malo inde ſumere, quàm aut a bobus contra ſtimulum calcitrantibns, aut a pullis equarum lacte ſatiatis: quamvis Aelianus l. 4. Variæ hiſt. ſcripſerit: Ῥῶλος ὅταν κορεσθῇ τῆς μητρῴας γάλακτος λακτίζει τὴν μητέρα.

n Ego his duobus ſignificari cenſeo quoslibet ſcurras, paraſitos & homines perditos & diſſolutos per ſynecdochen ſpeciei pro genere: quod vt ita cenſeam adducor præcedentibus notis, quib. iam aſperſus eſt vterque a Poeta,

o Quidam putant ſumtum ab auibus, quæ ponunt oua & diuturno calefactu inde excludunt pullos, ad enixum & partum Ledæ indicandum: eſtque ſynecdochica periphraſis Pollucis: quem tamen Virg. fingit domitorem equorum, non pugilem l. 3. Georg.

Talis Amyclæi domitus Pollucis habenis
Cyllarus.

De vtroque vide Gramm. Odes. 3. l. 1.

p Synecdoche membri p integro, & vnâ ἐπιφώνημα, pro quo Terentius propriè dicit: *quod homines, tot ſententiæ & ſtudia: ſuus cuique mos*. Ita *venter* vſurpatur a Lucillio in ſecundo, vt Donatus citauit in Phorm. Act. 5. Sc. 8.

Viuite lurcones, comedones, viuite ventres.

q Synecdochica eſt periphraſis verſuum Satyricorum: quia inciſis, membris & periodis numeroſis orationis ſolutæ ſua & certa etiam eſt pedum dimenſio & maximè in clauſulis talium ſententiarum.

r Similis tropus pro Lucillio ſene.

ſ Synecdoche finiti, & generis pro Apuli & Lucani facreent incurſionem in agros Romanorum.

t Metonymia eſt ſubiecti pro incolis Lucanis.

u Metaphora eſt, quâ datur ſenſus & motus rei inanimæ, quæ per ſe nec poteſt ferire, nec defendere, atque adeò metonymia inſtrumenti pro Satyra eo ſcripta, quæ niſi laceſſita, neminem lædet.

x Exclamatio eſt precantis & optantis exitium volenti lædere cæteros: & ſimul apoſtrophe ad Iouem: auerſus eſt enim ſermo a Trebatio ad hunc.

y Translatum eſt a corpore ad famam & exiſtimationem Poetæ inquinandam: qualis fuit tropus modò in *quanquam eſt intactus*: quo vſus eſt Terentius Act. 3. Sc. 1. v. 50. Eun. *Quo pacto Rhodium tetigerim in conuiuio*: quem ſic Donatus explicat: *luſerim* (p quo legendum puto, *laſerim*) *fatigauerim, commouerim: nam tangere cùm multa, tum etiam hoc ſignificat.*

z Ironia quædam eſt pro infami & ignominioſo: ſed aliter ſonat Od. 1. l. 3.

Aequâ lege neceſſitas
Sortitur inſignes & imos,

id eſt, claros & deiectos & obſcuros æqualiter, pariterque mors accipit.

aa Alia eſt ſynecdoche generis pro Roma.

bb In *leges & vrnam minitatur* eſt metonymia ſubiecti pro, Seruius minitatur maledicis ſcriptorib. pœnas legibus & ſortibus conſtitutas.

cc Metaphora eſt a corpore ad animum: quomodo Cicero dicit 3. de finibus: *atq; ita cõditione & ratione collegit*, id eſt, iudicauit. Propriè enim Virg. *Collige virgo roſas & carpe*. Sed hîc verbum eſt Dialecticum pro, bene ponderatâ vi argumentorum iudica mecum: quomodo loquetur Epiſt. 1. l. 1.

Hic error tamen, & leuis hæc inſania, quantas
Virtutes habeat, ſic collige.

eodem vſus eſt verbo Cicero epiſtola 2. lib. 5. ad famil. Q. Metellum, *poſtea verò quam profectus es, velim, recordere, quæ ego de te in ſenatu egerim: quæ in concione dixerim: quas ad te literas miſerim: quæ quum omnia collegeris, tu ipſe velim, iudices, ſatisne videatur his omnibus rebus tuus aduentus, quum proximè Romam veniſti, mutuò reſpondiſſe*. Hîc videtur magis propriè ſumtum ex additione arithmetica pro ſupputaueris. Eſt quoque alius cuiuſdam modi hæc translatio epiſtolâ 10. lib. 3. ad famil. Appium pulc. *Etſi grauiter primo nuntio commotus ſum, quòd nihil tam præter opinionem meam accidere potuit: tamen vt me collegi,*

collegi, cætera mihi facillima videbantur, &c. hic vides colligere & commoueri sibi aduersari & ad animum & rationem prius referri. Cicero Tuscul. 4. enucleat immutationem prioris: vnde cognoscitur illa posterioris. *Colligere se nihil aliud est, nisi dispatas animi partes rursum in suum locum cogere.* Itaque colligere se, valet idem, quod animum colligere & confirmare. Gallicè, *reuenir a soy & se resoudre apres auoer disconru parci, parla auec emotion d'esprit.*

dd Permissio est quædam cum synecdoche, pro quiuis credat & committat Scæuæ matrem: quod Galli rectè enunciant: *quòn baille en garde pour voer à Scæua sa metre.*

ee Hunc tropum & eius rationem explicauimus Epod. 1. pro homine perdito & deplorato, quem Græci vocant ἄσωτον ἢ ἀπόλωτον, ἄχρειον, μιαρόν.

ff Ironia est, quâ significatur eius impietas, qui clandestino & insidioso mortis genere interfecit parentem. Sic dicimus ridiculè hominem non esse tauri dentibus laceratum, quem scimus cornibus vncis illius euisceratum.

gg Idem tropus, quem quidam nomine τῆς ἀντιφράσεως notauit, quum nemo miretur quenquam ferro non vti ad necem, qui potest illam aliis modis alteri maturare: sed fortassè respicit hac ioculari simulatione ad veriloquium τῦ Scæua sic dicti, quòd læuâ manu vteretur, quum Græci dicunt σκαιὰν χεῖρα τὴν ἐπὶ μητέρα ἐπτείνεσθαι δυναμένην, cessante dexterâ.

hh Metaph. est ab auibus ad subitam & insperatam mortis festinationem indicandam: qualis est Od. 17. l. 2. *Volucris fati tardauit alas.*

ii A pictoribus nota est metaphora pro genere, conditione, forma & statu vitæ, quâ Tullius vtitur lib. 4. Epist. 85. ad Attic. *Amisimus colorem & speciem pristinam ciuitatis.* Sic *color imperii* dicitur Lucani lib. 9.

kk Synecdoche est generis pro Horatio adolescentulo.

ll Meton. est adiunctæ qualitatis perniciosæ pro subiecta cicuta vel lurido aconito: id est, necet & tollat frigido aliquo veneno: Qui hîc constituunt μείωσιν, non attenderunt ad hunc tropum. Sed de Meiosi vel Liptote dictum est Ode 1. lib. 1. Simili tropo Persius Sat. 1. vsus est: *ne maiorum tibi fortè lumina frigescant.* Hic tamen tropus non semper ad necem refertur, sed ad alios etiam casus hac leuiores, Terentius in Eunucho, *nimirum hîc homines frigent.* Gallicè, *Il' ne font pasne leur profit.* Seneca epist. 122. *Recitabat Montanus Iulius carmen, tolerabilis poeta, & amicitiâ Tiberii notus & frigore,* id est, qui prius erat charus Cæsari, sed pòst contemtus & inuisus. Cic. 4. in Verrem, *Quum omnia iudicia frigerent admonitu istius.* His opponitur illud Æneidos primæ, *feruet opus,* quod Seruius interpretatur, *quum celebratur, contrà friget, quum cessat, dicimus,* citans locum Terentii superiorem. Illud autem *celebratur,* sonat, quũ homines operi instant, vt *friget,* quum idem remittunt.

mm Alleg. est à laniis & exstispicibus, qui ex detractis pellibus, tanquam inuolucris ac velamentis, euisceratisque animalibus perspiciebant, quid boni, quidue mali inesset hominis. Sic Lucillius mores hominum notabat, vt, qui extrinsecus apparebant probi & sinceri, lectis ipsius Satyris, perspicerentur scelerati & impuri.

nn Metonymia est subiecti in *quisq,* pro fama cuiusque, nitidâ specie probitatis ornati, emanaret & incederet per Vrbem in oculis & conspectu omnium ciuium.

oo Synecdochica est periphrasis P. Cor. Scipionis Aemiliani.

pp Ab integumentis translatum est ad animi statum & habitum. Sic Tullius 3. Verr. *Qui istum tot, tantis, tam nefariis sceleribus coopertum suâ sententiâ liberauit.* Sic cooperiri miseriis etiam dicitur.

qq Alleg. è continuata metonymia adiunctorum pro his subiectis, id est, vbi fortis Scipio & sapiens Lælius subduxerant se à vulgo & conuentu hominum intra parietes, soliti erant nugari & discincti ludere cum Lucilio. Sic Buchananus loquutus est in metrica paraphrasi Psal. 18.

Hos ego, ceu versat Boreæ violentia nubem.
Idẽ 1. *Non coràm impiorum mœstos attollere vultus:*
Nec miseræ audebit stultè se adiungere turbæ.

pro impii non audebunt. Est autem peruulgatum & omnium linguarum commune hoc tropici sermonis genus: reperitur quidem præcipuè apud poeticè scribẽtes, sed apud oratores paulò rarius: vulgus Grammaticorum illud vocat periphrasticum dicendi genus; quale dicunt etiam βίον Ἡρακλέους καὶ Πριάμου βίον pro *Hercules* & *Priamus.* Illic Dauid Rex & Propheta quum voluit nobis describere virum summè felicem, Hebraicè dixit. *Beatitudines illius viri sunt*: qui sese a uitiis purum & integrum seruat, præceptisq; legum diuinarum studiosè paret, & in earum meditatione dies noctesque consumit ad percipiendum, quid illis iubeatur faciendum, quid contrà, phibeatur: qd' 70. interpretes Græcè reddiderunt & propriè, μακάριος ἀνὴρ. In *scena* si quid est modificatum, puto synecdochen esse specialis nominis pro generali & quouis cœtu & loco frequenti.

rr Idem est tropus, sed simplex, pro, inuidi homines fatebuntur suis etiam ingratiis, cum summis viris mihi intercessisse familiaritatem & conuictum.

ss Alia est allegoria è continuatis metaphoris fortassè à canibus & aliis bestiis, quæ quum mollibus suris & aliis corporis partibus parant dentem illidere, durum ferrum vel lignum sæpiùs obiectum mordent. Ita inuidi, quum me maledictis lacerare & mordere student, grauiùs illos remordere soleo. Simili allegoriâ Græci talem casum efferunt: ξυρὰς εἰς ἀκόνλω ἔπεσε, *nouacula in cotem decidit,* & retusa est, quæ si in quid molle decidisset, hoc dissecuisset: sic qui vult alium offendere, sæpiùs ab eo offenditur.

tt Posset hoc etiam εἰρωνικῶς intelligi, vt rectè sentit Cruquius. Alii tamen ad modestiam Poetæ malunt referri.

uu Concessio est, vbi lex ista, tanquam argumentum aliquod condonatur & admittitur.

xx Nota est metaphora, pro, conuiciis & contumeliis vexauerit & lacerauerit hominem flagitiosum.

yy Metonymia est adiuncti, pro nomophylaces & iudices te libenter absoluent & abire sinent impunè.

SATYRA SECVNDA.

Quòd, quum frugalitas sit moderatrix luxus & sordium; quum etiam ad infinita incommoda singulare remedium, vtiliter expeti & coli debeat.

Qvæ virtus & quanta, a boni, sit viuere paruo,
(2. Nec meus hic sermo est: sed quem præcepit Ofellus
b *Rusticus*, c *abnormis, sapiens, crassáque* d *Minerua)*
3. Discite non inter lances mensásq; nitentes,
e *Quum stupet insanis acies fulgoribus, & quum*
f *Accluuis falsis animus meliora recusat:*
4. Verum hic impransi mecum disquirite. Cur hoc?
Dicam, si potero. 5. Malè verum examinat omnis
Corruptus judex. *6. Leporem* g *sectatus,* h *equóue*
Lassus ab indomito: vel si Romana fatigat
Militia assuetum i *Græcari: seu pila velox*
Molliter austerum studio fallente laborem:
k *Seu te discus agit; pete cædentem aera disco:*
Quum labor l *extuderit fastidia, siccus, inanis*
m *Sperne cibum vilem: nisi* n *Hymettia mella Falerno*
Ne biberis diluta: o foris est promus, & atrum
Defendens pisces p *hyemat mare. Cum sale panis*
q *Latrantem stomachum bene leniet: 7. vnde putas, aut*
Qui partum? non in caro nidore voluptas
Summa, sed in teipso est: tu pulmentaria quære
Sudando. 8. r *pinguem vitiis, albúmq; nec* s *ostrea,*
Nec scarus aut poterit peregrina iuuare Lagois.
9. Vix tamen eripiam, posito pauone, velis quin
Hoc potiùs, quàm gallinâ t *tergere palatum:*
Corruptus vanis rerum: quia væneat auro
Rara v *auis & pictâ pandat spectacula caudâ:*
Tanquam ad rem attineat quicquam: num vesceris istâ,
Quam laudas, x *plumâ: cocto num adest* y *honor idem?*
Carne tamen quamuis distat nihil, hac magis illâ,
Imparibus formis deceptum te patet: z. *10. Esto.*
Vnde datum sentis, lupus hic Tiberinus, an alto
Captus hiet? pontesne inter j*actatus, an* aa *amnis*
Ostia sub Tusci? 11. Laudas insane trilibrem
Mulum in singula quem minuas pulmenta necesse est.
Ducit te species, video. 12. quò pertinet ergo
Proceros odisse lupos: quia scilicet illis
Maiorem natura modum dedit: his breue pondus.
13. bb *Ieiunus raro stomachus vulgaria temnit.*
14. Porrectum in cc *magno magnum spectare catino*
Vellem, ait Harpyiis dd *gula digna rapacibus.* ee *At vos*
Præsentes Austri coquite horum opsonia. 15. ff *quamvis*
Putet aper, Rhombusq; recens, mala copia quando
Aegrum sollicitat stomachum: quum rapula plenus
Atque acidas mauult inulas. 16. Nec dum omnis gg *abacta*
hh *Pauperies epulis* ii *Regum: nam vilibus* kk *ouis,*
Nigrisque est oleis hodie locus: haud ita pridem
Galloni præconis erat acipensere mensa
Infamis. 17. Quid? tum rhombos minùs æquora alebant?
Tutus erat rhombus, tutóq; ciconia nido,
Donec vos auctor docuit ll *Prætorius. 18. Ergo*
Si quis nunc mergos suaues mm *edixerit assos,*
Parebit praui docilis Romana nn *iuuentus.*
19. Sordidus à tenui victu distabit, Ofello
Iudice: nam frustra oo *vitium vitaueris illud,*
Si te aliò prauum detorseris. 20. Audiens,
Cui Canis ex verbo ductum cognomen adhæret,
Quinquennes oleas est, & syluestria corna:
Ac, nisi mutatum, parcit defundere vinum: &
Cuius odorem olei nequeas perferre, (21. licebit
Ille repotia, natales, aliósq; dierum
Festos albatus celebret) cornu ipse bilibri
pp *Caulibus instillat, veteris non parcus aceti.*
22. Quali igitur victu sapiens vtetur? & horum
Virum imitabitur? 23. Hâc qq *vrget luxus, hâc canis, aiunt:*
Mundus erit, qui non offendet sordibus, atq;
In neutram partem cultus miser. 14. Hic neque seruis,
Albutî senis exemplo, dum munia didit,
Sæuus erit nec sic, vt simplex Nævius, vnctam
Conuiuis præbebit aquam rr *vitium hoc quoque magnum est*
25. Accipe nunc, victus tenuis quæ, quantaque secum
Afferat. Inprimis valeas bene. 26. Nam ss *variæ res*
Vt noceant homini, credas, memor illius escæ,
Quæ simplex olim tibi sederit. 27. at tt *simul assis*
Miscueris elixa, simul conchylia turdis,
Dulcia se in bilem vertent, stomachóq; tumultum
Lenta feret pituita: vides, vt pallidus omnis
Cænâ desurgat uu *dubiâ: quin corpus onustum*
Hesternis xx *vitiis animum quoque* yy *prægrauat vnâ*
Atq; affligit humo zz *diuinæ particulam auræ:*
28. Alter, vbi dicto citiùs curata sopori
Membra dedit, vegetus præscripta ad munia surgit.
Hic tamen ad melius poterit transcurrere quondam?
Siue diem festum rediens aduexerit annus:
Seu recreare volet tenuatum corpus vbiq;
Accedent anni & tractari mollius *a *ætas*
Imbecilla volet: 29. Tibi quidnam accedet ad istam,

Quam

Quam puer & validus præſumis mollitiem? ſeu
Dura valetudo inciderit, ſeu tarda ſenectus?
30. Rancidum *b *aprum antiqui laudabant; non quia* *c *naſus*
Illis nullus erat: ſed, credo: hac mente, quod hoſpes
Tardiùs adueniens vitiatum commodiùs, quàm
Integrum edax dominus conſumeret. 31. Hos *d *vtinam inter*
Heroas natum tellus me prima tuliſſet!
32. Das aliquid famæ, quæ carmine gratior aurem
Occupat humanam? 35. *e *grandes rhombi, patinæque*
Grande ferunt vnà cum damno dedecus: adde,
Iratum patruum, vicinos, te tibi iniquum,
Et fruſtra mortis cupidum, quum deèrit egenti
Aes: laquei pretium. 34. *f *Iure, inquis, Traſius iſtis*
Iurgatur verbis: ego vectigalia magna,
Diuitiáſq; habeo tribus amplas Regibus. 35. Ergo
Quod ſuperat non eſt melius, quo inſumere poſſis?
36. Cur eget indignus quicquam te diuite? quare
Templa ruunt antiqua Deûm? cur improbe carę
Non aliquid patriæ tanto emetiris aceruo?
Vni nimirum tibi rectæ ſemper erunt res?
*g *O magnus poſthac inimicis riſus. 37. vterne*
Ad caſus *h *dubios fidet ſibi certius? hic, qui*
Pluribus aſſuêrit mentem corpúſq; ſuperbum?
An, qui contentus paruo, metuenſq; futuri
In pace, vt ſapiens, aptârit idonea bello?
38. *i *Quò magis his credas: puer hunc ego paruus Ofellum*
Integris opibus noui non latiùs vſum,
Quàm nunc acciſis: videas metato in agello
Cum pecore & natis fortem mercede colonum,
39. *k *Non ego, narrantem, temerè edi luce profeſtâ*
10 *Quicquam præter olus fumoſæ cum pede pernæ.*
At, mihi ſeu longum poſt tempus venerat hoſpes,
Siue operum vacuo gratius conuiua per imbrem
Vicinus, benè erat, non piſcibus Vrbe petitis,
Sed pullo atq; hœdo: tum penſilis vua ſecundas
Et nux ornabat menſas cum duplice ficu.
40. Poſt hoc ludus erat cuppâ potare magiſtrâ:
Ac venerata Ceres, vt culmo ſurgeret alto,
*l *Explicuit vino contractæ* *m *ſeria frontis.*
20 *41. Sæuiat, atq; nouos moueat Fortuna tumultus:*
Quantum hinc imminuet? quàtò aut ego parciùs, aut vos
O pueri, nituiſtis, vt huc nouus incola venit?
42. Nam propriè telluris herum natura neq; *n *nillum,*
Nec me, nec quenquam ſtatuit: nos expulit ille,
Illum aut nequities, aut vafri inſcitia iuris,
Poſtremò expellet certè vivacior heres.
Nunc ager Vmbreni ſub nomine, nuper Ofelli
30 *Dictus, erit, nulli proprius: ſed cedet in vſum*
Nunc mihi, nunc alii: quocirca viuite *o *fortes,*
Fortiique aduerſis opponite pectora rebus.

Analyſis Dialectica.

VIdetur mihi hæc Satyra ſic bipartitò diſtribuenda, vt pars thetici prior ad hæc vſque verba:

Accipe nunc, victus tenuis quæ quantáque ſecum
Afferat,

producatur: vbi Poeta initiò partis prioris, quâ oſtenditur frugalitas luxus & ſordium moderatrix, totum hunc ſermonem tribuit cuidam Ofello: ſed quorſum hæc ſermonis translatio ſpectet, non ſatis conſtat, niſi fortè eò, vt equidem credo, quòd 40 nonnulli dicant maiorem ex hac perſona orationi afferri auctoritatem, quæ Stoicæ ſectæ ſtudioſa fuerit, & ſe tam integris, quàm acciſis rebus præſtiterit ſemper frugaliſſimam & integerrimam: nihil tamen obſtat, quòd illa deſcribatur hîc ex adiunctis, ruſticam quandam ſapientiam atque impolitam præ ſe ferentibus: quum ex ipſius doctrina capi poſſit exemplum temperantiæ ſingularis. Differt autem hæc Satyra & argumenti genere & perſonarum conditione ab vltima huius libri. Hic enim 50 ruſticus Ofellus luxurioſos ſtudet ad vitam frugalem à luxu auocare: illic Naſidienus vrbanus ſordidos & auaros ſordibus abſtrahere eódem: vnde facetiæ captantur & ruſticæ & vrbanæ, ſeorſim tamen vtrínque.

1. Eſt hoc quidem argumentum ex efficiente, ſed ad formam diuerſorum tractatur: *Non ſum*, inquit Poeta, *huius doctrinæ, quam nunc vobis tradere paro, auctor & magiſter: ſed Ofellus eſt illius præceptor & doctor ruſticus.*

3. Inuitat ſimulato bonitatis nomine ad hanc morum diciplinam homines luxu & mollitie diffluentes: quibus hoc datur initiò conſilium, *vt ſi velint rectè vim & naturam rei examinare, obriè frugaliter & honeſtè viuant.* Ratio autem inuitationis eſt ex adiuncta intemperantibus hominibus deprauatione mentis & iudicii petita, quæ ſic poteſt concludi & iudicari:

Omnis corruptâ mente iudex verum à falſo malè diiudicat & diſtinguit: homo luxurioſus & voluptarius eſt mente corruptâ: igitur luxui deditus & mollitiei, verum à falſo male diiudicat & diſtinguit.

4. Illuſtratio eſt complexionis è diuerſis: *non qui delicatè, molliter, luxuriosè & intemperanter viuit: ſed qui ſobriè, temperanter & honeſtè vitam parvo ſuſtentat, is bene de vero iudicat, frugalitatis laude & fructu ornatus.*

5. Sententia eſt ſuperioris propoſitionis.

6. Pars proximæ diuiſionis poſterior ſingulari exemplo cuiuſdam labore vehementer fatigati explicatur: quod amplificatur diſtributione exercitationis è ſubiectis in quattuor genera: bina Romanis vſitata: *venationem & equitationem*: totidem Græcis: *pilam & diſcum*: quorum aliquo qui fuerit probè exercitatus, de quolibet cibo & potione optimè iudicabit: atque victum quamuis tenuem & vilem, quolibet ſumtuoſo, exquiſito & delicato exiſtimabit ſuauiorem. Puto hoc conſilium de ratione vitæ ſalubriter traducendæ ſumtum è ſexto epidemicōn Hippocratis, ἄσκησις, ὑγιὴς, χωρὶς τροφῆς, ἀοκνὶν πόνων, *exercitatio proba & vitio carens, ſatietas ciborum, vitanda labores impigrè adeundi*, quo poteſt addi illud Plutarchi lib. 5. συμπος. προβλ. cap. 10. vbi iudicat huiuſmodi conuictores idoneos conciliandis hominum amicitiis, dum explicat hanc parœmiam, φίλος περὶ ἄλας καὶ κύαμον, *amicus*

sale & cymino tenus, τοῦτ' ἐστιν ὅτω συνηθεῖς, ὥστε καὶ πρὸς ἄλα λειπανῶν ἢ κύμινον, hoc est, *adeò familiares*; *vt etiam salem & cyminum cæuent pro omni opsonio*: vbi tamen quum sal dicitur τῶν ἄλλων ὄψων ὄψον εἶναι καὶ ἥδυσμα. *reliquorum opsoniorum esse opsonium & condimentum*, intelligendus sal, ὥσπερ τὸ αἴτιον ἄνευ οὗ μὴ, *tanquam caussa, sine qua non, reliqua opsonia vllum haberent saporem*, ὅλ' ἁπλῶς: ὡς ἐν τοῖς.

7. Scrutatur Poeta ratione talis iudicii veritatem, quam tandem inuenit in subiectione veræ caussæ falsâ remotâ: quæ tamen tractatur more diuersorum. *Suauitas*, inquit, *ista, quam à labore statum, in primo quóque potu, & cibo fortè oblato, non quidem existit ex eorum lauta appositione, vel ex afflatu iucundi nidoris: sed ex seipso bene constituto & affecto ad suauiter vescendum. Itaque hinc illa petenda est, non è condimentis culinarum*: in quibus certè voluptariorum animus & mollium est totus.

8. Locut est ex aduersis: *Homo, qui bene, frugaliter, modestè & tenuiter viuit, semper est probè affectus ad primum quémq; cibum & potum: contrà, qui luxuriosè, intemperanter ac libidinosè vitam egit, cibos, quantumlibet lautos & exquisitos, fastidit*. Depromta videtur hæc sententia è ca. 27. prouerb. vers. 7. *Anima satura calcat fauum: animæ verò famelicæ omne amarum dulce est*, id est, quisquis satur est, suauissimum quémque cibum spernit: famelicus contrà, quem hîc appellat inanem: ὡς βουλιμιῶν, in quemlibet cibum vel amarum rapitur auidissimè. His similiter scribit Seneca de frugalitate veterum Epist. 95. contra luxuriam temporis sui, *Quid alios referam innumerabiles morbos, supplicia luxuriæ? Immunes erant ab istis malis, qui nondum se deliciis soluerent: qui sibi imperabant: sibi ministrabant: corpora opere ac vero labore durabant, aut cursu, defatigati, aut venatu, aut tellure versatâ: Excipiebat illos cibus, qui nisi esurientibus placere poterat. Itaq; nihil opus erat tam magnâ Medicorum supellectile, nec tot ferramentis atq; pyxidibus. Simplex erat è simplici caussa valetudo; multos morbos multa fercula fecerunt*. Vide reliquum paræneseωs ibidem.

9. Quia Poeta præsentit sibi rem esse μετὰ τοῦ φιλόσου, cum homine cupediæ amantissimo, dicit se vix infirmaturum aliâ ratione argumentum illius è loco maiorum, quo mordicus tuetur *carnem pauoniam gallinariæ anteponendam*: efficientibus tamen id videtur tentare: *quòd ille istiusmodi iudicium faciat luxu ac deliciis solutus, magnitudineq; pretii, raritate cibi, pulcritudine plumæ, denique inæqualitate formæ maximè deceptus*: quæ quidem omnia, quæ stupet, ex adiunctis primùm, *quòd non sint edulia, neq; semper pulchra*, refutantur: deinde loco diuersorum: *quòd licet pauo & gallina nihil inter se carne differant; illum tamen, quàm hanc malit sibi apponi*. Iudicent, quibus non torpet, neq; ignauum est palatum, sed eruditum:

Ne gallina (malum) responset dura palato.

10. Διὰ τῆς ἀποπλανήσεως ἢ ἀπορρίψεως sinit aduersarium asotum vagari Poeta, atque desistit ratione aliâ pugnare contra illius opinionem de præstantia carnis pauoniæ, quam illi concedit, quò faciliùs aliis argumentis persequendo posteà conuincat, *non tam subtile ipsius palatum esse, neque tam bene ipsi sapere, cuius subtilitate possit dignoscere, quâ Tiberii parte & loco lupus piscis captus sit*. Hoc tantùm in quæstione versatur sine vlla probatione.

11. Reprehenditur appetitus huius Asoti ex aduersis: *quòd ille res, quæ suapte sunt paruæ, desideret, similiter insano, magnas: quæ contrà suapte naturâ sunt magnæ, exoptet paruas*: prior oppositionis pars leui adiuncto confirmatur: *quòd mulus trilibris laudabili sit aspectu: non enim studio rei magnæ ideò ducimur oportet, quia pòst in frustra sit illa secanda, vt eâ faciliùs fruamur: sed potiùs non est desideranda, quum natura ipsius minimè ferat, vt sit alia*: eadem declaratur adiunctâ delectatione formæ, quæ vitio ipsi asoto vertitur.

12. Eadem appetitio reprehenditur disparatis: *qui amat mulum bilibrem, nil est, quòd magnum lupum fastidiat*.

13. Arbitror superiorem illustrationem syllogisticæ complexionis ad hæc verba: *verùm hic impransi*: hîc repeti, & hunc esse sensum: *intemperans asotus rarò ieiunus fastidit vulgares cibos; nec bene cibi suauitatem exsanat: sed homo sobrius & appetitum exspectans nunquam viles escas & plebeias fastidire solet, & de his optimè solet iudicare*.

14. Quia noster asotus videtur respondere ad obiectam magni muli sectionem, *sibi non tolli desiderium talis piscis labore etiam in infinitum secandi*: eam ob rem Poeta tali cupediæ diram Harpyiarum fœditatem, opsoniisque corruptionem, quæ aduersetur voluptati superiori, imprecatur.

15. Ille suam imprecationem, tanquam hîc minimè necessariam, ic reuocare iocosè videtur è loco diuersorum, vt impurissimum illum helluonem & spurcissimum vehementiùs perstringat: *Quamuis*, inquit, *Harpyiæ non contaminârint lautos asoti cibos, nec pestilentes Austri putefecerint, satis tamen stomacho ipsius crudutate laborantis putent iucundissimi quæque saporis carnes & pisces, qui adeò videntur illis inertes & insipidi, vt suauissimas iucundissimásque dapes posthabeat aliis cibis ingratissimi saporis: qualis est ceparum, allium & similium: quibus quidem extunditur, vt putat crudo stomacho fastidium, & appetentia excitatur: sed hanc præstaret arcessi vel inediâ, vel tenui ac moderatâ victus ratione*. Quamdiu enim cruditas & crapula ægrum stomachum sollicitant & malè habent; acria illa & calida magis homines incitant ad illum nouis cibis infarciendum, quàm ad vtrúmque morbum discutiendum & sanandum.

16. Inuidiam luxus exaggerat iocosè aduersis, quum ad ingluuiem tantam corrigendam viles pauperum cibi hodiè à diuitibus adhibeantur pinguibus mensis, *Fuit in priscis*, inquit, *regibus ac diuitibus singularis & admiranda frugalitas, cuius etiam nunc remanent vestigia in illorum mensis, quæ vilibus epulis instruuntur.*

Paucis autem antè diebus creata est in Vrbe luxuries, & in priuatorum Gallonii & Sempronii Rufi mensis, quas videmus pretiosis & conquisitis cibis exstructas.

17. Argumentatur ex veris efficientibus talis luxus per amotionem falsarum. *Ortum est enim*, ait, *illud malum è corruptis hominum moribus, non ex inopia parabilium & facilium ciborum*.

18. Illa corruptio morum paribus confirmatur, *quòd idem iuuenes ad prauum dociles putabunt sibi licere, quod luxuriosi homines Gallonius & Sempronius ausi sunt contra morem receptum & honestum inducere. Horum enim imitatione insulsâ luxuriosorum iuuenum gula non solùm cibos succi plenos; sed aridos etiam & exsuccos iam consectatur*.

19. Iam frugalitatis ratio præscribitur è disparatis, *vt auaritiâ & effusione vitatis mediocritatẽ sequamur*, quod Ofelli iudicio approbatur. *Hic quoq; tibi cautio adhibenda est, ne, dum luxuriosus noles videri, sordidus turpiter appareas, vel contrà. Itaque victu mediocri & mundo vtere inter præparcum & profusum, inter sordidum & immodicè lautum*.

20. Do-

20. Docuit anteà singularibus exemplis Gallonii & Sempronii in hyperbole mediocritatis peccatum fuisse: nunc docet Auidienum ab eadem deflexisse ad ellipsin in maxima rerum abundantia, idque variis adiunctis & effectis: primùm, *quòd ex immunditia victus & sordibus cognomen Canis sortitus sit*: deinde *quòd oleis vetustate exsoletis & syluestribus cornis miserè vescatur*: posteà *quòd vappam & acidum vinum bibat: oleo taterrimi odoris caules vngat etiam celeberrimis quibúsque diebus: cætera vilium rerum largissimus.* Non dissimilis huic est, quem Syrus describit in Heau. Act. 3. Scen. 2. *Sed habet patrem quendam auidum, miserum, atque aridum.*

21. Locus est è diuersis: *Etsi celebrat dies festos; vtitur tamen in illorum celebratione sordido victu.*

22. Propositis duobus viuendi generibus vno sordidorum, altero luxuriosorum: quærit, *vtros, qui volet nomen sapientis mereri, debeat imitari: profusósne illos Gallonium & Sempronium, an hunc sordidum Auidienum.*

23. Quamuis ostendat summam esse difficultatem dissoluendæ quæstionis, definit tamen, vel potiùs describit primùm ex effectis, *eum nomine sapientis dignum fore, qui neutrò declinabit, id est, neq; ad luxum neque ad sordes deflectet.*

24. Deinde ex dissimilibus, *quòd nō, vt Albutius senex sæviturus in seruos, suas cuiq; ipsorum partes mandabit: nec vt Mæuius luxuriosus, ineptè & effusè subministraturus est aquam odoratam & vnguento perfusam, iuu conuiuis, in quo inest luxus minimè tolerandus.*

25. Altera est pars Satyræ de incommodis intemperantiæ & commodis frugalitatis, vbi mediocris & simplex victus dissimilibus factis cum luxurioso comparatur, *quòd ille quidem integritatem valetudinis sustentet: luxuriosus autem & multiplex eandem labefactet.*

26. Antapodosis enunciatur duplici experientiâ, quod est argumentum ab arte remotum: propriâ, *quæ est in recordatione voluptatis iam perceptæ è simplici victu*: alienâ: *quæ fit ex obseruatione alienæ turpitudinis & intemperantiæ.* Sic Anacharsis consulebat quærenti, πῶς οὖν τις μὴ μεθύσκοιτο, *quomodo quis non se poculis obrueret.* si obseruet, dicebat, quæ ebrii faciunt.

27. Eadem ex efficiente comprobatur, *quòd ex illo victu multiplici & vario dolores stomachi gignantur: exsanguis pallore ora inficiantur: corpus ad consueta munia reddatur inepta: animus denique grauetur ad munus suum pessimè affectus.*

28. Ad Protasin hæc efficientia victus mediocris spectat: quo qui vtitur, *postridie somno excitatur expeditior & vegetior ad opus: conuiuiis sodalium potest iucundiùs interesse: dies festos hilariùs agere: corpus extenuatum, & iam ætate ingrauescens meliùs recreare: extremum denique vitæ actum faciliùs sustinere.*

29. Antapodosis superior item augetur dissimilitudine alterâ: *Longè*, inquit, *aliter euenit luxuriosō, atq; huic temperato. Quum enim ille valetudine conflictabitur, aut graui senectute premetur; non experietur similia nostri moderati commoda, nec reperiet cultum vitæ præterito molliorem & delicatiorem.*

30. Hæc commemoratio priscæ frugalitatis & continentiæ videtur adhibita, tanquam testimonium, ad commendationem victus tenuis & vituperationem sumtuosi. Illa autem sic primùm tractatur è loco diuersorum: *Etsi veteres illi rancidam aprugnam laudabant; emunctissimæ tamen erant naris*: deinde ex fine: *vt illa aprugna seruaretur hospiti tardiùs adueniente, ab eo comederetur vel rancida vtiliùs, quàm ab edaci & glutioso domino recens & integra consumeretur*: quæ posterior enunciatio est è maiorum collatione.

31. Ad eiusdem commendationem spectat, *quòd* ex adiunctis *Poeta summè expetat & optet, ortum suum in ætatem primorum hominum & continentissimorum heroum incidisse: quæ potuisset illorum continentiam in omni victu, corporis cultu, voluptatúmq; fuga imitari.*

32 Hactenus docuit, quid luxus damni soleat dare rei & valetudini tam animi, quàm corporis: nunc ostendit, quantum idem famæ & existimationi noceat: quæ quanti sit, minorum collatione declaratur, *quòd bonum nomen suauissimis cuiúsque cantus modis, elegantique & continuo poemati longè antecellat.*

33. Exponit ex effectis, quæ detrimenta luxus importet asoto & luxurioso: *dedecus, iacturam, tuorum & vicinorum iram, odium sui, inanem mortis cupiditatem, summam denique & extremam, ad assem vsque, rerum inopiam.*

34. Asotus sibi in luxu miserè blandiens sic è suis factis colligit: *Qui victum suum ac vitæ cultum modulo ac pede suarum fortunarum metitur, pertimescenda sunt ei incommoda memorata: at, ut ego sumtum facio huiusmodi in victum & cultum vitæ, vt multum pòst mihi supersit. Non sunt igitur mihi istiusmodi detrimenta metuenda.*

35. Ex argumentatione asoti Ofellus conficit maiorum collatione, *id, quod ipsi superest è tantis opibus, in vsum meliorem & laudabilirem insumendum, quàm in magnifica & sumtuosa conuiuia.*

36. Vsus iste amplificatur distributione è subiectis: *quòd illa facultas, quæ superat, honestè impendi possit in homines indignâ & immeritâ paupertate pressos, in ædes instaurandas, in patriam denique tuuandam & amplificandam*: quæ cohortatio illustratur ad iunctis status præsentis ac diuitiarum inconstantiâ & mutabilitate: cuius comes erit posteà ingens risus inimicorum.

37. Quærit iam Poeta, *in illa Fortunæ inspera à mutatione vter constantior & silentior futurus sit: contentúne qui paruo vixit, & ad incertos casus maturè se comparauit, an asotus, qui in omni rerum abundantia & felicitate de rebus dubiis & honesta fama nihil cogitauit?* qui locus constat ex aduersis, quorum pars quidem posterior breui similitudine augetur.

38. Generalis quæstio & admonitio ad temperantiam & frugalitatem speciali exemplo Ofelli comprobatur, tanquam res à thesi ad hypothesin, vt dicitur, traduceretur: quod paribus tractatur: *siquidem ille nō lautiùs, nec largiùs, nec sumtuosiùs in summa rerum copia vixit, quàm in maxima earum tenuitate, postquam omnibus fortunis est eversus.* Ad eàndem hominis continentiam accedit *patientia paupertatis & tolerātia rustici laboris, quem capit libenter in agro olim suo, sed nunc conducta ab Vmbreno Augusti milite.*

39. Poeta confirmat hanc frugalitatem testimonio ipsius Ofelli, quem facit sic de victu moderato prædicantem, quum res ipsius erant vel integræ vel accisæ. Narrat igitur è loco diuersorum materiam & formam victus familiaris, ac primùm dicit, *illum constare diebus professis ex olere & fumosa perna: sed longo pòst reditu hospitis vel conuiuæ vicini per pluuiam opere intermisso, ex pullo & hædo, non ex pisibus Vrbe petitis: mensas item secundas ex vua pensili, nuce & sicubus duplicibus.*

40. Forma compotationis describitur ex eodem genere rationis: *quòd conuiuæ bibituri sint, non quantum*

arbiter conuiuii & magister solet præscribere & imperare: sed quantum sibi quisque potionis ipsi liberè præscribet: itáque nullus ebrietati relinquitur locus. Quòd si quis fortè in conuiuio peccasset, exhaurire calicem cogebatur, dedecoris tantùm, non arbitralis iudicationis aut inuitationis caussâ. Erat quoque paullò largior compotatio post factam Cereri libationem: cuius ratio è fine redditur, *quò segetes illâ precibus ac votis solicitatâ latiùs ac vberiùs nascerentur.*

41. Hac prouocatione ostendit, *mediocrem vitæ statum & cultum ab omnibus Fortunæ telis & ictibus tutissimum esse*, atq; paribus docet *se perinde illâ nocente & fauente æquabilitatem vniuersæ vitæ seruasse.*

42. *Quòd de fortunis amissis non sibi dolentiùs sit deplorandum*, è caussis diuersè tractatis probat: *Nihil cuiquam natura proprium & priuatum statuit: sed occupatio prima, vis belli, vitiorum pernicies, interitus hominum, constituunt vnumquemque alicuius rei dominum, de qua postea ille deturbatur ab iisdem caussis. Itaque*, inquit Ofellus, *armemus iam nos animis fortibus ac paruo contentis maturè aduersus tantam rerum inconstantiam, varietatem & commutationẽ*, de qua dicitur Agamemnon sic olim admonitus,

Οὐκ ἐπὶ πᾶσι σ' ἐφύτευσ' ἀγαθοῖς
Ἀγαμέμνον Ἀτρεύς·
ἀεὶ δέ σε χαιρεῖν καὶ λυπεῖσθαι.
Θνητὸς γὰρ ἔφυς. κἂν μὴ σὺ θέλῃς,
τῶν θεῶν ὅτῳ βεβλημένῳ ἔσται.

Non ad omnia te genuit bona,
O Agamemnon, Atreus.
Oportet te gaudii & tristitiæ consortem esse.
Mortalis enim natus es, vtque id nolis,
Dis tamen placitum, vt sic eueniat.)

Quod fiet si tempestiuè, frugaliter ac modestè vitam studuerimus traducere, vt fuit initiò propositum.

Enarratio Grammatica.

Boni.] Compellat hîc asotos & ad temperantiam sic inuitat, vt discant, quid & quantum valeat vita frugaliter & honestè acta ad animi tranquillitatem & facilitatem. Sic Cicero 1. de diuinatione loquitur, *Xenophon Socraticus, qui vir & quantus?* quâ duplici categoriæ coniunctione, θαυμαστὸν ὅσον ἀπλῆται, ὃ ποιοῦντι, τοῦτ' ἐστιν, ὃ τὸ τυχόν, quid mirandum, *non quidlibet, significatur, essentiáq; rei exornatur maximè*, quò etiam illud Odes 16. lib. 2. pertinet:

Viuitur paruo benè, cui paternum
Splendet in mensa tenui salinum.

Eòdem quoque Pythagoras nos inuitat:

Εἰθίζου δὲ δίαιταν ἔχειν καθαρόν, ἄθρυπτον.

Insuesce eam victus rationem sequi, quæ pura, nitida, minimé que delicata sit.

Viuere autem paruo est virtus, dicitur Græcè, ἀρετή ἐστι βιοτεύειν λιτῶς καὶ ἀφελῶς, vel, vt Theognis, ζῆν ἀπὸ τῶν ὀλίγων, quod Satyr. 4. lib. 1. dixit, *parcè & frugaliter viuere*, vel per nomen: ἀρετή ἐστιν ἡ ἀφέλεια, ἢ τὸ λιτὸν, ἢ λιτότης ἢ εὐτέλεια, *moderatio & frugalitas*, ἢ ἀφελὴς ἢ λίαν καὶ λιτὴ νομίζεται ἀρετή, *ratio viuendi simplex ac tenuis existimatur virtus*: de qua Cicero libro tertio Tusculanarum.

Sermo est.] Hic sermo est ἐλεγκτικὸς καὶ δογματικὸς, partim compositus ad arguendum, partim ad præcipiendum & docendum: quod locutionis genus sumtum est è Platonis Sympos. ὃ γὰρ ἐμὸς ὁ μῦθος, ἀλλὰ Φαίδρου τοῦδε, ὃν μέλλω λέγειν, *non enim est meus sermo, sed huius Phædri, quem ego habiturus sum.* Item à Plutarcho vsurpatum Symp. 8. καὶ οὐκ ἐμὸς ὁ μῦθος, εἶπεν, ἀλλ' Εὐγνάστου τοῦ δὲ Ἄπιν ὅτως λοχεύεσθαί φασιν, *neq; meus est sermo, inquit, sed Aegyptii aiunt hunc Apin tali partu in lucem editum.* Denique ab Horatio è priori sumtum & huc accommodatum.

Abnormis sapiens.] Qui non similiter aliis nec exactè sapit ad normam aliorum Stoicorum, quorum disciplina fuit contrà opinionem vulgi instituta: in qua hæresi hunc Ofellum fuisse potiùs existimauerim: quam contrà: quod etiam mecum sentire vetus interpres videtur: quum scribit eum aliquot Stoica dogmata è Græcis transtulisse in versus Latinos. Abnormis autem Græcè dici potest, ὁ μὴ φρονῶν πρὸς τὸν ἄλλων κανόνα καὶ γνώμονα, vt crassa Minerua, ἀμαθὴς καὶ παχὺς, ἢ παχεῖ μύσῃ, & significatur Ofellus magis moribus & vitæ integritate egisse Stoicum quam doctrinâ, ingenii eruditione, arte ac ratione.

Inter lances.] Obseruandum est hoc genus loquendi, vt monui Ode 6. lib. 3. *Inter vina*, meliùs dici Latinè, & inter lances & mensas, quàm per gerundia, inter epulandum & lautè cænandum, quod dici etiam solet inter cænam & super cænam.

Quum stupet.] I. quum acies oculorum perstringitur nitore vasorum & ciborum lautiorum odore, totiùsque conuiuii splendore hebescit, & animus in falsa inclinatur, quæ, neglectâ veritate, facilè approbat.

Acclinis.] Lectio recentiorum recta est, qualem interpres Plinii Gallicus sequutus est li. 8. c. 15. de Machli fera, *quam non cubantem sed acclinem arbori in somno, eáq; incisa ad insidias capi scribit: elle ne se couche iam aù elle s'endort appuyée contre ung arbre, lequel encoché parauant tombe auec la beste ainsi finement prise.* Idem narratur l. 6. Comment. Cæsaris de bello Gallic. de Alcibus: *his sunt arbores pro cubilibus, ad eas se applicant atq; ita paulùm acclinata quietem capiunt*: sic legendus est hic versus. 855. l. 10. Aeneid.

— Corpúsq; leuabat
Arboris acclinis trunco:

Dicitur autem hîc acclinis falsis, quomodo Cicero loquitur libro primo Epistol. ad Quintum Fratrem Epistol. 2. niti veritate, vt libro primo de officiis, niti consilio, quod Græcè dicitur διάνοια παρακλινομένη ψεύδεσι.

Impransi mecum.] I. ἀνάριστοι ἢ ἄδειπνοι ὄντες, quum impransi vel incænati fueritis, in hanc mecum disquisitionem incumbite jeiuni.

Cur hoc.] Exple, disquirendum est jeiuno stomacho?

Malè examinat.] I. cibis & immodicâ potione repletus non perspicit, quid in quaque re verum, sincerúmue sit. Hi recti *tu sectatus, lassus, siccus, & inanis* exspectatione suspendunt verbum *sperne*, longè remotum. Videtur autem Poeta respicere ad hunc versum trochaicum, quem Plutarchus ex aliquo Poeta profert in libello, *quomodo quis cognoscat suos in virtute profectus*:

Πρὸς σάθμῃ πέτρον τίθεσθαι,
οὐ μὴ πρὸς πέτρῳ σαθμήν.

Ad amussim oportet lapidem applicare, non autem ad lapidem ad amussim.

quo monemur, ne quid præposterè faciamus: quod non vitant, qui ad vitam morésque suos volunt leges accommodare: non autem vitam ad rationem legum conformare: sic qui volet rectè de esculentis ac poculentis iudicare, ad his fruendum accedat post laborem famelicus & sitiens, & tum primum

primum quémque cibum & potum etiam vulgarem maximè probabit, hócque contentus luxuriosum spernet: contrà illi eueniet, si inexercitatus, minimé-que famelicus eodem accesserit.

Lassus ab.] I. defessus ab equitatione dura succussantis equi & indomiti: sic Plautus loquitur, defessus à gerunda aqua. Sæpius tamen lassus & fessus pondere studiorum, opere, cursu, viâ, studio venãdi. Græcari est *τὸ τοῖς γυμνασίοις ἑλληνίζειν, more Græcorum exercitari.*

Assuetum Græcari.] Id est, qui solitus est exercitationibus & ludis Græcorum minùs laboriosis vti: ideóque quidam astruunt, *molliter*, verbo Græcari, & hîc ita sumendum est. Præterea hoc verbale retinet syntaxin sui verbi: quod à Poeta & Oratoribus construitur cum infinito. Cicero 5. de Fin. *Demosthenes assuesceret voce fremitum fluctus vincere*, & Virgil. 1. Georg.

— votis iam assuesce vocari.

Seu pila.] Hîc repetendum est verbum, *agit te*, id est siue tu flagras cupiditate ludendi pilâ, vel si te iuuat eâdem ludere vel disco: deinde ellipsis *τῶν lude pilâ.* De ludo pilæ vide lib. 2. Galeni de sanitate tuenda, vbi fiunt quatuor genera: pila magna, parua, inanis & corycos: totidem apud Latinos, follis, trigomalus paganicus, harpastum: de quibus lege Hier. Mercurial. lib. 2. gymnasticæ. Sic Plato Epist. 15. ad Dionysium Tyrannum, iubet ipsius collusores in ludo pilæ saluere: *τὸς συσφαιριστὰς ἀσπάζῃ ὑπὲρ ἐμοῦ.* Quod autem dicitur hîc *pila velox*, videtur idem sonare, quod *follis leuis*, qui conficitur ex aluta & flatu solo repletur: sed à Propertio lib. 3. hæc velocitas pilæ refertur ad iactum:

Quum pila veloces fallit per brachia iactus.

Austerum.] Hæc vox est originis Græcanicæ, vt docet Eustathius ad finem Odyss. 1. illam declinans *παρὰ τὸ αὔειν, ὅπερ κυρίως τὸ καίειν καὶ ξηραίνειν σημαίνει·* quod significat propriè *vrere & siccare*: vnde *παράγωγον* esset, *αὐστὸς*, & ex hoc *τὸ αὐστηρὸν καὶ τὸ αὐσταλέον τὸ ξηρὸν καὶ αὐχμηρόν*, *aridum & squalidum*: atque dicitur propriè de liquidis, vt *οἶνος καὶ χυλὸς αὐστηρὸς*, *vinum & sapor austerus.* Hic locus Gallicè redditur, *l'affection & desir ostant doulcement la grande peine & trauail sans le sentir*: transfertur tamen & ad personas & ad res seueras, asperas & molestas, vt ad Pisones, *austera poemata.* Syntax is autem, quæ *τὸ molliter* coniungit *ὑπερβατικῶς* cum verbo *Græcari*, non mihi probatur.

Studio fallente.] Cuius ludi & vincendi cupiditate, à more & voluptate, grauis labor, qui ex eo percipitur, omnino nõ sentitur & fallitur suauiter, vel certè admodum minuitur.

Pete aera.] Hoc respondet superiori, *lude pilâ*, modò suppleto: quod valet, lude disco, vel discum iace in sublime, qui vi emissus secat & discutit aerem, & quia hic leuis est, facilè cedit grauiori.

Quum labor extuderit.] Hoc etiam videtur depromtum è responso cuiusdam coqui, qui, quum Dionysius Syracusanus acceptus à Lacedæmoniis cænâ fuisset, nec cibis appositis se delectari dixisset, hoc tibi contigit, inquit ille, quia nec venatu, nec cursu famem & sitim opsonâsti, quibus Lacedæmoniorum epulæ condiri solent. Hic coquus fuit instructus disciplinâ Cyri, quæ lib. 8. Cyropæ. sub initium sic memoratur: *καὶ ὅτε αὐτὸς ποτὲ περὶ ἱλρῶσαι δεῖπνον ἤρετο, ὅτ' ἵπποις ἀγυμνάστοις σῖτον ἐνέβαλε* id est, *atque ipse nunquam cænam sumebat prius, quam sudasset: neq; equis nondum exercitatis pabulum porrigebat, προνοῶν διὰ πόνων καὶ ἱλρῶτος τὰ σώματα γίνεσθαι, prouidens laboribus & sudore corpora reddi solidiora & firmiora. Itaq; quum laboriosa exercitatio deduxerit & excusserit sibi fastidia ciborum.* Gall. *Quand le grand exercice l'aura osté le degoustement & fait venir l'appetit, dedaigne pour voer, aiant grand faim, laviande vulgaire, & ne boiuaußi duuin rude sil ne'st addouci de miel exquis, si lon te dit, que le des pencier est aux champs, & quela, mer est en tempeste & tour mente empeschant le peschage.* Promus autem Græcè dicitur *ταμίας.*

Hymettia.] De monte Hymetto vide Od. 18. libro secundo.

Mare hyemat.] Id est, tempestate iactatur, & agitatur. Hæc verba per inuersionem syntaxeωs etiam efferuntur, quæ sic rectè & clarè enuncianda sunt: *Mare atris procellis turbatum & agitatum defendit pisces à captura & piscatum impedit. Itaq; ne exspectes cibos appositis meliores.*

Mare atrum.] Plinius scribit non esse maris certum colorem: sed pro ventorum qualitate mutari, & aut flauum esse, aut luculentum, aut atrum: vnde Virgil. initio l. 5. Æneid.

— Fluctúsq; atros aquilone.

sed caussas huiusmodi colorum non expressit, quæ possunt cognosci è libro de coloribus Arist. vel Theophrasti: *ἢ γὰρ ὅλως τὸ μὴ ὁρώμενόν ἐστι τῇ φύσει μέλαν, ἢ ἀφ' ὧν μηδὲν ὅλως φέρεται φῶς πρὸς τὰς ὄψεις. τὸ γὰρ μὴ ὁρώμενον, ὅταν ὁ περιέχων τόπος ὁρᾶται, φαντασίαν ποιεῖ μέλανος. φαίνεται δὲ καὶ τὰ τοιαῦτα ἡμῖν ἅπαντα μέλανα ἀφ' ὅσων ἀραιὸν καὶ ὀλίγον ἀνακλᾶται τὸ φῶς. Aut enim quod non cernitur, naturâ est nigrum. aut à quibus nullum prorsus ad oculos lumen refertur. Quod enim non videtur, quum locus ambiens videtur, præ se fert speciem nigri. Apparent autem talia nobis omnia nigra, à quibus lumen rarum & exiguum reflectitur.* Ex his satis constat, Poetas non hîc loqui deverè atro colore, sed apparente post sublatum è superficie aquę læuorem & planitiem vehementi ventorum agitatione: quæ consequi solet asperitas superficiei perexigui luminis capax: de qua quidem asperitate maris dictum est in Ode 5. l. 1.

Quod autem suprà legisti, *fluctus atros* dici à Virgilio, id Cicero contrà per *fluctus canos* pronuntiat: hic legendum est cana flumina, sicut Pindarus olymp. εἰδ. α αὐτιστρ. 2. ἄγχι δ' ἰλβῶν πολίας οἴδασ ἐν ὄρφνᾳ, id est, *veniens autem prope canum mare solus in nocte*: vbi Scholiastæ reddũt huius coloris rationes, *ἢ ἀντὶ τοῦ γεραιᾶς νοεῖ, διὰ τὸ εἶναι προγενέστερον τὸ ὕδωρ τῶν ἄλλων στοιχείων, ὡς ἔφαμεν· ἢ αὐτὶ τοῦ λευκῆς. λευκαίνεται γὰρ τῇ τῶν κυμάτων περιφορᾷ καὶ δινήσει*, id est, *aut pro senili & antiquo intelligi: propterea quòd aqua natu creditur maior, quàm reliqua elementa, vt diximus, aut pro albo. Albescit enim circumactu fluctuum & undarum volubilitate.* Denique color maris apparet hic aut ille pro ratione venti aquas mouentis.

Cum sale.] Prandia & cænæ hominum tenuiorum solent constare è solis pane & sale, quod genus cibi apparati benè placat famelicum & iratum ventriculum, ubi videtur Poeta designare Nasturtium Persarum opsonium, præter quod illi nihil adhibebant ad panem, ait Cic. Tuscula. 5. & significare, homini exercitato & famelico non minorem fore voluptatem in nasturtio illo, quo vesci Persas esse solitos scribit Xenophon, quàm in Syracusanis mensis, vt est 2. de Finibus. Est autem nasturtium, cuius loco hîc ponit Horatius salem, herba in quarto gradu calida & sicca, de qua Plin. primùm lib. 19. cap. 8. *Nasturtium*, ait, *nomen accepit à narium tormento, ac inde vigoris significatio*

id vocabulum prouerbio vſurpauit, veluti torporem excitantis. Deinde l.20.c.13. *Naſturtium Venerem inhibet: animum exacuit.* Item Dioſcorides l.2.cap.144. vbi contrà, atque modò Plinius, ſcribit, *Naſturtio, vt Erucâ, Venerem exſtimulari.* vide prouerbium, ἔστιν κάρδαμον, id eſt, *comede naſturtium*, in ſtupidos & ſocordes dici ſolitum: quam quidem herbam Varro etiam ſcribit ſic nominatam, *quod naſum torqueat.* Paulò diuerſa eſt ratio vocis Græcæ κάρδαμον ſic dictæ, quia ſuo acri calore caput tentat & domat, quaſi καρδάμον: quod fit ex ſympathia ſuperioris orificii in ſtomacho cum cerebro: quod quidem orificium Græci vocant καρδίαν: vnde nonnulli malunt deflectere cardamum: proximam autem huic habent acrimoniæ facultatem σίνηπι καὶ νάπυ, ὡς λάχανα ὄντα δριμύτερα καὶ ὀργιλώτερα, *vt ſunt hæc olera acriora & ad iram magis prouocantia*; atqui prius dicitur παρὰ τὸ σίνεσθαι τοὺς ὤπας, τουτ' ἐστι παρὰ τὸ βλάπτειν τοὺς ὀφθαλμούς, id eſt, *quòd oculos lædat*, de quo Columella fecit, *Séque laceſſenti fletum factura ſinapis*, ſicut cæpam dixit lacrymoſam, vt epiſt. 12. notabitur.

Vnde putas.] Qua ex re & quomodo vim iſtam leniendi ſtomachum ſalſo pani acceſſiſſe putas?

Non in caro.] Videtur hæc ſententia è dictis & apophthegmatis Socratis depromta: quam Stobæus ſermone 5. de temperantia citauit. Σωκράτης ἔλεγε, δεῖν τὰς ἡδονὰς μὴ παρ' ἄλλων, ἀλλὰ παρ' ἡμῶν θηρᾶσθαι· προδιατίθεσθαι δὲ τὸ σῶμα ὃν χρὴ τρόπον. *Socrates dicebat, voluptates non ab aliis captandas eſſe, ſed à nobis ipſis: corpus autem priùs, vt decet, rectè conſtituendum & præparandum:* ὅτι ἐν πόνῳ τὰ μαλακὰ γίγνεται: *Quia è labore placida & mitia omnia gignuntur*, ait Xenophon.

Talem autem corporis conſtitutionem ſic Annæus Seneca l.7.c.2.de beneficiis informat, *Illa eſt voluptas & homine & viro digna, non implere corpus, nec ſaginare, nec cupiditates irritare, quarum tutiſſima eſt quies: ſed perturbatione carere, & eâ, quæ hominum inter ſe rixantium ambitus concutit, & eâ, quæ intolerabilia ex alto venit, vbi de Diis famæ creditum eſt, vitiſque illos noſtris æſtimauimus. Hanc voluptatem æqualem, intrepidam, nunquam ſenſuram ſui tædium percipit hic, quem deformamus cum maximè: qui, vt ita dicam, diuini iuris atq; humani peritus, præſentibus gaudet, ex futuro non pendet.*

Tu pulmentaria.] Huc pertinent, quæ Tuſcula.5. dicuntur cibos condire: *Darius in fuga, quum aquam turbidam & cadauceribus inquinatam bibiſſet; negauit vnquam ſe bibiſſe iucundiùs: nunquam videlicet ſitiens biberat: nec eſuriens etiam Ptolemæus ederat, cui quum peregrinanti, comitibus non conſecutis, cibarius in caſa panis datus eſſet, nihil viſum eſt ipſi eo pane iucundius.* Socratem quoque ferunt, quum ad veſperam vſque contentiùs ambularet, quæſitúmque eſſet ex eo, quare id faceret; reſpondiſſe, ſe, quò meliùs cænaret, opſonare ambulando, non condiendo, famem, quam proponebat, vt optimum condimentum, contra luxum Atheniensium. Hæc certè depromta è capite vigeſimo ſeptimo Prouerbiorum verſu ſeotimo: *Anima ſaturata calcat fauum, & anima eſuriens etiam amarum pro dulce ſumet.* Sic certè Lacedæmonii epulas ſuas condiebant labore in venatu, ſudore, curſu, & fame: Cuiuſmodi inſtitutum Plutarchus memorat in Laconicis inſtitutis: *Quum*, inquit, *maximè commendaretur apud eos ius, quod dicebatur atrum, ita vt ſe ioues carnem non requirerent, ſed eam iumentis concederent: eius gratiâ Dionyſius Siciliæ tyrannus Laconicum emiſſe coquum fertur, atque vt nulli parcens ſumtui ius illud pararet, imperaſſe: ſed quum deguſtaſſet, ab eo ita abhorruiſſe, vt exſpuerit. Tum verò coquum ei dixiſſe, corpore priùs exercitato, Laconicum in morem, & abluto in Eurota flumine, ô rex, iſtius iuris opſonio veſcendum eſt.* Hæc ſententia legitur etiam in vita Lycurgi, atque illa in prouerbium ceſſit, ἅπαντ' ὁ λιμὸς γλυκέα πλὴν αὐτοῦ ποιεῖ, id eſt, *omnia fames ſuauia reddit præter ſe ipſam.* Vox autem *pulmentarium* deflectitur à pulte: quâ ſolâ nec alio cibo veteres Romani diutiſſimè vixerunt, & hanc ignorârunt Græci, ſicut Romani polentam Græcorum: de quo Plinius lib.18.cap.3. *Pulte, non pane, longo tempore vixiſſe Romanos manifeſtum: quoniam inde & pulmentaria hodiéq; dicuntur. Et hodie ſacra priſca atq; natalium pulte fritilla conficiuntur: videtúrque tam puls ignota Græciæ fuiſſe, quàm Italiæ pollenta.* Sed ex Celſo damnabantur olim pulmentaria, quę egerent alio pulmentario: ideóque Perſius Sat. 3. videtur vſurpare pulmentaria vncta pro pinguioribus & lautioribus opſoniis:

Vncta cadunt laxis hinc pulmentaria labris.

Et Iuuenalis Sat.7.

Veniet, qui pulmentaria condit.

Itaque puto hunc locum de huiuſmodi pulmentariis, non de vilioribus intelligendum: quorum poſteriorum helluo ille apud Plautum in Moſtellaria iocosè appellatur pultiphagus voce ſemilatinâ.

Pinguem vitiis.] Ellipſis eſt coniunctionis æthiologicæ, *nam*, vel ſimilis: vbi ſignificatur homo otio, crapulâ & ingluuie languescens & palleſcens & vt vno verbo dicam γαστρίμαργος ἢ μαλακὸς: quem optimus quiſque cibus & potus nunquam ſolet iuuare.

Nec oſtrea.] Hanc vocem per ſynæreſin εἰς δυοσυλλαβίαν συγέλκειν δεῖ: cuius inclinamentum aperuimus Ode vigeſimâ nonâ libri tertii, ac ſimul de hoc genere piſcium teſtaceorum dictum eſt, ſicut de Scaro, in Grammaticis ſecundorum Epodōn.

Lagoii.] Eſt Lagois quibuſdam piſcis ſimilitudinem leporis terreſtris referens: qui etiam Græcè λαγὸς ἢ λαγῶος θαλάσσιος, *lepus marinus* dicitur. Aliis verò eſt auis peregrina: quod vero eſt ſimilius: leporis enim marini eſus lethalis eſt, tantum abeſt, vt in deliciis eſſe poſſit Plinius libro nono, capite quadrageſimo octauo: *Nec venena* in mari *ceſſant dira, vt in lepore: qui in Indico mari etiam tactu peſtilens: vomitum diſſolutionémq; ſtomachi protinus creat.*

Vix eripiam tamen.] Grammatici obſeruant hoc verbum ſimpliciter & abſolutè poſitum dici de periculis, qualia videntur ſubire dediti gulæ & crapulæ: ſic Virg.3.Aeneid.

Hos Helenus ſcopulos, hæc ſaxa horrenda canebat.
Eripite, o ſocii, pariterq; inſurgite remis,

Neque ſolum ſimpliciter & abſolutè poſitum hoc verbum habet locum in periculis notandis, ſed denotat etiam pericula in plena & integra ſyntaxi, vt Donatus tradit act.2.Sc.2.Phorm. *atque ex crimine hoc Antiphonem eripiam, atque in me omnem iram deriuem ſenis. Bonè dixit*, interpres ait, *eripiā ex crimine, quaſi ex incendio: quo verbo vim ſignificat doli pro eo, qui iam teneatur oppreſſus:* quæ ſignificandi ratio firmatur ab eodem interprete teſtimonio Virgil. in fine lib. duodecimi Æneid.

— Tu ne hinc ſpoliis induta meorum
Eripiare mihi?

Quòd ſi non tibi probetur huiuſmodi obſeruatio, tu po-

tu potes sic illud construere: vix tamen eripiam te à consectatione cupediorum & infamis intemperantiæ, vel: vix deducam te de hac sententia & consilio, quo persuasus indulges luxui pudendo: quomodo loquitur Cicero, eripere se à miseria.

Tergere palatum.] Palatum tergere pauone, est suaui huius auis sapore palatum alio ingrato imbutum, velut labem, eluere & demulcere.

Corruptus.] Id est, qui iudiciũ habet vanitate rerum corruptum, & falsitate contaminatum. Sic Virgil. substantiuè vsurpauit vana Aeneidos 11.

Vt vidit fulgentem armis, ac vana tumentem.

quod Seruius interpretatur plenum κενοδοξίας, plurimum vanæ & falsæ de se opinionis habentem: qualem hic asotus habet de veris saporibus à vitiosa cupiditate, non naturali profectam. *Tò vanis autem rerum* ostendit Poetam magis gaudere rectione nominum, quàm conuenientiâ, sicut *fictis rerum*, & *amara curarum* Ode duodecimâ libri quarti & Satyrâ octauâ libri huius, vt ibi monuimus.

Rara auis.] Hoc est rerum omnium solemne, vt quicquid est rarissimum, ita est carissimum & videtur optimum corruptis palatis.

Et picta pandat.] Pauo Græce dicitur τάως ω, καὶ ταῶν ταῶνος ταώνη, ος, παρὰ τὸ τὴν ὀρὰν τείνειν, ab extendenda cauda. Columella eandem auem etiam appellat pauũ & pauam pro masculino & fœminino, vt Græcè & Hebraicè רננים *renanima* forti clamore & læto de pulcritudine plumarum, Iobi capite 39. 16. Præterea synecdochicῶs dicitur ὄρνις Μηδικὴ, *auis Medica*: quam Agell. l. 7. c. 16. memorat è Varronis Satyr. περὶ ἐδεσμ. *Inter delicias cœnarum & ciborum ab ingluuie luxuriantis gulæ vestigatam, præstantiorem quidem in Samo insula. Illam mensis apposuit Romæ primus Hortensius Orator in adipali cœna sacerdotii sui. Saginare primus instituit circa nouissimum piraticum bellum M. Ausidus Lurco, ex eóque quæstu reditus sestertiũm sexagena millia habuit.* Gall. M. *Ausidus fut le premier, qui teint des pauons al' engres, ouil gaignoit par an soixante mille sesterces. Cela fut du temps de la derniere guerre contre les Corsaires.* Cic. 3. de finib. scribit, *caudam pauoni non propter eius vsum, sed ad quendam ornatum à natura donatum, cuius caudæ conchatæ gemmantes expandit colores aduerso maximè sole, quia sic fulgentiùs radiant*, vt Plin. refert l. 10. c. 20. De hoc etiam vide Athen. lib. 8. Aristot. Oppian. ἰξευτικῶν, de aucupiis, & Satyram secundam libri primi. Verbum autem, *pandere*, quod est aperire & patefacere, Gall. *ouurer, estendre, deploier*, Nonius tradit è Varrone dici, quasi panem dare, qui famelicis & ad fanum Cereris, his semper apertum, tanquam ad asylum, confugientibus, nunquam negabatur.

Ad rem.] Id est, ad carnis saporem, cibique gratiam.

Cocto num.] Nulla est hîc ἐνθυμήσις per licentiam. Hæc autem interrogatio suspendit anthypophoram negatam, non editur, neq; remanet in pauone cocto ille gemmantis plumæ ornatus.

Carne tamen.] Hæc oratio videtur mihi sic apertiùs explicanda: *quamuis hæc pauonis caro nihilo præstet carni gallinæ perspicuum tamen facis, te formâ illius & pulcritudine dissimilis coloris captum, quum illam malis, quàm hanc.* Itaque non est distinguendum post *nihil*, sed tantum post *illa*. Scio tamen non deesse, qui contrà sentiant & reiiciant hæc verba, *hæc magis illâ*, ad sequens *deceptum*. Sed ex vi argumenti nota est sententia, quamuis syntaxis verborum sit aliquantò implicatior, vtramuis in partem resoluas: ad meum autem sensum sic illam ordino: *Quamuis illa gallinæ caro non alia sit, atq; caro pauonis: manifestum est tamen te captum esse pulcritudine plumæ dissimilis alteri*, id est, vt breuiùs dicatur: *non carne harum auium, sed earundem variâ plumæ formâ moueris.* Quòd si construxeris, *nihil hac magis illâ* cum sequentibus, opus tibi erit his obscurioribus supplementis, quàm sunt nostra, sic: *Quamuis nihil distet carne inter has aues: patet tamen te magis deceptum esse imparibus formis, scilicet hac magis pauonis formâ, quàm illâ gallinæ*, tu tamen, Lector, vtram velis expositionem deliges, & ad vtramque, si potes, aggregabis meliorem. Ad hæc non dissimulabo, nec improbabo hanc Xylandri Augustani lectionem διὰ τῆς μετατυπώσεως.

Carne tamen, quamuis, distat nihil hac magis illa.

vnâ voce in duas solutâ.

Esto.] I. istud tibi do, vt sapiat tuo palato caro pauonia suauius quàm gallinaria.

Vnde datum.] Certè illa palati subtilitas, in secernendo & internoscendo lupo, qui captus est inter duos pontes Tiberis, ab eo, quem laneum vocant, qui circa eiusdem ostia, magis vitiosa est, quàm naturalis.

Pontésne.] Hi duo pontes priùs dicebantur Insula sacra, de qua lege Plutarc. in vita Valerii Publicolæ initiò. Præterea hiatus huius piscis, vt cæterorum, capti & extra suum elementum positi indicat, illum grauiter laborare & mox interiturum, præsertim quum Plin. l. 9. c. 11. scribat: *Quidam putant lupum esse piscem, quem Aristoteles vocat* l. 5. c. 9. Histor. anim. λάβραξ, deflexum παρὰ τὸ λάβρως καὶ ἀθρόως τὸ ἐλεεῖν κατατίνειν, διότι κέχηνεν αὐτοῦ τὸ στόμα, sicut Suidas docet: *quòd auidè & vniuersam escam deuoret, ideóque est ore hiulco, & patulo*: sed hic hiatus in mari est voracis piscis, & alter extra illud est laborantis & moribundi, vt Martialis libro decimo tertio de mulo fecit, quem viuum docet posse seruari, si in aqua marina aduehatur, vbi tandem languescit, nisi mari viuo restituatur:

Spirat in aduecto, sed iam piger, aquore mulus:
Languescit, viuum da mare, fortis erit.

Alii lambracen genus lupi censent esse, qui est Columellæ varius. Cæterùm mulus piscis Græcè dicitur τρίγλα ἢ τρίγλη, παρὰ τὸ τρὶς τίπτειν τὸ ἔτος, quod etymon Aristoteles videtur confirmare libro modò citato, ὁ γὰρ λάβραξ καὶ ὁ τριχίας δὶς, καὶ τὰ πετραῖα δὶς τίκτει, τρίγλα ἡ μόνη τρὶς quem locum Plin. l. 9. c. 51. sic interpretatur, *Piscium lupus & trichias bis anno parit, & saxatiles omnes, muli ter.* Huius item piscis gratiam lege apud eundem lib. 9. capite 17. & magnitudinem, quæ non exsuperat pondere binas libras, vnde Martialis:

Nolo mihi ponas rhombum, mulúmq; bilibrem.

Fenestella vult mulum dictum à colore molliorum calceorum, quos Festus vocat muleos è Catone. Præterea Plinius refert Asinium celerem olim emisse mulum sestertiis 8: quod pretium Macrobius tradit fuisse octo millium nummûm. Ac ne fabula putetur, Iuuenalis Saty. 4. similem luxuriam Crispini exagitat: qui seruilis ordinis adeò locupletatus fuerat, vt non dubitârit mulum sex millibus nummûm mercari, nostrâ æstimatione circiter centum quinquaginta aureis coronatis:

— Mulum sex millibus emit
Æquantem sanè paribus sestertia libris.

Irridet hîc insanum emtorem Iuuenalis, quomodo nos Galli ludimus, *l' argent pese la marchandise*, non quòd mulus sex libris penderet. Scribit tamen Seneca l. 15. Ep. ad Lucil. *Mulum pondo quatuor librarum*

Tiberio imperatori donatum, qui delatus in macellum emtus est à Pub. Octauio quinque sestertiis. Sed hæc magnitudo rarissima, maximéque suspecta, & illa octoginta librarum apud Plinium in mari rubro inuenta longè prodigiosissima videtur.

Ducit te.] Id est, excitat te, commouet, afficit species magni muli, quam tamen spernis in magno lupo. Potest etiam explicari, delectat te, vt loquitur ipse Sat. 7. huius libri, *me dixerit ille duci ventre*, id est, delicatis cibis delectari.

Ieiunus.] Id est, qui rarò est jeiunus, sed ferè semper plenus, vulgaria contemnit: sed qui famem labore & inediâ solet opsonare, primum quémque cibum libentissimè arripit, nec vnquam vulgares cibos contemnit. Huius rei documento fuerunt Lysimachus rex Persarum & Darius sitibundi. Sunt quoque omni tempore plerique omnes cuiusuis ætatis & ordinis: qui rarò sitiunt & esuriunt, vt ferè saturi ac pleni, fastidiant optimos quosque cibos.

Temnit, &c.] Donat. in And. Act. 3. Sc. 2. v. 14:

O Daue, itáne contemnor abs te?

annotat: temnor autem Græcum est, id est, cædor & reiicior, τὸ τέμνομαι: nam veteres *temno* dicebant sine præpositione.

Porrectum.] Arbitror hîc ellipsin esse discretiuæ, sed vellé, quod sic Gallicè redditur, *mais j' aurois grand enuie de voir un beau grand poisson estendu dedans vn grand plat, dit vn grand friand, qui merite bien que l'on lui vienne gaster & rauir ce qu'il a deuant lui.*

Harpyiis.] De Harpyiis sic Hesiod. in Theogon.

Ἡ δ' ὠκείαν τέκεν Ἶριν
Ἠνώμας θ' Ἁρπυίας, Ἀελλώτ', Ὠκυπετείν τε.
Electra celerem peperit Irin,
Pulcricomásq; Harpyias, Aellóq;, Ocypeténque.

His quidam addunt *Celeno*. Definiuntur autem ab Hesiodo Deæ quædam rapaces: sed ab Eustathio in hunc versum Odyss. α.

Νῦν δέ μιν ἀπλείως Ἁρπυῖαι ἀνηρέψαντο,

Nunc ait Telemachus de Vlysse patre, *illum turpiter deuorârunt Harpyiæ.*

Μυθικῶς δὲ Ἁρπυῖαι δαιμόνιά τινα πτερόεντα, *Harpyiæ secundum fabulas sunt dæmonia quædam alata*: deinde subiicit: οἷα ἢ ἀνθρώπους ἁρπάζει βιαίως. ὅθεν εἴτις ἀφανὴς ἐγένετο, Ἁρπυῖαι τὸν τοιοῦτον ἀνηρέπειν ἐλέγοντο. I. *& quæ possint etiam homines per vim abripere: vnde si quis obscurus esset, talem dicebantur Harpyiæ deuorare.* Quod Scholiastes paullò antè ἀλληγορικῶς interpretatus est: alatæ dicuntur propter illarum volatum, ventis & auibus parem, quem Hesiodus illis tribuit. Ratio autem vocis est παρὰ τὸ ἅρπειν, ἢ ἁρπάζειν. De quarum fœditate & ingluuie ita Virg. 3. Aeneid.

Triste hau dillis monstrum, nec sæuior vllæ
Pestis, & ira Deum Stygiis sese extulit vndis.
Virginei volucrum vultus fœdissima ventris
Proluuies, vncæq; manus, & pallida semper
Ora fame.

Austri.] Hi venti ab humiditate vel putrefactione Græcis dicuntur νότοι, & hîc *præsentes* dicuntur, vt præsens remedium & venenum, pro, validi, & efficaces. De his notatum est in Gram. Od. 3. l. 3. quæ humiditas materia est corruptionis: vnde Od. 14. l. 2. dicit *Austrum nocentem per Autumnos.*

Mala copia, &c.] Δοκεῖ σημαίνειν τὴν πλυθώραν, *abundantiam humorum & repletionem videtur significare*, vt Medici loquuntur.

Rapula.] Deflexum est rapulum ἰωνικῶς, à *rapum*, quod est genus rapi, quod Plinius βουνίαν vocat l. 20. c. 4. & l. 4. c. 12. de quo vide etiam Dioscoridem l. 2. c. 124. περὶ γογγύλης, qui tribuit vim rapo muriâ condito, τῇ τὰς ὀρέξεις αὐξανομβάνειν; *excitandi appetentiam cruditate languidam.*

Acidus.] Innulas dicet posteà Sat. 8. amaras, qua de herba Plin. l. 19. c. 5. *breuior hîc est, sed torosior amarióq; innulâ*, quam quidam existimant esse Græcorum ἐλλένιον, cuius radicem Dioscor. l. 1. c. 27. scribit præter cætera esse ἱποδεσμῶν, *subacrem.*

Abacta.] Id est, nondum tenuis ac durus pauperum victus è mensis diuitum exclusus erat.

Epulis Regum.] Pro his Virg. dicit l. 1. Aen. *Regales inter mensas.*

Acipensere.] De hoc pisce lege Plinium lib. 9. cap. 71. vnde intelliges acipenserem magno in pretio quondam fuisse, sed nullo in honore Plinii ætate: quod tamen Martialis ipsius æqualis, vt quidam volunt, falsum esse demonstrat hoc disticho, libro 13.

Ad Palatinas acipensera mittite mensas:
Ambrosias ornent munera rara dapes.

Vbi ab hoc Poeta vides luxum ætatis suæ obiurgari, & tacitè reprehendi, transferentis piscem tam pretiosum in priuatos vsus, quem mensæ Diuorum & Imperatorum requirerent: eámque ob rem dictus est ἱερὸς ἰχθὺς, *sacer piscis.* Sed de acipensere paucorum hominum lege Cic. de fato in fragmentis. Ad hæc de Græca huius piscis appellatione dubitatur: quam quidem Athenæus lib. 8. putat τὸν γαλεὸν, mustellam esse Romanum acipenserem: sed Appion Grammaticus apud Athenæum lib. 7. & Agell. lib. 7. cap. 16. videntur τὴν ἔλλοπα, Ῥόδιον, similem facere Romano acipenseri: quanquam τὸ ἔλλοψ est epithetum commune omnium piscium, vt constat ex Aspide Hesiodi:

— δοιοὶ δ' ἀναφυσιόωντες
Ἀδλύρεοι δελφῖνες ἐθοίνων ἔλλοπας ἰχθύς.
— *Duo sursum flantes*
Splendidi delphines vorabant mutos pisces.

Cuius vocis rationem Plutarchus Sympos. lib. 8. problem. 8. reddidit: ἔλεγε δὲ τοὺς ἐχεμυθίας τοῦτο γέρας εἶναι, τοὺς ἰχθῦς καλεῖν ἔλλοπας, οἷον ἐλλομένην τὴν ὄπα καὶ κατειργομένην ἔχοντας, Id est, *dicebat taciturnitatis hoc præmium esse, pisces vocare mutos, quasi vinctam vocem & impeditam habentes.* Sed de acipensere, mulo, scaro & lupo piscibus lege caput 13. lib. 3. Saturnal. Macrobii, qui locus plurimùm valet ad cognitionem præsentis luxus.

Galloni.] Lege Cicer. l. de Orat. & pro Quintio de hoc Gallonio præcone, & maximè 2. de Finib. vbi ita describitur:

O Publi, ô gurges Galloni, es homo miser, inquit,
Cænasti in vita nunquam bene, quum omnia in ista
Consumis squilla, atq; acipensere, cum Decumano.

Is hæc loquitur, qui in voluptate nihil ponens negat eum bene cænare, qui omnia ponat in voluptate, & tamen non negat, libenter vnquam cænasse Gallonium (mentiretur enim) sed bene.

Prætorius.] Intelligit & mordet Sempronium Rufum à petita Prætura turpiter exclusum ac repulsum: quòd primus ciconias per luxum mensis apposuisset: eámque ob rem in eum nobile hoc epigramma iactatum est:

Ciconiarum Rufus iste conditor,
Hic est duobus elegantior Plancis.
Suffragiorum puncta non tulit septem,
Ciconiarum populus vltus est mortem.

Sed de Ciconiarum carne Plin. li. 10. c. 23. sic scribit:

Cornelius

Cornelius Nepos, qui D. Augusti principatu obiit, quum scriberet turdos paulò antè cœptos saginari, addidit ciconias magis placere, quàm grues, quum hæc nuncales inter primas expetatur: illam ciconiam nemo velit attigisse. Quod certè parùm consentit cum gula nostri Sempronii. Hanc quidem Græci vocant πελαργὸν παρὰ τὸ πελὸν καὶ τὸ ἀργὸν: quòd pênas habeat partim nigras, partim albas: de qua vide etiam plura apud Aristotelem lib. 8. cap. 3. histor. anim.

Mergos.] Plinius lib. 11. cap. 37. ponit has aues inter insatiabilia animalium: quibus à ventre protinus recto intestino transeunt cibi: vnde colligimus earum maciem, quâ illæ satis per se torridæ, si flammis admoueantur, aridæ & ex succæ redduntur & insuaues. Itaque insipidum est iis palatum, qui per luxum tali cibo delectantur. Etymon autem mergis, licet ex sese satis notum sit, illud tamen è Varrone lib. 4. de ling. Latina addam, cum ipsius definitione coniunctum: *Auis est, quæ captans cibum assiduè immergitur in aquas*: ideóque cum hac Ino Leucothea comparatur, Odyss. ε.

Αὐτὴ δ' ἀψ' εἰς πόντον ἐλύσατο κυμαίνοντα,
Αἰθυῖα εἰνῆμα.
Ipsa verò Ino rursus se immersit in pontũ fluctuantem,
Mergo similis.

Est prætereà Arato & Virgilio 1. Georg. prænuncia venti, vt fulica, & anas, quum pennas rostro purgat.

Praui docilis.] Ita ferè Horatius construit, *docilis*, vt Od. 6. l. 4. *docilis modorum*: sed Cic. l. 7. ad Fam. Ep. 20. ad Trebatium. *O Medicum suauem, neque docilem ad hanc disciplinam!* & Plaut. in Bacchid. *nimis es tu ad istas res discipulus docilior.* Donat. in Andria, Act. 1. Sc. 1. vers. 48. — *lanâ ac telâ victum quæritans.* Ita distinguit cibum à victu. *Cibus est, qui etiam delicatu præbetur: victus in paruis aridisque alimoniis est constitutus.* Ideóque vt Poeta detereret notionem cibi, addidit suprà, *sperne cibum vilem.*

Si prauum.] Videtur *prauum*, pro *prauè* positum per antimeriam, & affinitas vocum ab Horatio affectata; vt a Cic. l. 5. de Finib. *In motibus si peccetur distorsione & deprauatione quâdam, &c.* Tuscul. item 4. *Ex quo prauitas membrorum, distorsio, deformitas.* Non dissimilis est affectatio Senecæ li. 1. de ira, c. 5. vbi censet castigationem necessariam esse: *quemadmodum quædam hastilia detorta, vt corrigamus, adurimus, & adactis cuneis, non vt frangamus, sed vt explicemus, elidimus. sic ingenia vitio praua dolore corporis animique corrigimus.* Donatus in Act. 3. Sena. 3. sic prauum distinguit à malo, vt prauum sit, quod & ipsum lædit facientem: malum, quod alios tantùm.

Auidienus.] Hic Auidienus satis apertè describitur, quum ex ipsius moribus, ingenio & vita Canis cognominatus sit, quod illud ex vero sibi præ se ferre videtur.

Cognomen.] Hæc vox, *cognomen*, non est, vt malè quidam iudicant, cognationis, sed accessionis: cuiusmodi est attributum T. Pomponio, τὸ *Atticum*, propter exquisitam linguæ Græcæ scientiam: eámque ob rem Suetonius in Caligula 22. capite illud sum sit pro epitheto compluribus cognominibus assumtis: *Nam & pius, & castrorum filius, & pater exercituum: prætereà optimus maximus Cæsar vocabatur.* Ita Cicero in præfatione Dialogi de Senectute. *Te Titum Pomponium Atticum, non hoc cognomen solùm Athenis deportasse; sed humanitatem & prudentiam intelligo.* Cæteri Grammatici tradiderunt huiusmodi ascititiam appellationem propriè dicendam *agnomen*: sed hoc contemto vsus sibi cognomen vindicauit, quod Galli interpretantur, *surnom*, & in iocis, *soubriquet*, Græci verò ἐπώνυμον ἢ φερώνυμον, quasi nomen ad proprium additum & allatum.

Quinquennes.] Sordes homini è quinquennibus oleis indicantur maximè: præsertim quum Dioscorides scribat libro primo, capite centesimo quadragesimo, ἔλαια δὲ μέλαινα καὶ πέσσαρος σύνδιάφθορος, κακοστόμαχος, *olea nigra & maturata facilè corrumpitur. stomacho mala.* Non minores demonstrantur sordes ἐκ τῆς τῆς κρανίας κυκρᾶς, *è fructu cornu arboris*, qui Latinis est cornum, pro fluuiis, non nutritioni solùm aptum, & ferè comedi solitum ab inediâ pressis, cuiusmodi legimus lib. 3. Aeneid. sub finem fecisse Ithacensem Achæmenidem sic querentem:

Victum infelicem, baccas, lapidosáq; corna,
Dant rami, & vulsis pascunt radicibus herbæ.

Quod autem Horatius hîc dicit *syluestria*, & Virgilius *lapidosa*, Seruius explicat dura,

Est.] Id est, comedit, à verbo *edo, edis*, sicut *esse* pro *edere* vsitata sunt.

Mutatum.] Iam de hoc Auidieno dici potest, quod Demeas Terentianus dicit Actus quinti Scenâ quartâ de se,

Ego ille agrestis, tristis, parcus, sæuus, truculentus, tenax.

Vinum autem mutatum intellige vappam, καὶ τὸν οἶνον τὸν τετραμμένον καὶ ἐξεγκκότα τῆς ἑαυτῆς φύσεως, *quod degenerauerit a natiua ui*: & Græcè appellatur τροπίας ἢ ἐντροπίας οἶνος, Gallicè, *uin tourné*, ut doctè Henricus Stephanus explicauit. Martialis l. 12. Epig. 84. Tropin appellauit:

Fumosa feret ipse tropin de fæce lagenæ,
Frontis & humorem colliget vsq; tuæ,

Licebit, celebret.] Grammatici hoc interpretantur, quasi, τὸ *licebit* esset discretiua coniunctio pro *quamuis*. Ego verò existimo esse potiùs signum concessionis, pro, per mores ac instituta patriæ licebit, pro liceat illi, vt albâ veste tectus celebret festum, quantumlibet solemne, vappam bibet, Id est, sordidè illud agitabit. Suetonius Tranquillus in vita Tiberii capite trigesimo quarto tales sodalitates tam celebres, vocat cænas solemnes: quæ vel publicè, vel priuatim pro loci instituto communi lætitiâ celebrarentur. Ita Virgil. Aeneid. 6. vsurpat hanc particulam:

— licet ingens iaanitor antro
Aeternùm latrans exsangues terreat vmbras
Nulla hîc insidiæ tales.

Repotia.] Quidam putant festa Repotiorum consuesse celebrari postridie nuptiarum in ædibus noui mariti, atque illic compotationem iterari, quæ Græcè dicitur ἐπαυλία, & ab Hesychio definitur ἡ δευτέρα τῶν γάμων ἡμέρα, σὺν ᾗ νομίζουσι δῶρα οἱ οἰκεῖοι τῷ γεγαμηκότι καὶ τῇ νύμφῃ, *diem nuptiarum secundum, quo familiares sponso & sponsæ dona ferunt*: vnde quidem suspicantur pronunciandum *Reportia*. Alii definiunt τὴν ἐπαυλίαν, τὴν τρίτην τῶν ἀγάμων ποδοτροφίαν ἢ ποδοστροφίαν, *tertiam ad nuptias reuersionem à cælibibus ac innuptis confectam.* Alii appellant ἐπίβδλαν, τοῦτ' ἐστι, τὴν μεθέορτον ἡμέραν, id est, *diem quartum post festum*: quanquam Hesychius facit τὴν ἐπίβδλαν, τὴν τετάρτην τῶν ἀπαταυρίων ἡμέραν, quæ fuit apud Athenienses solennitas fallaciarum in quadriduum producta. Turnebus lib 3. capite. 6. aduers. coniectat in Acrone legendum παιδοτρόφια, pro ποδοστρόφια. & fusiùs quid sint repotia, explicat, cuius hæc sunt verba: *Repotia inter-*

pretantur Grammaticorum tribules, ſeptimũ à nuptiis diem, quo iterum epulabantur: alii ſecundum, quo virgo in muliebrem habitum componebatur. Sed crediderim etiam repotia celebrari ſolita liberis natis, & quum maritis noua quotannis propè ſuboles naſcatur, vt renouanda ſit epulatio, idcirco ea conuiuia repotia appellata. Ea, niſi me fallit augurium, dicere voluit Acro Grammaticus in ſecundam Satyram libri ſecundi Horatii παιδοτρόφια Græcè, velut ſublatis liberis & ſuſceptis, & parentibus eos alere decernentibus. Nam in Græcorum poteſtate erat liberos exponere nec alere. Huius coniecturæ rationem apud eundem & Lambinum vide. Huc videtur pertinere, quod Donatus in Phormione Actus primi, Scenâ primâ ad verba, — *Et, credo, munus hoc corraditur*, annotat, ac velut diem repotiorum definit, *mirè*, ait, *heri quidem fuerunt nuptiæ, ſed adhuc munus corraditur*, quia in nuptiis etiam ſeptimus dies inſtaurationem voti habet, vt in funere nonus dies, quo Parentalia concluduntur. Illo credendum eſt, ſcilicet ſeptimo die ſummam exſtitiſſe liberalitatem iſtius Auidieni in nubentes, qui tam ſordidè reliquos dies feſtos exigat & profanet, quos nonnulli volunt γενικῶς nomine Repotiorum intelligi. Hæc autem Auſonius Epiſtolâ decimâ tertiâ ad Paulum appellat *ſacra repotia patrum.*

Natales celeb.] Græci hoc efferunt per τὰ γενέσια ὅσοις συνοικοῦσι ἄγειν ἑορτάζειν.

Alios dierum.] Hellenica eſt partitio, pro, alios dies.

Cornu ipſe.] Id eſt, è capſula olearia è cornu facta, & duas libras continente, vel, vt alii dicunt, ſextarium.

Caulibus.] Id eſt, braſſicis: vtrúmque enim Cicero affinitatis cauſsâ coniunxit libro ſecundo de natura Deorum: *vites à caulibus braſſicisq;, ſi propè ſati ſunt, vt à peſtiferis & nocentibus refugere dicuntur.* Idem ſcribit Plinius l.20.c.24. *Odit & caulem vitis & omne olus.* Quid autem propriè ſit caulis, licet è Theophraſti libro primo, capite ſecundo de hiſtor. plant diſcere, vbi plantæ partes ſic definit: ἐστὶ δὲ ῥίζα μὲν ἐξ οὗ τροφὴ ἐπάγεται. καῦλος δὲ εἰς ὁ φέρεται καῦλον δὲ λέγω τὸ ὑπὲρ γῆς περιὸς, ὑφ' ὃν ὁ ἐπὶ τῶν δένδρων καλεῖται στέλεχος. *Radix quidem eſt id, quo alimentum elicitur. Caulis verò, in quod illud nutrimentum ferit. Caulem autem appello id, quod ſuper terram naſcitur ſimplex, & alter dicitur Latinè ſcapus & thyrſus. In arboribus autem ſtilechus, truncus.* Itaq; caulis conuenit omnibus herbis, cui adnaſcuntur ramuſculi, folia, ſiliquæ, fructus. Braſſica autem dicitur Feſto à præſecando, ſed alii à Græco deriuant mutatione tenuis in mediam πρασινὴ, braſſica, & à viriditate nomen habet. Hæc Græcis eſt πράμβη concisè à πορράμβλη, παρὰ τὸ τὰς κόρας βλάπτειν ἢ ἀμβλύειν, *ab acie pupillari oculorum lædenda & hebetanda*: cuius ſunt multa genera, partim à forma, partim è colore ſumta. De quibus vide Plinium lib.17.c.24.

Hac vrget.] Non admodum eſt diſſimilis huic πόροιμία, ἔμπροσθεν πρημνὸς, ὄπισθεν λύκοι, *eſt à fronte præcipitium, à tergo Lupi*, dici ſolita in eos, quibus vtrinque aliquod immineret malum. Hîc autem Poeta videtur alludere ad Rutilium Lupum & Auidienum, vt in Rhetoricis dicetur.

Mundus erit.] Interpretes multùm variant in ſyntaxi huius periodi ſubducenda. Quidam enim ex antecedente repetunt: Victus erit mundus, qui non offendet ſordibus, & immodicâ parſimoniâ, neutrámque in partem cultus erit miſer, & ita cultus erit ſubſtantiuum gignendi caſus. Alii ſubintelligunt, homo eſt mundus, atque neutram in partem eſt miſerè cultus. Vbi per antimeriam ex adiectiuo fit aduerbium, & è ſubſtantiuo adiectiuum. Alii denique ſine repetitione talibúſque ſupplementis, & permutatione videntur juxta mecum interpretari: Cultus erit mundus, qui non offendet ſordibus, atque neutram in partem erit miſer: vel apertiùs: ratio viuendi erit recta & moderata, quæ non peccabit immoderatâ parſimoniâ, nec in alteram partem erit luxu miſera. Ita loquitur Cicero ſecundo de Officiis. *Vis fortunæ eſt magna in vtrámque partem.* Et ibidem, *Hæc tamen ſine hominum operis ac ſtudiis neutram in partem effici poſſunt.*

Hic neq; ſeruis.] I. hic ſapiens ita viuens non ſæuiet in ſeruos, dum ſuum cuiq; negotium dabit: qualem imperii ſæuitiem Albutius Canidiæ veneficæ pater ſordidiſſimus & tenaciſſimus ſolebat in ſuos exercere: neq; contrà, vt Mænius, de quo in Gram. Sat. 1. l. 1. dictum eſt, aquam vnguento mixtam abluendis conuiuarum manibus, & in balneis corporibus ineptè & luxuriosè ſubminiſtrabit, propter quas ineptias & luxum hîc ſimplex vocatur. De hoc genere luxus lege Plutarchum in vita Cæſaris, cui appoſitus eſt aſparagus vnguento vice olei imbutus: ſed hic luxus multò eſt intolerabilior, qui reprehenditur à Poeta.

Didit munia.] Eâdem coniunctionis formâ fit *dido*, pro diſtribuo, ab inſeparabili *di* & *do*, quâ *diduco*. Præterea dicuntur hîc munia de priuatis officiis, non de publicis tantùm muneribus.

Victus.] Donatus in Heaut. Act. 3. Scen. 1. ad verſum, *Poſt illa cœpit victum vulgò quærere*, ita diſtinguit cibum à victu, vt ille ſit, qui delicatis præbetur, qualem Gallonius & Sempronius ſunt conſectati: hic autem in paruis aridiſque alimoniis conſtituatur, qualem conqueſtus eſt Ithacenſis Archemenides libro tertio Aeneidos citatus paulò antè.

Quæ quántaq; &c.] Iteratur demonſtratio frugalis vitæ, vt initiò ſermonis.

In primis valeas.] Δυνατῶς eſt hoc explicandum, pro poteris valere, vel eſt ellipſis coniunctionis, *vt*, omnibus vſitata.

Nam variæ.] Periodum ſic explica: Nam tu memor illius eſcæ, quæ ſimplex ſederit, credas, vt (id eſt, quomodo) res variæ & varii cibi noceant homini.

Tibi ſederit.] I. tibi grata fuerit, ἥπερ τῷ σὺ θυμῷ ἥδιστε, vt loquitur Homerus, τοῦτ' ἔστιν ἄρεσκε τῷ σὺ θυμαχῷ. Nõ mihi tamen diſplicet hæc interpretatio vetus: quam tu ſimplicem ſine condimentis facilè digeſſeris in ſingulas corporis partes: quod quidam putant ſumtum ab infantibus: ſed quàm recte tu, Lector, videris. Hoc Galli ſic exprimunt, *laquelle ſimple viande s'eſt ſi bien paſſée en ton corps après la concoction.* Illud autem Aeneid. 5. *Si prio ſedet Aeneæ*, poteſt explicari, vt illud Martialis, *Adeóne penitus ſedit hic tibi morbus*, id eſt, firmus & fixus eſt tibi.

Simul.] I. ſtatim, vbi, & poſtquam, quum primùm comederis immodicè aſſa & elixa, piſces & carnes vnà, viribus naturæ oppreſſis, quantitate & varietate incides in bilioſos & pituitoſos dolores & fœdum oris putorem & pallorem.

Elixa, &c.] Hæc vox deflectitur à lix, licis, fæm. quę eſt Plinio l.26.c.27. e Varrone, *cinis foci, aut aqua cineri immiſta*: quod poſterius magis probârim propter τὸ *liquor inde flexum.*

In bilem.] Bilis eſt humor corporis calidus & ſiccus, vt

cus, vt pituita, frigidus & humidus, quorum genera discere libro tertio de morbis acutis apud Galenum & Celsum, partim e calore & colore, partim e substantia sumta,

Pituita.] Aetius putat, pituitam dici quòd vitam petat: cui quidem etymo consentit illud Platonis de natura, siue in Timæo, φλεγμα δὲ ὀξὺ καὶ ἁλμυρὸν πηγὴ παντῶν νοσημάτων, ὅσα γίγνεται καταῤῥοιπά. διὰ δὲ τὸν τόπον, εἰς οὗς ῥεῖ παντοδάπους ὄντας, παντοῖα νοσήματα ἔλκφειν. Id est, *cæterùm pituita acida & salsa omnium ægrotationum, quæ e distillatione nascuntur, est principium & fons: sed quum in plurima loca delabitur, omnis generis ægrotatiões adducit,* quarum declinatio sic a Scythis dicitur præcaueri & prouideri l. 4. Herod. *Libyum, qui pastorales sunt, pleriq; hoc faciunt, an omnes, non queo pro certo dicere: vbi filij ipsorum quadrimi effecti sunt, venas verticis illorum lanâ succidâ inurunt: nonnulli venas temporum, eam videlicet ob caussam, ne vllo vnquã tempore phlegma defluens e capite officiat: eaq; de re se aiunt esse optima valetudine: & sunt reuerà Lybies inter omnes, quos nos nouimus, homines saluberrimo corpore. Incertum mihi an ob hãc caussam, certè optimâ valetudine sunt:* cuius firmitate idem historicus hos anteponit Aegyptiis l. 2. *Sunt alioqui Aegyptij omnium hominum secundum Libyas maximè salubri corpore, aeris, vt mihi videtur, beneficio, qui nunquam immutatur: ex cuius mutationibus præcipuè existunt in hominibus morbi.* Quintilianus tamen talem notationem irridet. Quidam præterea Grammatici monent pituitam τρισυλλάβως per synæresin pronunciandam, vt Epist. 1. l. 1.

Præcipuè sanus, nisi quum pituita molesta est.

Alij affirmant e Macri Poetæ libello de viribus herbarum, duas primas corripi, & penultimam extendi,

Cum mulso bibitum pituitæ noxia soluit.

Contrà, priores se tuentur auctoritate Catulli in Hendecasyllabo ad Curium, vbi prima producitur:

A te pudor abest, abest salua,
Mucusq; & mala pituita nasi.

Idem Persij Sat. 2. trisyllabiam defendunt,

Somnia pituitâ, qui purgatissima mittunt.

Quorum sententia melior est, quia Macri versum possumus etiam dimetiri per synæresin. Quod attinet ad Græcum etymon φλέγμα, Grammatici tradunt flexum παρὰ τὸ φλέγειν κατὰ τὴν ἀντίφρασιν, ὅτι μὴ φλέγει καὶ ἐγκαίει, *quod minimè vrat & incendat.* Sed aliis vocatur nominibus Græcis, βλέννα, μύξα, πόρυζα, præsertim quum ἐν ῥινῶν ῥέει, *e naribus fluit:* vnde μυκτὴρ pro naso & naribus. Ex priori flectitur βλεννὸς, idem sonans, quod βλεννώδης, pro homine non solùm mucoso & sordido, sed pro tardo etiam, ignauo, stulto: vis siquidem pituitæ reddit facultates cerebri stupidas & ingenium pingue & hebes. Grammatici ferunt Plautum vsurpasse τὸ *Blennius* pro tali homine, sed nondum inueni. De stomacho repete, quod est annotatum in Od. 6. l. 1.

Cæna dubia.] Quæ delicatis, lautis, & conquisitis dapibus est magnificè instructa: vnde omnis conuiua crapulâ grauatus desurgit pallidus. Huiusmodi cænam parasitus videtur interpretari Act. 2. Sc. 2. Phorm. Getæ roganti, quid esset istud verbi cænam dubiam apponi, *vbi,* inquit, *tu dubites, quid sumas potissimum in tanta ferculorum varietate*: qualis fuit Pontificialis cæna, vt dictum fuit Ode 14. lib. 2. Alij tamen referunt huiusmodi dubitationem ad pericula, quòd tam magnifici & sumtuosi apparatus minimè careant suspicione veneni. Alij rursus ad crapulam & ingluuiem, quæ sæpiùs adigunt conuiuas εἰς τὰς ἀφοδὺς ἢ εἰς τὴν ἔμεσιν, *ad secessus & vomitionem,* comite pallore.

Corpus onustum.] Quod Græcè dixeris, οἰνοβαρὲς σῶμα καὶ βεβαρημένον ὀψοφαγίᾳ: sed theorema est physicum ex temperantia corporis animum effici temperatum, & contrà. Si quidem ex intemperantia gignuntur salsæ & acidæ pituitæ, indidem amari & biliosi humores, ἐκ τῆς σήψεως, qui, quum inclusi tenentur, & intus errantes & obuoluti non leuantur exhalatione, varios & graues corpori morbos, mentis ægritudinem, varia difficultatis & tristitiæ genera varia quoq; timiditatis & audaciæ, ac denique obliuionem, & ad discendum tarditatem inducunt: de quibus incommodis vide plura apud Platonem in Timæo.

Particulam auræ.] Horatius agit hîc Stoicum & Pythagoricum, & intelligit partem animi, quæ est Ciceroni 1. de Diuin. mens particeps rationis & intelligentiæ. *quem animũ,* vt idem dicit, *totum a natura Deorum haustum & delibatum habemus: & huius regnum menti a natura tributum est: quod luxu & intemperantiâ turpiter & miserè euertitur, & mens, quæ cælestis est, velut e cælo altaq; contemplatione deturbata humi prosternitur:* vnde *nischmah haym, spiritum vitæ,* Genes. 2. versu 7 *a cælis* Moses dicit. Sed de etymo animæ tam Græco quàm Hebræo vide Gramm. in Oden. 12. l. 4. Eam ob rem Seneca philosophaturo hanc corporis curaturam præscribit Epist. 8. *Tantum indulgeas corpori, quantum bonæ valetudini satis sit. Duriùs tractandum est, ne animo malè pareat: cibus famem sedet: potio sitim exstinguat: vestis arceat frigus: domus munimentum sit aduersus insesta corpori.* Hanc autem simplicis auræ particulam Virgilius appellat ætherium sensum, atque auræ simplicis ignem, quem sic apibus tribuit l. 4. Georg.

Esse apibus partem diuinæ mentis & haustus
Aetherios dixêre.

Idem 6. Aeneidos,

Donec longa dies perfecto temporis orbe,
Concretam exemit labem, purumq; reliquit
Aetherium sensum, atque auræ simplicis ignem.

Alter vbi.] Noster moderatus & sobrius vbi se tenui cænâ citò refecit, ac somno recreauit, postridie surgit manè valentior & promtior ad opus, aliquandoq; poterit, velut παρεργῶς, aliud agens, nõ tanquam ad principem actionem, ad cænam lautiùs instructam redire, quum res & tempus anni ferent. Alia exemplaria legunt *soporem membra leuat*: sed malo *dedit* per præteritum, vt breuitas cænæ & somni, & ex ijs celeritas desurgẽdi magis appareat. Talis est prouerbialis sententia celeritatis Andr. Act. 2. Sc. 3. sed in æqualitate festinationis,

——*dictum ac factum, inuenerit aliquam caussam quam ob rem, &c.* Græcè, ἅμα ἔπος, ἅμα ἔργον.

Accedet.] Accedendi verbo significatur, incrementum non posse afferri deliciis consueris Asoti nostri, si qua aliquando necessitas & tempus flagitârit, quum ægroti & ingrauescentis ætatis homines, quicquid vsitati cibi appositum fuerit, fastidire soleant: nec alius cuiusquam nouitas potest excogitari, cuius nouâ dulcedine capiantur.

Præsumis.] Id est, tempestiuè sumis mollitiem, & robustus validusque dedisce delicatiori vitæ ante occasionem & ætatem talis cultus egentem. Gallicè. *Tu prens deuant qu'il soit temps trop tonaise.* Grauis infamiæ loco habebatur Spartæ, si quis videretur corpore nimis obeso propter iactatum senarium, παχεῖα γαστὴρ λεπτὸν ὀξύνει νόον *subtile pectus venter obesus hebetat*: mentis enim acies luxu hebescere solet. Plutarchus in apophthegmatis regum & ducũ memorat quendam Memmium Tribunum militum tali mollitie a Scipione Iuniore notatum, quum huic occurrissent illius iumenta

gemmatis poculis ex opere Tericlis onuſta: *Quamdiu*, inquit, *fueris adeò ſumptuoſus & delicatus? mihi, patriæq; te ad triginta dies, tibi ipſi per totam vitam reddidiſti inutilem.* Eadem vis eſt in verbo *præcipere*, Eclogâ tertiâ, *ſi lac præceperit æſtus.* Quo etiam vtitur Cic. Philip 13. *Præcipio gaudia ſuppliciorum veſtrorum.* Gall. *Ie me res iouis de vos peines & tourmens, deuant qu'ils vous ſoient aduenus.* Eadem vis eſt verbi Græci προσλαμβάνειν in hoc verſu Menãdri

Βελτίω ἀπαντήσας πράγματος προσλάμβανε,

Conſilium antepone cuiuis negotio.

Antiqui laudabant.] Ad hanc veterum frugalitatem pertinet locus Suetonij in Tiberio, capite trigeſimo quarto: *Et vt parſimoniam publicam exemplo quoque iuuaret, ſolemnibus ipſe canis pridianis ſæpè ac ſemeſa apposuit dimidiatum aprũ affirmans omnia eadem habere, quæ totũ.* Huc ſpectat quod de teneris carnibus dicetur Satyrâ quartâ ſequente. Plinius quoque libro octauo ſcribit Seruillium Rullum patrem illius Rulli, qui Cicerone Conſule leges Agrarias promulgauit, primum appoſuiſſe integrum aprum menſæ: contra quem luxum exclamat Iuuenalis Sat. 1.

-- ſed quis ferat iſtas
Luxuriæ ſordes? quanta eſt gula, quæ ſibi totos
Ponit apros!

Sed credo, &c.] Donatus Adelph. Act 1. Scen. 2. verſ. 70 *Credo, iam omnium tædebat*, addimus, inquit, ad ea, quæ apud nos parùm certa ſunt, aut *credo*, aut *puto*: vt hîc ſumendum videtur: ſed interdum εἰρωνικῶς, vt Eclogâ 3. Virg.

Tum credo, quum me arbuſtum videre Myconi.

Hac mente.] Ita loquitur Sat. 1. lib. 1.

-- hac mente laborem
Sese ferre ---

Ita quoque Cicero libro primo de Orat. *Ego autem hac eum mente fuiſſe defenderem*, pro voluntate & ſtudio, quod Gallicè redditur, *Mais ie croi qui c'eſtoit a ceſte intention & fin*: & illud Ciceronis, *Quand a moi i'oſerai bien maintenir qu'il auoit ceſte intention.*

Vitiatum.] Hoc verbum eſt διασαφηστικὸν illius ſuperioris, *rancidum.* Vitium enim communiter attinet ad quamlibet corruptionem ſiue animi, ſiue corporis, ſiue alîus rei: ideoque hæc geminantur in oratione pro Seſtio: *Comitiorum & concionum ꝓgniſi ationes nonnunquam vitiatæ & corruptæ dicuntur.* Rancor igitur eſt Græcis ὁ ἰχώρ, qui definitur ὑγρότης σεσηπυῖα, ἢ τῆξις σαρκὸς, id eſt, *ſitus & putris humor, vel tabiſica carnis corruptio.* Sed hic rancor etiam σῆψις poteſt dici: quamuis hæc vox Græca, vt & Latina putredo, ad aliud, atque ad carnem transferatur; vt ad rubiginem, æruginem in metallis, ad cariem in lignis.

Heroas.] De his lege Od. 12. l. 1.

Tellus prima.] Hoc videtur intelligendum de primatu originis, quem Heſiodi Theogonia ſic docet:

Ἤτοι μὲν πρώτιστα Χάος γένετ', αὐτὰρ ἔπειτα
Γαῖ' εὐρύστερνος. 1.

Primò quidem omnium Chaos fuit: at deinde tellus lato pectore prædita.

Das aliquid famæ.] Dare aliquid famæ, eſt habere aliquam boni nominis rationem, & integræ exiſtimationi aliquantum conſulere, quam ſapiens Salomon docet omnibus diuitijs anteferendam, capite vigeſimo ſecundo Prouerbiorum, acſimiliter enunciat noſtro Poetæ, *Nomen bonum magis eſt eligendum, quàm diuitiæ multæ, & quàm argentum, & quàm aurum, magis eſt eligenda gratia bona*, id eſt, fauor ac beneuolentia hominũ, quæ perpetuò comes eſt boni nominis ac famæ: vnde hic ſenarius Græcus emanauit.

Καλὸς ἀκούειν μᾶλλον, ἢ πλουτεῖν θέλε.

Malis honeſtè audire, quàm diteſcere.

Grandes rhombi.] De hoc genere piſcis dictum eſt in Gramm. 2 Epod.

Patinaq;.] Patina dicitur, quia patula eſt, ampla, & lata: vnde Perſius, vt hic, grandes patinas vocauit, quomodo anteà dicit magno catino porrectum: ſic Græci definiunt λεκανίδιον, ἀγγεῖον παροψοφόρον, πλάτυ, ἐκπετάλον, id eſt, *vas eſcarium latum & extentum.* Ad Latinam huius vocis, *patinæ*, rationem poteſt accedere Græca, tanquam verior, vt cadat a πατάνη, quæ ponitur inter culinaria vaſa, ſicut *patella* reſpondet Græco πατάνιον.

Iratum patruum.] In cuius tutelam traditus es, cui nõ minùs quàm patri eſt obſequendum: quia eſt πατράδελφος *frater patris*, dictus, vt placet Feſto, a Græco φράτωρ, ἢ φρήτωρ, quòd ſit ferè alter.

Quum deerit.] Hoc Gallicè redditur, *quand tu n'auras pas ſeulement vaillant vne corde pour te pendre*: quod dici poteſt aliter Latinè, quum res ad vilem aſſem, vel, vt loquitur Terentius Phormionis 4. 4. 5. *quum res ad reſtim redibit planiſſimè.* Sed de aſſe vide Grammat. Satyr. 1. lib. 1.

Thraſius.] Hic Thraſius fuit quidam decoctor & profuſus nepos: quem equidem conijcio ab effrænata & impudenti audacia ad pecuniam dilapidandam nominatum, & tam acri obiurgatione dignum maximè: cui cenſus multò eſt maior quotidianis ſumptibus, atque adeò tantus, qui ſufficiat trium regum impenſis in res ipſorum agendis.

Iurgatur, &c.] Rectè dixit *iure iurgatur.* Nam Varroni *iurgare* ab iure dictum videtur, *quum quis iure litigaret, a quo obiurgatus is, qui facit id iniuſtè*: alij Grammatici e coniunctione vocum *iure* & *agere* declinant, tanquam diceret *iuragium*, vt alibi notaui: ſed Aſotus ait non ita caſtigandum, vt *iurgare* ſit agere de iure & cõtendere. Sed Nonius Marcell. e lib. 4. de Rep. diſtinguere videtur iurgium a lite, *ſi iurgant*, inquit, *benevolorum concertatio, non lis inimicorum, iurgium dicitur*, ex eodem libro, *iurgare igitur lex putat inter ſe vicinos, non litigare.* Varro ibidem exiſtimat, rem in controuerſia poſitam propriè dici litem: qui quamuis præcipiat, *obiurgare* dici de iurgio iniuſto, hîc tamen *iurgatur* paſſiuum pro *obiurgatur*, accipiendum eſt. Pro *iurgare* Donatus docet Terentium dicere in Andr. Act. Sc. 4. *commutare verba cum aliquo*: & in Phorm. *commutare verba inter aliquos*, & interpretatur altercari, habere iurgium, & iurgare: de quo vide Agellium, libro decimo ſeptimo, capite ſecundo.

Vectigalia.] Vectigal notæ eſt originis iam inde vſque pendi ſolitum, quum ruſtici fructus primùm, merces deinde & res aliæ externis e regionibus conueherentur in vrbes: ſed hîc intelligitur priuatus cenſus atque prouentus, quem priuati e ſuis fundis ac prædijs important in ſuas ædes ruſticas vel vrbanas. Eadem ratio eſt vocum Græcarum φόρος ἢ ἐπφόρεον.

Quod ſuperat.] Eleganter hoc verbum abſolutè vſurpatur pro ſuperabundat & ſupereſt, & ita Cicero loquitur de Finibus. *De eo quod ipſi ſuperat, alijs gratificari volunt.*

Non eſt melius.] Id eſt, non eſt res vtilior, in quam tu inſumas melius tantùm opulentiæ reliquæ, quàm in ſumptuoſas cænas & conuiuia minimè neceſſaria?

Eget indignus.] Qui indignè & immeritò incidit in paupertatem, immeritaque premitur egeſtate. Hunc verſum Seruius citat & interpretatur in hunc locum Aeneidos 6. *nec partem poſuere ſuis, &c.* Indignus

gnus scilicet paupertate. Vbi docet dignis esse largiendum e lib. Cic. de legibus.

Quare templa.] De neglecta templorum instauratione & contemto Deorum cultu grauiter Romanos iam punitos, ac rursus punitum iri monet Od. 6. lib. 3. donec templa refecerint, e quorum ornamentis Ptolemæus Philadelphus a Theocrito mirificè celebratur Idyl. 13.

Vni nimirum.] Tu solus inter homines constanti & immutabili fortunâ fruêris? tibíne soli omnia semper benè & commodè cedent?

Assuêrit.] Hic συνεργηστικῶς sumitur, quod rarissimum est, pro assuefecerit, & contractè pro assueuerit.

Aptârit.] Id est, qui ad omnes dubios vitæ casus res necessarias præparârit, quum sibi rectè videbatur esse. Vt sapiens hæc sententia Sophoclis in Philoct. valdè est a Latinis celebrata.

Χρὴ δ' ἐπίσος ὄυσα πημάτων, τὰ δεῖν ὁρᾷν
Χ' ὅταν τὶς εὖ ζῇ, τλωπαῦτα τ' βίον
Σκοπεῖν μάλιστα μὴ διαφθαρεὶς λάθῃ.

Ei, qui nullis in malis versatur, prospicienda
mala sunt futura: & quum aliquis vitâ fruitur
quietâ, tũ ipsi est prouidendũ, ne incautè opprimatur.

quod Terent. in Phorm. Act. 2. Scen. 1. sic expressit, *Quamobrem omnes, quum secundæ res sunt maximè, tùm maximè meditari secum oportet, quo pacto aduersam ærumnam ferant:* quem quidem locum Cicer. 3. Tuscul. scribit a Terentio commodè de philosophia sumptum, & nos indidem a nostro Poeta. Sic Seneca Epist. 71. ad Lucil. *vis aduersus hoc corpus liber esse? tanquam migraturus habita: propone tibi quandoq; hoc contubernio carendum, fortior eris ad necessitatem exeundi.*

Accisis.] Id est, vehementer imminutis & afflictis rebus, vel vocabulo magis opposito, integris rebus omnino consumtis & perditis. Seruius in hunc vers. Aeneid. 7. *accisis coget dapibus cõsumere mensas.* interpretatur, vndiq; consumtis, additq;, & hoc est apud nos τὸ ἀμφί: hinc est, *An sancti valles,* vndique sancti. Sic Suet. in Tib. c. 34. *merendes Scenicorũ recidere.* & in Calig. 44. *Commoda emeritæ militiæ recudere.* Gall. *retrancher les profitz.*

Fortem mercede.] Ofellus ab Augusto proscriptus fuerat: quia partes Bruti & Cassij secutus esset. Sed posteà partem pristinæ possessionis aliquam mercede conduxit ab Vmbreno Augusti milite, donatione ipsius & assignatione herede: quam partem sic fortiter tum colebat Ofellus, vt perpetuam vitæ, tenuiter priùs actæ rebus integris, rationem videres nihil immutatam in ijsdem perditis. Agri diuisi & assignati centuriæ & formæ solebant metis ac limitibus circumscribi & concludi, quod metari dicebatur: sicut Turnebus doctè annotauit: vnde metato videtur opponi immenso agro: atque melior lectio, *lautius,* quàm *latiùs.*

Non ego.] Repete ex antecedente *noui,* vel, videas Ofellum narrantem hæc, *non ego edi tempore, &c.*

Cum pede perna.] Perna deflectitur à voce Graeca πέρνα, quæ sonat externum ossis tibialis, & hic, *cum pede pernæ* valet coxam suillam, quæ communi Græcis & Latinis vocabulo dicitur πεταστὼν, όνος. petasum & petasunculum apud Mart. & Iuuenal.

Operum vacuo.] Id est, quum hospes longo pòst tempore inuisit me, quo solent gratiores venire, vel vicinus aliquis cõuiua etiam me adit immunem & vacuũ ab opere, propter impedimenta vel pluuiæ, vel propter aliam cæli inclementiam. Notanda est hæc Poetica syntaxis, hospes venerat mihi, pro oratoria, ad me: deinde vacuo operum est altera syntaxis rarissima, pro vacuo ab operibus, vel sine præpositione, quæ posterior est longè vsitatissima.

Benè erat.] Sic loquutus est Ode 16. libr. 3. *benè est, cui Deus obtulit parcâ, quod satis est, manu,* id est, benè viuit & optimè cum eo agitur: vt hîc: satis mihi videbatur magnificum conuiuium facili & parabili cibo tenuiter instructum.

Nux.] Nux arbor dicitur a nocendo, quòd ipsius vmbra vel stillicidium vicinis plãtis officiat, vt Græcum κάρυον ἐστὶ κεφαλαλγές, *caput grauet,* vt scribit Plin. l. 15. c. 22. Pinus contrà prosit.

Ornabat mensas.] Quod quidam annotant in hunc locum, in mensis secundis non cibis, sed poculis tantùm indulgeri, Athenæus refutat lib. 14. vt dictum est in Gram. Od. 5. l. 4.

Duplice ficu.] Quum ficus multiplex sit. σύκων γὰρ ἡ μὲν μέλαινα Theophrasto lib. 1 de hist. plantarum. ἡ δ' λευκὴ, ἡ δ' ἄγρια, ficus est alia nigra, alia marina, alia sylueſtris: Dioscorides lib. 1. cap. 184. alia est marina, de qua Plinius l. 15. c. 18. vbi numerantur viginti nouem genera ficuum: cuius varia etiam genera vide apud Macrobiũ lib. 3. cap. 20. vbi biferæ meminit: sicut Columella biferæ & triferæ l. 5. c. 15. Dio narrat Liuiam in suspicionem venisse, quasi infecisset ficus, quibus Augustus oblectabatur, quum videret reconciliatum ei Agrippam nepotem. De hoc genere puto hîc intelligendum: quum, inquam, hæc planta videatur tam multiplex & varia, vix potest quisquam statuere de quibus hîc agatur: tantùm admonere possum edulia & escularia intelligenda esse hæc duo genera ex vinteribus bellarijs, nisi malis locum intelligere de ficubus conditis amplioris formæ, quemadmodum Seruius interpretatur vers. 3. Georg.

At duplex agitur per lũbos spina, i. *lata.* & alterũ. 1 Georg.

Binæ aures, duplici aptantur dentalia dorso, id est, *lato.*

aut re verâ vtrumq; duplex, ait Interpres, vt Gallicè dicitur de obesis & crassis, *qui ont double menton, au lieu de dire, ils ont rebondu, Gras & en bon poinct.*

Post hoc.] Sensus duplex elicitur e duplici lectione: e communi, *culpâ* significatur, si quis e conuiuis inter epulas quid peccasset, in eum inquiri solitum iocosè post cibos & animaduersâ & notatâ ipsius culpâ, eum cogi ad exhauriendum calicem arbitrio sodalitatis, & hac solâ lege & conditione comportatio erat coacta. Quidam tamen explicant hîc *culpâ magistrâ,* ebrietate præside, quæ initiò proponebatur vitanda: in quam si quis fortè pòst incidisset, a sodalitate puniebatur. Quòd si legeris *cuppâ,* sensus erit nullum fuisse arbitrum & magistrum conuiuij, qui præscriberet bibendi modum, nec cogeret præter ipsam cuppam & calicem, in quo nulla erat vis cogendi, nisi ludus ille obseruati peccati interueniret: quæ lectio videtur melior, vt nixa veterum consuetudine, qui, sicut refert è Seneca Turnebus, post prandium aut cænam bibere vulgò solebant.

Venerata.] Παθητικῶς sumendum est pro culta: sic venerandus apud Ciceron. 2. Oratione pro lege Agr. *Non eos in Deorum immortalium numero venerandos a nobis & colendos putatis?* ita Sibylla venerata dicitur cursus dare secundos lib. 3. Aeneid. vers. 46. veteres enim venero, as, & aduenero, quasi veniam oro dixerunt. Huiusmodi autem veneratio post epulas fiebat libatione in honorem alicuius Deastri & cum imitatione sodalium, paterâ manu acceptâ

Explicuit.] Id est, festa Cerealia inuitârunt nos ad Genium exhilarandum, ad frontem exporrigendam & explicandam, quæ contracta fuerat grauium & seriarum rerum curatione. Pro *explicare frontem* sic ipse

dicit Epiſt. 18. lib 1. *deme ſupercilio nubē.* & Terent. in Adelph. Act. 5. Sc. 4. *exporrigere frontem*: ſic vſurpauit Sat. 1. l. 1. *feria* ſubſtantiuè:

Sed tamen amoto quæramus feria ludo.

Parciùs nituiſtis.] Id eſt, minùs honeſtè & mundè tractati eſtis, poſtquam Vmbren⁹ factus eſt ſucceſſor meus ab Auguſto & dominus meorum bonorum.

Aut nequities.] Inertia & luxus & intemperantia & & ignoratio callidi iuris, quam poſſemus iuris imprudentiam, vt iuris prudentiam, dicere.

Vafer.] Vt Grammatici tradunt, dicitur quaſi valde Afer, propter inſitam genti Africanæ calliditatem, igitur dicitur ſolùm de perſonis.

Nam propria.] Hanc quidem Stoicorum ſententiam Cicero paradoxo 4. vſurpauit in P. Clodium: *nihil neque meum eſt, neque cuiuſquā, quod auferri, quod eripi, quod amitti poteſt.* Eandem quoque Valerius Maximus ſcribit Biantem re ac verbis confirmaſſe: *Bias*, ait, *quum patriam eius Priennem hoſtes invaſiſſent, omnibus, quos modò ſaluta belli incolumes abire paſſa fuerat, pretioſarum rerum pondere onuſtis fugientibus, interrogatus, quid ita nihil ex bonis ſuis ſecum ferret? ego, inquit, verò bona mecum porto. Pectore enim illa geſtabat, non humeris, non oculis viſenda, ſed æſtimanda animo: quæ domicilio mentis incluſa, nec mortalium, nec Deorum manibus labefactari queunt: & vt manentibus proſtò ſunt: ita fugentes non deſerunt:* De vi autem vocis *propriis* dicetur Satyrâ 6. ſequente, ſi Deus voluerit. Ad hanc autem inconſtantiam & temeritatem Fortunæ poſſum è Dyſcolo Menandri proferre hanc medicam cohortationem.

Τὶ αὖ φθονοῦμεν, ὦ πάτερ, τούτῳ τινὶ;
Αὐτὴ γὰρ ἄλλῳ τυχὸν ἀναξίῳ τινὶ
Γαρελομένη σε πάντα προδώσει πάλιν,
Διόπερ ἐγὼ σέ φημι λεῖν ὅσον χρόνον
Εἶ πύριος, χρῆσθαί σε γενναίως, πάτερ,
Αὐτὸν ἐπιπόρειν πᾶσιν, εὐπόρους ποιεῖν,
Ὡς αὐ λιῶν πλείστους λιὰ σαυτοῦ.
Τοῦτο γὰρ ἀβαύστατον, κἂν ποτε πταίσας τύχῃς,
Ἐκεῖθεν ἔσται ταυτὸ τοῦτ' ὀσοὶ πάλιν.

Cur hæc, pater, bona cuiquam inuides?
Ipſa enim Fortuna indigniſſimo cuiq; fortè oblato
Tibi detracta omnia rurſus addicet.
Quare tibi ſuadeo, vt tu tantiſper, dū horū es dominus,
Hu vtaris ingenuè ad omnes iuuandos & locupletandos
Quàm plurimos, quoad fieri per te poterit.
Hoc.n eſt bonū æternum & ſempiternū: quòd ſi quando
In calamitates incideris, ab illis tibi par referetur.

Nunc alij.] Hæc ſyſtole pugnat cum regulis Grammaticorum, qui docent caſum dandi vocis *alius* producere mediam, ait Xylander: ſed qui ſint iſti Grammatici nondum noui: qui autem dixerunt alius in caſu gignendi, noui plurimos.

Explicatio Rhetorica.

LVxurioſos, vt iam dixi, aggreditur alieno nomine per ironiam, ex qua intelligendi ſunt omnes aroti, id eſt, homines luxurioſi ac diſſoluti, quos hîc ſtudet ad temperantiam & frugalitatem reuocare, qui ſenſus mihi probatur magis, quàm ſi ad homines iam moderatos referatur, aut *bonis* legatur.

b Translatum eſt ab ingenijs ruſticorum nullâ eruditione, nec humānitate cultis & politis. Propriè enim ruſticus eſt, qui rure viuit: vnde Virg. 2. Georg. *acrem ruſticum* appellat, & hic ipſe Epiſt. 13. lib. 1.

Faſciculum portes librorum, vt ruſticus agnum.

Simili tropo Stoici dicuntur ruſtici Epiſt. 19. lib. 15. ad Fam.

c Idem tropus ab imperitis fabris, qui non rectè nōrunt opus ſuum ad normam & regulam dirigere, nec ad artis præſcriptionem lineam ducere.

d Metonymia eſt cauſſæ pro eruditione & literis, quarum auctor creditur Pallas. Vides, Lector, vt ſæpè monui, e tropis ferè omnia depromi adagia, nec horum artem eſſe ſeparatam.

e Allegoria eſt è continuatis metaphoris a corpore ad animum, cuius mens & iudicium luxuriâ ſplendidarum epularum vitiatur & corrumpitur, & acies illius perſtringitur, ne poſſit rectè vti ratione: ideoque dicit inſanos fulgores per metonymiam effecti pro efficiente conuiuas inſanire: quod ita malo explicare, quàm *magnis*, quanquam ſcio Ciceronem dicere *inſanas ſubſtructiones* & Virg. *fluctus inſanos.*

f Alia eſt metaphora ab aurificum ſtatera, quâ cuiuſque ponderis momentum æſtimatur & ponderatur, iuſtúmne ſit an iniquum.

g Metaphora ſatis nota pro venatione.

h Metonymia pro equitatione.

i Modificatum eſt hoc verbum per ſimilitudinem, ſiue illud accipias de leuioribus Græcorum ludis, ſiue de largioribus eorūdem poculis: attamen hîc de prioribus ſatis conſtat intelligendum.

k Apoſtrophe quædam eſt ab omnibus luxurioſis ad vnum ſingularem: ac prætereà datur hîc motus & ſenſus rei inanimatæ per metaphoram, pro, ſi ſtudio diſci & illius iactu duceris & delectaris. Eſt inſuper in *ſeu* anaphora.

l Non hoc etiam caret ſuâ translatione a fabris ferrariis, qui multis tuditum & incudis ictibus duritiem, craſſitiemq; metallorum ducunt in laminas & quaslibet formas: vnde difficultas faſtidij diſcutiendi perſpicitur.

m Ironia, eaq; iocoſa ad demōſtrandum auidiſſimè primum quemq; cibum, etiam viliſſimum, arripi ab homine famelico & fatigato.

n In, *mella diluto Falerno*, nónulli putant hypallagen eſſe pro Falernum Hymettio melle dilutum: ego verò nihil in notione verborum immutatum, neque conformatum in ſententia, vt monui in Gram. Od. 1. l. 1. video: ſed eſt inuerſa tantùm ſyntaxis vocum, pro, ne biberis Falernum (vinum auſterum) niſi dulceſcat dilutum melle Hymettio.

o In *foris eſt* obliqua eſt proſopopœia cuiuſdem ancillæ vel ſerui ſic loquentis.

p Metaphora etiam eſt ab ea parte anni, quâ mare magis eſt procelloſum & vehementioribus vndis ac fluctibus agitatur: cuius quidem vocis tropo Auſonius vtitur in ſuo carmine ad Theodoſium, *in ſanū quamvis hyemet mare*, pro, grauiter iraſcatur, ventis agitetur & turbetur, cœloq; miſceatur: quod Græcè dicitur πόντος κυμαίνει, ἢ μεγάλῳ πνεύματι κυμαίνεται τὸ πέλαγος ἢ χειμάζεται. Hyems quoque ſic τροπικῶς accipi debet in hoc 2. Aeneid loco:

Sæpè illos aſpera ponti
Intercludit hyems.

id eſt, tempeſtas & vis ventorum intercludit iter: Quem quidem locum, ne de tempore hyberno interpretemur, facit annotatio Donati ibidem, *Non conſilium facto, ſed eventus voluntati defuit*: temporis enim hyberni inclementiæ longè proſpicere potuiſſent, ſed orituræ tempeſtati conſulere nequiſſent. Alioqui propriè eſt Hybernare, in ſtatione rigidum illud tempus conſumere, vt loquutus eſt Epiſt. decima ſeptima libri primi. *Mercator hyemat in vndis mediis*, & Cic. pro Fonteio, *Pompeius hyemauit in Gallia*: quod eſt Græcis διαχειμάζειν.

q Sumtum

q Sumtum est a canibus, quorum latratibus similiter intestina murmurant ieiunitate & inediâ.

r Synecdochica est Periphrasis hominis crudi, qui se cibis & poculentis ingurgitare solet, vnde Nonius pinguem interpretatur impeditum atque ineptum.

s In *ostrea, Scarus & lagoù*, quædam est allegoria ex synecdochis continuatis pro piscibus exquisitis, auibusque delicatis.

t Sumtum est ab eluentibus sordes corporum, quibus similes sunt interdum humores, dentibus, gingivis, linguæ & palato, tanquam diceres, infarti, quos suauis alicuius cibi succus & sapor eluere solet.

u Synecdoche est periphrastica generis pro pauone.

x Similis est tropus pro, ad saporem cibi & ad gustum valeat pluma picta.

y Video hoc ductum ab hominibus ad bestias & res inanimas, vt hîc ad pulcritudinem & decus versicolorum plumarum in pauone.

z Concessio est, quâ remittit & concedit asoto præstantiam carnis pauoniæ.

aa Synecdoche est periphrastica Tiberis fluminis.

bb Est hîc quædam epiphonematica repetitio illius, *Verùm hic impransi &c:*

cc In *Magno, Magnum*, manifestum est polyptoton.

dd Synecdoche est membri pro helluone, qui meretur direptionê aut certè inquinamentum cænę suæ.

ee Apostrophe est ad pestilentes ventos & nocentes, vt dapes huius helluonis putrefaciant cui adiuncta est ironia in *coquite* pro corrumpite & putrefacite: quum nulla μαγειρικὴ Δεδαπαλίκι, *ars culinaria possit ei satisfacere*, nisi malis explicare, vt paruus Scholiastes Homeri versum Calchantis ἰλιάδι α.

Εἰπερ γὰρ τε χόλον γε διὰ αὐτῆμαρ κατατέψει, *quamuis enim iram etiam eodem die decoxerit*, id est, κατέχει διὰ νύκτα δαπανήσει, *detinuerit & absumserit*: vbi etiam illi annotat esse metaphoram a cibis, qui diu detinetur in ventre, propter concoctionem, quæ illic fit.

ff Epanorthosis est superioris precationis correctio.

gg Metaphora ab animatis, vt canibus, furibus, auibus ad inanima: vt Plaut. dicit abigere lassitudinem. pro, reges & diuites nondum desierant frugali & moderatâ vti mensâ.

hh Metonymia est subiecti pro rebus vilis pretij: quia paupertatis perpetuò est comes tenuissimus & vilissimus victus.

ii Synecdoche speciei pro quibusque splendidissimè & regio more viuentibus.

kk In *ouu* & *oleu* synecdoche est pro vilissimo cibo, qualis anteà fuit in *ostrea*.

ll Synecdoche est generis pro Sempronio Rufo.

mm Sumtum a formis Rerump. vbi sunt magistratus, qui decreris & edictis aliquid sanciunt, quod sit vel faciendum vel vitandum: quasi in Opsonophagia sint Præturæ ac præfecturæ cibariæ.

nn Metonymia est adiuncti pro iuuenibus.

oo Polyptoton est, quia cadit vtrumque ex eadem origine, vt citauimus in Gramm. Sat. 3. l. 1. e Cicerone: *In quo non magna laus est vitare vitium.* Non ignoro tamen præter hanc dictionis figuram posse agnosci etiam tropum, quem Donatus in prologum Hecyræ initiò sic annotauit: *Nouum interuenit vitium & calamitas. Translatio est ab augurio: vitium est, si tonet tantùm: vitium & calamitas, si tonet & grandinet simul & etiam fulminet*: quo modo dicit vitio creari Consules, quũ malum editur omen, & fabulam vitio agi, quum non spectata est: calamitate, quum non est cognita.

pp Synecdoche generis pro brassica, vt constat è definitione caulis in postremis Grammaticis adhibita.

qq Allegoria est ex omnibus translatis, quâ via lubrica & periculosi modi tenendi significatur, ne vel ad luxum, vel ad sordes relabaris.

rr Synecdoche generis pro luxu.

ss Idem tropus pro magna ciborum varietate & condimentorum: quam priùs malam copiam vocavit.

tt Anaphora est.

uu Metonymia est effecti pro efficiente conuiuas dubios & incertos, quid primum vel sumant vel expetant.

xx Synecdoche est generis pro helluatione, crapula & ingluuie hesterna.

yy In *prægrauat* & *affligit humo* metaphorica & simul synecdochica periphrasis est morbi ἐξ οἰνοφλυγίας καὶ τῆς ἄλλης ἀκολασίας, quâ corpus & animus grauatur.

zz Periphrasis itidem est synecdochica τῆς διανοίας, mentis & iudicij & reliquarum animi facultatum.

**a* Eadem periphrasis senectutis.

**b* Senecdoche integri pro aprugna, id est, sylueſtri carne suilla, de qua fuit Od. 13. l. 3.

**c* Metonymia est subiecti pro adiuncta facultate odorandi & sagacitate, quâ valebant antiqui: qualis fuit tropus in *suspendat naso* Sat. 6. lib. 1. sed aliud adiunctum.

**d* Exclamatio est optantis auream primorum hominum ætatem vitæ suæ restitutam.

**e* Polyptoton est.

**f* Procataleptis est obiecti, cum breui cuiusdam asoti prosopopœia, quæ statim deponitur ad hæc verba: *Ergo quod superest &c:*

**g* Exclamatio est prospicientis miserum huius luxuriosi statum futurum.

**h* Hæc dicuntur συνεκδοχικῶς pro rebus aduersis & secundis, quæ vtroque tempore hominibus accidunt.

*i** Accessus est ad prosopopœiam alteram.

**k* Iam Ofellus reliquum habet Satyræ sermonem, vbi ad hæc verba, *O puteri*, auertit sermonem ad ministros, ac dialogismum cum illis instituit, quem antecedit permissio ad illudendam Fortunæ temeritatem. Ne quis tamen hîc putaret propter hæc verba initiò posita:

Nec meum hic sermo est, sed quem præcepit Ofellus:

nullam hîc esse nouam prosopopœiam, placuit admonere, hanc de temperantia & mediocritate doctrinam vitâ quidem & moribus Ofelli expressam: sed scripto a Poeta mandatam: qui hunc sub finem sermonis facit sic loquentem.

**l* Metaphora est, qualis fuit Od. 29. l. 3 *sollicitam explicuêre frontem*: quomodo sumitur interdum τὸ διαπλῶσαι eiusdem notionis apud Græcos, quod proprie sonat dissolutionem & apertionem eius, quod erat priùs complicatum & clausum.

**m* Synecdoche generis pro abegit omnes curas & molestias, & pristinas calamitates nobis obliuione deleuit Ceres rogata.

**n* Synecdoche est altera generis pro Vmbreno successore Ofelli, qui mox nominatim appellabitur.

**o* Polyptoton ex eadem origine cadens dictio.

SATYRA TERTIA.

Theticum Stoicum, *omnes stultos insanire*, agitatur hîc a Iunio Damasippo, qui è mercatore factus fuerat Stoicus, operâ Stertinii Philosophi, cuius personâ videtur Horatius vti & ad facetè illudendam Stoicorum sui temporis arrogantem de sapientia persuasionem, & ad omnes omnino homines insaniæ conuincendos & condemnandos.

Sic rarò scribis, vt toto non quater anno
Membranam poscas, scriptorum quæq; retexes,
Iratus tibi, quòd vini, somniq; benignus,
Nil dignum b *sermone canas. Quid fiet? 2. ab ipsis*
Saturnalibus huc fugisti. 3. Sobrius ergo
Dic aliquid dignum promissis: incipe: nil est:
4. Culpantur frustra calami: immeritusq; c *laborat*
Iratis natus paries Dis atq; Poetis.
Atqui vultus erat multa & præclara minantis,
5. Si vacuum tepido cepisset villula tecto.
6. Quorsum d *pertinuit* e *stipare Platona Menandro?*
Eupolin, Archilochum, comites educere tantos?
7. f *Inuidiam placare paras, virtute relictâ?*
Contemnêre miser: vitanda est improba g *Siren*
Desidia: aut quicquid vitâ meliore parâsti,
Ponendum æquo animo. 8. h *Dî te, Damasippe, Deæq;*
Verum ob consilium donent tonsore! Sed vnde
Tam benè me nôsti? Postquam omnis res mea i *Ianum*
Ad medium k *fracta est, aliena negotia curo,*
Excussus proprijs: 9. olim nam quærere amabam,
Quo vafer ille pedes lauisset Sisyphus l *ære:*
Quid sculptum infabrè: quid fusum duriùs esset.
Callidus huic signo ponebam m *millia centum:*
Hortos, egregiasq; domos, mercarier vnus
Cum lucro nôram: vnde frequentia Mercuriale
Imposuêre mihi cognomen n *compita. 10. Noui,*
Et o *morbi miror p[illegible]rgatum te illius. 11. Atqui*
Emouit veterem mirè nouus, vt solet, in cor
Traiecto lateris miseri capitisq; dolore:
Vt lethargicus hic quum sit p *pugil, & Medicũ urget.*
12. Dũ ne quid simile huic; esto, vt libet. O bone, ne te
Frustrere: 13. Insanis & tu, stultiq; propè omnes,
q *Si quid Stertinius veri crepat: vnde ego mira*
Descripsi docilis præcepta hæc, tempore, quo me
Solatus iussit r *sapientem* s *pascere barbam:*
Atq; a Fabricio non tristem ponte reuerti.
Nam malè re gestâ quum vellem mittere operto
Me capite in t *flumen,* u *dexter stetit, & caue, faxis*
Te quicquam indignũ: pudor, inquit, te malus urget
Insanos qui inter vereare insanus haberi.
Primùm nam inquirã, quid sit furere: hoc si erit in te
Solo; nil verbi: pereas quin fortiter, addam.
14. Quem x *mala stultitia, & quæcunq; inscitia veri*
Cæcum agit; insanum Chrysippi y *porticus & z grex*
Autumat: 15. aa *hæc populos, hæc magnos* bb *formula Reges,*
Excepto sapiente, tenet. 16. Nunc accipe, quare
Desipiant omnes, æquè ac tu: qui tibi nomen
Insani posuêre. 17. Velut syluis, vbi passim
cc *Palantes error certo de tramite pellit:*
Ille sinistrorsum, hic dextrorsum abit: vnus vtriq;
Error: sed varijs illudit partibus: hoc te
Crede modo insanum: nihilo vt sapientior ille,
Qui te deridet, caudam trahat. 18. Est genus vnum
Stultitiæ nihilum metuenda timentis: dd *vt ignes,*
Vt rupes, fluuiosq; in campo obstare queratur.
Alterum & huic varium & nihilo sapientius, ignes
Per medios, fluuiosq; ruentis. Clamet amica,
Mater, honesta soror, cum cognatis, pater, vxor:
10 ee *Hîc fossa est ingens: hîc rupes maxima: serua:*
Non magis audierit, quàm Fusius ebrius olim,
Quum ff *Ilionam edormit Cattenis* gg *mille ducẽtis,*
Mater te appello, clamantibus. 19. Huic ego vulgum
Errori similem cunctum insanire docebo.
Insanit veteres statuas Damasippus emendo:
Integer est mentis Damasippi creditor? hh *Esto:*
Accipe, quod nunquam reddas mihi, si tibi dicam:
Tùne insanus eris, si acceperis: an magis excors
20 *Reiectâ prædâ, quam præsens Mercurius fert?*
Scribe decem a Nerio: non est satis: adde Cicutæ
ii *Nodosi tabulas* kk *centum: mille adde catenas:*
Effugiet tamen hæc sceleratus vincula ll *Proteus.*
Quum rapies mm *in tus malis ridentem alienis;*
Fiet aper: modò auis: modò saxũ, &, quũ volet, arbor.
20. Si malè rem gerere insani est: contrà, benè, sani.
Putidius multò nn *cerebrum est, mihi crede, Perilli,*
Dictantis, quod tu nunquam rescribere possis.
30 *21.* oo *Audire atq; togam iubeo componere,* pp *quis-*
Ambitione malâ, aut argenti pallet amore: (*quis*
Quisquis luxuriâ, tristiue superstitione,
Aut alio mentis morbo calet: huc propius me,
Dum doceo insanire omnes, vos ordine adite.
Danda est hellebori multò pars maxima auaris:
Nescio, an qq *Anticyram ratio illis destinet omnem.*
Heredes Staberî summam incidêre sepulcro.
Ni sic fecissent, gladiatorum dare centum
40 *Damnati populo paria, atq; epulum arbitrio Arrî:*
Frumenti, quantum metit rr *Africa: siue ego prauè,*
Seu rectè, hoc volui: ne sis ss *patruus mihi. Credo,*
Hoc Staberî prudentem animum voluisse. Quid ergo
tt *Sensit, quum summam patrimonî insculpere saxo*
Heredes voluit? Quoad vixit; credidit ingens
Pauperiem vitium, & cauit nihil acriùs: vt si
Fortè minùs locuples vno quadrante periret,
50 *Ipse videretur sibi nequior. Omnis enim res,*
Virtus, fama, decus, diuinaq; humanaq; pulcris
Diuitijs parent: quas qui uu *construxerit, ille*
Clarus erit, fortis, iustus, sapiens etiam & rex,
Et quicquid volet. Hoc veluti virtute paratum,
Sperauit magna laudi fore. 22. Quid simile isti
Græcus Aristippus? qui seruos proijcere xx *aurum*
In media iussit Libya, quia tardius irent

Propter

Propter onus segnes. Vter est insanior horum?
Nil agit exemplum litem quod lite resoluit.
23. Si quis emat citharas: emtas comportet in vnum,
Nec studio citharæ, nec Musæ deditus vlli:
Si scalpra & formas non-sutor: nautica vela
Auersus mercaturis, delirus & amens
Vndique dicatur meritò. Quid discrepat istis,
Qui nummos aurumq; recondit, nescius vti
Compositis, metuensq; velut contingere sacrum?
24. yy Si quis ad ingentē frumenti semper acervum
Porrectus vigilet cum longo fuste: neque illinc
Audeat esuriens dominus contingere granum:
Ac potiùs foliis parcus vescatur amaris:
Si positis intus Chij veterisq; Falerni
Mille cadis; zz nihil est, ter centum millibus; acre
Potet acetum: age, si & stramentis incubet, vnde
Octoginta annos natus, cui stragula vestis,
Blattarum ac tinearum epulæ, putrescat in arca:
Nimirum insanus paucis videatur, eò quòd
Maxima pars hominum *a morbo iactatur eodem.
25. Filius, aut etiam libertus vt ebibat heres,
*b Dis inimice senex custodis, ne tibi desit?
Quantulum enim summæ curtabit quisq; dierum,
Vngere si *c caules oleo meliore, caputque
Cœperis impexâ fœdum porrigine? 26 Quare,
Si quiduis satis est, periuras, surripis, aufers
Vndique? tún' sanus? 27. Populum si cædere saxis
Incipias seruósue tuos, quos ære parâris,
Insanum te omnes pueri clamentq; puellæ.
Quum laqueo vxorem interimis, matremq; veneno,
Incolumi *d capite es? quid enim? 28. neque tu hoc *e facis Argis,
Nec *f ferro, vt demens genetricem occidit Orestes.
29. An tu reris eum occisâ insanisse parente?
Ac non antè malis dementem actum Furiis, quàm
In matris iugulo *f ferrum tepefecit acutum?
Quin, ex quo est habitus malè-tutæ mentis Orestes,
Nil sanè fecit, quod tu reprendere possis.
Non Pyladem ferro violare, ausúsue sororem
Electram: tantùm maledicit vtriq;, vocando
Hanc Furiam, hunc aliud, iussit quod splendida bilis.
30. Pauper Opimius argenti positi intus & auri,
Qui Veientanum festis potare diebus
Campanâ solitus trullâ, vappamq; profestis:
Quondam lethargo grandi est oppressus; vt heres
Iam circum loculos & claues lætus, *g ouánsque
Curreret: hunc Medicus multùm celer, atq; fidelis
Excitat hoc pacto: mensam poni iubet, atque
*h Effundi saccos nummorum: accedere plures
Ad numerandū hominem sic erigit: *i addit & illud:
Ni tua custodis, auidus iam hoc auferet heres.
Mén viuo? Vt viuas igitur, vigila: hoc age, qd vis?
Deficient inopem *k venæ te, ni cibus, atque
Ingens accedat stomacho *l fultura ruenti.
Quid cessas? agedum, sume hoc ptisanarium oryzæ.
Quanti emtæ? paruo. Quanti ergo? octo assibus.
*m Eheu!
Quid refert, morbo, an furtis, pereámne rapinis?
31. n Quisnam igitur sanus? Qui non stultus. 32. Quid auarus?
Stultus & insanus. 33. Quid si quis non sit auarus,
Continuò sanus? Minimè. Cur Stoicè? Dicam.
34. Non est cardiacus (*o Craterum dixisse putato)
Hic æger: rectè est igitur? surgétq;? negabit:
Quòd latus aut renes *p morbo tententur acuto.
35. Non est periurus, neq; sordidus: *q immolet æquis
Hic porcum Laribus: verùm ambitiosus & audax;
Nauiget *r Anticyram. Quid enim differt barathróne
10 Dones, quicquid habes, an nunquam vtare paratis?
36. *s Ceruius Oppidius Canusî duo prædia diues,
Antiquo censu, natis dixisse duobus
Fertur: & hæc moriens pueris dixisse vocatis
Ad lectum: Postquam *t te talos, Aule, nucesq;
Ferre sinu laxo, donare & ludere vidi:
Te, Tiberi, numerare, cauis abscondere tristem:
Extimui, ne vos ageret vesania discors:
20 Tu Nomentanum, tu ne sequerere Cicutam.
Quare per diuos oratus vterq; Penates,
Tu caue, ne minuas: tu ne maius facias id,
Quod satis esse putat pater & natura coercet.
Prætereà ne vos *u titillet gloria, iure-
iurando obstringam ambo: vter Aedilis, fuerítue
Vestrûm Prætor: is intestabilis & *x sacer esto,
In cicere atque *y faba, bona tu, perdasq; lupinis,
37. Latus vt in Circo spatiere, aut æneus vt *z stes,
30 Nudus agris, nudus nummis, insane, paternis?
Scilicet vt plausus, quos fert Agrippa, feras tu
Astuta ingenuum vulpes imitate leonem?
38. a* Ne quis humasse velit Aiacē Atrida vetas cur?
Rex sum. Nil vltra quæro Plebeius. Aequam
Rem imperito, ac si cui videor non-iustus inulto
Dicere, quæ sentit, permitto. Maxime Regum
b* Dî tibi dent capta classem deducere Troiâ!
Ergo consulere & mox respondere licebit?
40 Consule. 38. Cur Aiax heros ab Achille secundus
Putrescit, toties seruatis clarus Achiuis?
Gaudeat vt populus c* Priami Priamusq; inhūato,
Per quem tot iuuenes patrio caruêre sepulcro?
40. Mille ouium insanus morti dedit, inclytum Vlyssem
Et Menelaum vna mecum se occidere clamans.
41. Tu quū pro vitula statuis dulcē Aulide d* natam
50 Ante aras, spargisq; molâ caput, improbe, salsâ,
Rectū animi seruas? 42. Quorsum? 43. Insanus quid enim Aiax
Fecit, quum strauit e* ferro pecus? abstinuit vim
f* Vxore & nato, mala multa precatus Atridis:
Non ille aut Teucrum, aut ipsum violauit Vlyssem.
44. Verùm ego, vt hærentes aduerso littore naues
Eriperem, prudens placaui g* sanguine Diuos.
Nempe tuo, furiose. Meo, sed non furiosus.
60 45. Qui species alias veris, scelerisq; tumultu
Permistas capiet, commotus habebitur: atque
Stultitiâ ne erret, nihilum distabit, an irâ.
46. Aiax immeritos dum occidit desipit, agnos?
Quum prudens scelus ob titulos admittis inanes
Stas animo: & purum est vitio tibi, quum h* tumidum est cor?
47. Si quis lecticâ nitidam gestare amet agnam:

Huic vestem, vt i* *natæ paret ancillas, paret aurum:*
Puppam aut pupillam appellet, fortiq; marito
Destinet vxorem: interdicto huic omne adimat ius
Prætor: & ad sanos abeat tutela propinquos.
Quid? si quis natam pro muta deuouet agna,
Integer est animi? 48. Ne dixeris. 49. Ergo vbi praua
Stultitia; hîc est summa insania: qui sceleratus;
Et furiosus erit: quem cepit k* *vitrea fama;*
Hunc l* *circumtonuit gaudens Bellona cruentis.*
50. Nunc age, m* *luxuriam & Nomentanum arripe mecum.*
Vincit enim stultos ratio insanire n* *nepotes.*
Hic, simul accepit patrimonî o* *mille talenta,*
Edicit, piscator vti, pomarius, auceps,
Vnguentarius, ac Tusci p* *turba impia vici,*
Cum scurris fartor, cum Velabro omne macellum,
Manè domum veniant. Quid tum? venêre frequentes.
Verba facit leno: q* *quicquid mihi, quicquid & horum*
Cuiq; domi est, id crede tuum: vel nunc pete, vel cras.
Accipe, quid contrà iuuenis responderit æquus.
In niue Lucana dormis ocreatus: vt aprum
Cænem ego tu pisces hyberno ex æquore verris:
Segnis ego indignus qui tantum possideam: aufer:
Sume q* *tibi decies: tibi tantundem: tibi triplex,*
Vnde vxor media currit de nocte vocata.
51. Filius Aesopi detractam ex aure Metellæ
(Scilicet vt decies solidum exsorberet) aceto
Diluit insignem baccam: quî sanior, ac si
Illud idem in rapidum flumen iacerétue cloacam?
52. Quinti progenies Arrî, par nobile fratrum
Nequitiâ & nugis, prauorum & amore gemellum,
Luscinias soliti impenso prandere coemtas.
Quorsum abeant sani? r* *cretâ an carbone notandi?*
53. Aedificare casas, plostello adiungere mures,
Ludere par impar, equitare in arundine longa,
Si quem delectet barbatum; insania vexet.
Si puerilius his, ratio esse euincet, amare:
Nec quicquã differre, vtrúmne in puluere trimus
Quale prius ludas opus, an meretricis amore
Sollicitus plores; 54. quæro, faciásne, quod olim
Mutatus s* *Polemon; ponas insignia morbi,*
Fasciolas, cubital, focalia: potus vt ille
Dicitur ex collo furtim t* *carpsisse coronas:*
Postquam est impransi correptus voce u* *magistri?*
55. Porrigis irato puero quum poma; recusat:
Sume, x* *Catelle: negat: si non des; optat: amator*
Exclusus qui distat, agit vbi secum, eat an non,
Quò rediturus erat non arcessitus: & hæret
Inuisis foribus, nec nunc y* *quum me vocet vltrò,*
Accedam? an potiùs mediter finire dolores?
Exclusit: reuocat: redeam? non, si obsecret 56. Ecce
Seruus non paulò sapientior: y* *ô here, quæres*
Nec modum habet, neq; consilium, ratione modoq;
Tractari non vult: in amore hæc sunt mala: bellum,
Pax rursum: hæc si quis tempestatis propè ritu
Mobilia & z* *cæcâ fluitantia sorte, laboret*
Reddere certa sibi nihilo plus †a *explicet: ac si*
Insanire paret certâ ratione modoq;
Quid? 57. quum Picenis excerpens semina pomis,
Gaudes, si cameram percûsti fortè, penes †b *te es?*
Quid? quum balbâ feris annoso verba palato;
Aedificante casas, quî sanior? †c *adde cruorem*
Stultitiæ, atq; ignem gladio scrutare. Modò, inquam,
Hellade percussâ Marius quum præcipitat se,
†d *Cerritus fuit:* †e *an commotæ crimine mentis*
Absolues hominem, & sceleris damnabis eundem,
Ex more imponens cognata vocabula rebus?
58. Libertinus erat, qui circum compita siccus
Lautis manè senex manibus currebat, & vnum
Quiddam magnum addens, †f *vnum me surpite morti:*
Dîs etenim facilè est, orabat: sanus vtrisq;
Auribus atq; oculis: mentem, nisi litigiosus (gus
Exciperet dominus, quũ venderet. Hoc quoq; †g *vul-*
Chrysippus ponit fœcunda in †g *gente Meneni.*
59. †h *Iuppiter, ingentes qui das adimisq; dolores,*
(Mater ait pueri menses iam quinq; cubantis)
Frigida si puerum quartana reliquerit; illo
Manè †i *die, quo tu indicis ieiunia, nudus*
In Tiberî stabit. Casus Medicusúe leuârit
Aegrum ex præcipiti; mater delira necabit
In gelida fixum ripa, febrimq; reducet.
Quóne malo mentem concussa? timore Deorum.
60. †k *Hæc mihi Stertinius sapientum octauus amico*
†l *Arma dedit, post hac ne compellarer inultus.*
Dixerit insanum qui me, totidem audiet: atq;
Respicere ignoto discet pendentia tergo.
61. †m *Stoice post damnum, sic vendas omnia pluris:*
Quam me stultitiam (quoniam non est genus vnum)
Insanire putas? ego nam videor mihi sanus.
Quid? caput abscissum demens quum portat Agaue
Nati infelicis; sibi tum furiosa videtur?
62. Stultum me fateor (liceat concedere veris)
Atq; etiam insanum: tantùm hoc edissere, quo me
Aegrotare putes animi vitio. 63. Accipe, †n *primùm*
Aedificas, hoc est, longos imitaris, ab imo
Ad summum totus moduli bipedalis: & idem
Corpore maiorem rides Turbonis in armis
Spiritum & incessum: quî ridiculus minùs illo?
An quodcunq; facit Mæcenas, te quoq; verum est,
Tantò dissimilem, & tantò certare minorem?
Absentis ranæ pullis vituli pede pressis
Vnus, vbi effugit, matri denarrat, vt ingens
†o *Bellua cognatos eliserit: illa rogare,*
Quantáne? num tantùm, se inflans, sic magna fuisset?
Maior dimidio. Num tantò? quàm magis atq;
Se magis inflaret; non, si te ruperis, inquit,
Par eris. 64. Hæc a te non multùm abludit imago.
65. Adde poemata nunc (hoc est †p *oleum adde camino)*
Quæ si quis sanus fecit, sanus facis & tu?
†q *Non dico horrendam rabiem: iam desino cultum*
Maiorum censu. (teneas, Damasippe, tuis te)
†r *Mille puellarum, puerorum mille* †s *furores.*
66. †t *O maior tandem parcas insane minori.*

Analysis

Analysis Dialectica.

QVò minùs amari sales Poetæ quibusdam e Stoicis æqualibus viderentur, ipse summâ quidem, vt solet, arte, sed non sine maxima impudentia sibi non indulsit, quum statim initiò sermonis sic consultò fingit a Damasippo Cœcione facetijs linguæ turpiter aspergi. Imò verò quum inducit ipsum in fine seueriùs ac liberiùs, quàm verecundum hominem deceret, perstringentem ipsius vinolentiam, ignauiam, impudicitiam, ac libidinem. Quid autem est hoc aliud, nisi se tali vitiorum commemoratione turpiter ac miserè magis ac magis contaminare? quid, nisi vitam hominis turpissimi ac fœdissimi omnibus posteris testatam peruulgatamque relinquere? Neque potest hæc turpis commemoratio habere satis iustam excusationem liberalium iocorũ in seueritatem Stoicorum, aliorumque vitia cum proprio dedecore notanda, nisi exemplo Demosthenis velimus Poetam tueri, qui in reprehensionibus plerumque se quoque complectebatur, vt interpres ipsius in primam Olynthiacam annotauit: *τὸ ἐναχθὲς βιβλόμενος φεύγειν καὶ ἑαυτὸν ἔμιξε τῷ ἐγκλήματι* &c. *inuidiam volens vitare, seipsum accusauit.* Sunt autem huius sermonis duo capita: *vituperatio desidiæ Horatianæ, multaq; sordium & innumerabilium vitiorum, & luxus accusatio*: vnde tandem tu concludas in vtroque summam esse insaniam. Vituperationis summa sic *ὑποθετικῶς* iudicatur: *Vbi Horatius se receperit in suam villam sub tepidum tectum, vacuus ab interpellatoribus, Vrbiq; incommodis solutus; multa præclarè ac libenter scribet: illic totum iam annum his rebus vacuus commoratur: cur igitur tandẽ aliquando non aliquid iactatu promissu dignum scribat?* Huius argumentationis ratio, vt facilè perspicis, est e subiecto & adiuncta impedimentorum vacuitate.

2. Assumptio est in quatuor primis versibus confirmata efficientibus intermissę scriptionis, *vino & somno immodicis in villa*: vtriusque enim intemperantia est mater indiligentiæ, ac præterea innumerabilium vitiorum, sicut Xenophon docet in Oeconomico.

3. Complexio est e priuantibus approbata: *vinolentus nihil potes scribere: tu igitur ἀοίνος sobrius & vigil aliquid scribe.*

4. Eadem illustratur amotione efficientium, quæ videbantur impedimento fuisse iam institutæ scriptioni.

5. Propositio est superioris syllogismi: qui videtur postulare aliam enunciatorum interpunctionem, atq; illa est nostrorum exemplarium.

6. Hæc eódem spectant, vbi Damasippus vrget ridiculè desidiam hominis ex neglecto instituti fine: *quòd summa fuerit imprudentia tantos eum adiutores studiorum secum rus asportasse, neq; vllam in illis operam posuisse.* Similis incõstantia notatur in Iccio Od. 29. l. 1. ad hæc verba, *Quis neget arduis &c.* ad finem vsque producta.

7. Adhibentur quoque ex aduersis similibus & adiunctis argumenta ad euellendam Poetæ opinionem, qui putaret omnem inuidiam, quâ maximâ ꝓpter Satyras flagrabat, facilè exstinctum iri, si studio virtutis posito, se dederet inutilissimo ac desidiosissimo otio: *Quia*, inquit, *hoc summa consequetur Poeta contemtio, maximaq; boni nominis iactura*: ex quo & breui similitudine efficit, *desidiam fugiendam, velut improbam Sirenem*, quæ semper magna fuit vitiorum illecebra, magnum cupiditatum lenocinium, atque tandem pernicies semper comes meretriciæ delectationis, vt damnum segnitiei. Itaque vsurpetur illud Ciceronis contra tam perniciosam Poetæ opinionem e prima Catilinaria, *verendum certè mihi non erat, nequid, hoc parricidiâ ciuium interfecto, inuidia mihi in posteritatem redundaret. Quod si ea maximè impenderet, tamen hoc animo semper fui, ut inuidiam virtute partam, gloriam, non inuidiam putarem.*

8. Gratia recti consilij a Poeta facetè refertur barbato magistro & caussa quæritur primæ inter ipsos notitiæ. *Ex eo*, ait Damasippus, *studui te nosse, quum ego omnibus fortunis euersus tantum otij nactus sum, vt iam inde in vitam & mores aliorum inquirere cœperim.*

9. Hæc alienæ vitæ inquisitio declaratur primùm distributione subiectarum mercium, in quarum æstimatione, emtione & venditione & fœnoratione olim versatus fuerat Damasippus: vnde sibi cognomen inuenit Mercuriale: quæ quidem appellatio aduentitia est e loco adiunctorum.

10. Poeta è diuersis affirmat vrbanè, *sibi perspectam & cognitam pristinam illius negotiationem, tanquam morbum gratissimum: sed se mirari, quemadmodum huius maculas eluere potuerit.*

11. Ratio sanatæ deprauationis pristinæ similibus declaratur: *vt nouus morbus succedit veteri, eumq; sæpiùs expellere solet: sic hac inquisitio vitæ alienæ successit sordidæ negotiationi, & eam expulit.*

12. Refellitur prior similitudo Damasippi dissimilitudine: *liceat*, inquit Poeta, *tibi per me, vt e lethargico fias phreneticus, modò ne tu mihi, vt solet phreneticus Medico, infligas vulnera, pugniq; me cædas pellásue*: vnde Poeta facetè irridet Stoicam inquisitionem, dum illam facit morbum molestijs mercaturæ & arte fœnoratoriâ grauiorem, vt Damasippus, quum hanc artem exerceret, lethargo, morbo tolerabili & innoxio, laborârit: quum autem philosophiam Stoicam coleret, phrenitide, furiosâ & perniciosâ ægrotatione, correptus fuerit.

13. Quia visus est Poeta discrimen statuere inter lethargicum & phreneticum, Stoicus inde arripuit occasionem docendi paradoxum sectæ suæ, *omnes stultos insanire*, vt ex eo peccatorum æqualitatem induceret, quod testimonio & doctrinâ Stertinij Stoici diu deinceps loquuturi explicatur: atque hic philosophus effectis describitur: primùm *quòd Damasippum ad philosophiam cohortatus sit: eundem a præcipitio & conscientia morte auocârit: pudore vitioso leuârit, appositis multorum exemplis*, quæ sic possunt iudicari: *si solus factâ fortunarum tuarum iacturâ fureres; non tibi præcipitium, vel aliud mortis genus dissuaderem: Atqui omnes in hanc insaniæ societatẽ sese offerunt, nec sepudore, vt tu, conficiunt, propter iacturam suorum bonorum: Dissuadeo igitur tibi vitæ desperationem ob amissionem illorum.* Enimuero, dure Stertini, saluâ tuis superciliis seueritate, non est cuiquam misero & afflicto consulenda ista vitæ desperatio vel in ista solitudine versanti. Est enim animi perpusilli, non posse res aduersas fortiter & constanter ferre, atque est multò animi minoris illarum caussâ manus sibi afferre cruentas.

14. Hæc via & ratio docendi methodica, est vnica ac perspicua, quæ a definitione rei proficiscitur & per ipsius partes progreditur: sed philosophus paullò id secus facere hic videtur, atque proposuerat. Nam inquirere instituerat, *quid esset furere*, id est, quid esset furor & animi perturbatio: atqui definit nunc non affectionem ipsam, sed hominem ita

affectum: *cuius mens ratione, tranquillitate & constantiâ vacua est*: ac prætereà confundit hæc verba, *stultitia, insania, furor*, more suæ disciplinæ, quæ docet *aquè in vitio esse stultum atq; insanum: aquè hunc ac furiosum*: verum Tullius sic melius 3. Tusc. hæc alia ab alijs distinguit: *quia*, inquit, *insania, cui accessit stultitia, latiùs patet, & hæc furor*: itaque videtur ille definitione stultitiam declarare, *quæ fit inconstantia sanitate mentis aliquantùm vacans: & insaniam, quæ fit inconstantia maior, & ab illius sanitate paullò remotior: vtraq; tamen possit officia media præstare, communemq; vitæ cultũ & vsitatum tueri: furor autem est cæcitas mentis ad omnia: vnde duodecim tabulæ vetârunt furiosum esse dominum rerũ suarum: non autem insanum.* Ex his certè tam definitione, quàm distinctione satis constat nobis, insanum esse, atque stultum, differre inter se: aliud quoque esse τὸ furere, atque insanire, sicut Græca τὰ παραφρονεῖν, παραφρονεῖν, λυτᾶν, παραπαίειν, λυρᾶν, παραπλῆγα εἶναι, μαίνεσθαι, τῷ μᾶλλον καὶ ἧττον ἔχεται, *desipere, delirare, rabie ferri, aberrare, mente captum esse, furere vehementius ac remissius* adsignificant: aliud deinde furiosum, atq; insanum: quod duo genera τῆς ἀνοίας confirmant in Timæo Platonis: quorum alterũ μανία vocatur, quæ παρὰ τὸ μανὸν ἐτυμολογεῖται, *quòd partes animi adeò solutas & fluxas efficiat, vt illæ colligi nequeant ad rectè iudicandum*: alterum ἀμαθία, inepta stultitia: Sed de varijs stultitiæ generibus lege Aristotelem in Probl. Encyclijs & Cor. Celsum l. 3. de medicina: quæ tamen omnia seueritas Stoicæ scholæ nõ vult admittere contra legum sanctitatem & Medicorum placita & aliorum Philosophorum sententias. Admittet quidẽ posteà, & hæc insaniæ genera agnoscet: sed ad vnum & eundem errorem illa revocabit. Hæ autem verborum rationes & notationes, aptiùs mihi visæ sunt Dialecticis adscribendæ ad constituendam ipsorum definitionem & distinctionem.

15. Locus est è diuersis: *solus sapiens est iudicio huius paradoxi absolutus: sed omnes omnino reliqui homines stultitiâ insaniunt & illius iudicio constricti tenentur.*

16. Iam aggreditur theticũ, *omnes stultos insanire*, argumẽtis explicare: ac primùm id efficit paribus: *iuxta insaniunt, qui te dicunt insanum: atq; tu, qui rebus planè afflictis te perditum præcipitio ibas, nisi obstetissem*: protasis παρὰ λόγως etiam hîc enũciatur: quia spectatores huiusmodi desperationis, qui illam damnabant, videbãtur quidem sanæ mentis esse, & tales habebãtur: verùm quia casum Damasippi, quem miserari oportebat, ludibrio habebant, eo illi erant risu dignissimi. Quid autem hîc ego dixi, casum alterius commiseratione dignum apud Stoicos? præsertim quum misericordiam hi sic definiant, *vt ea fit ægritudo animi ob alienarum miseriarum spectem: aut tristia ex alienis malis concepta, quæ accidere immerentibus credit: atque hunc affectum in virum sapientem minimè cadere putant, ne in suis quidem calamitatibus.* Itaque Seneca lib. 2. cap 5. de clementia scribit sectam Stoicorum malè audiisse apud imperitos iam inde vsque ab ipsius ætatæ, tanquam nimis duram & immisericordem. *Obijciebatur enim illi, quòd negaret ignoscere:* quod obiectum idem auctor diluit sexto pòst capite ibidem, *nõ miserebitur quidem sapiens Stoicus, sed succurret alieno lacrymis, non accedet: dabit manum naufrago, exsuli hospitium, egenti stipem, non hanc contumeliosam: quâ pars maior horum, qui se misericordes videri volunt, abijcit & fastidit, quos adiuuat, contingique ab his timet: sed vt homo homini ex communi dabit: donabit lacrymis maternis filium & cathenas solui iubebit, & ludo eximet, & cadaver noxium sepeliet. At ista faciet tranquillâ mente, vultu suo.* Ita perbellè hic Stoicus videtur eleuare duritiem sectæ suæ, vt præsentem affectum ausit appellare, *vitium animorum nimis miseriæ fauentium*, quod D. Augustinus lib. 9. de ciuitate obseruauit, *Stoicorum*, ait, *est misericordiam solere culpare*: qua in hæresi Ciceronem fuisse testatur Tusculana tertia, *Si sapiens in ægritudinem cadere posset, posset & in misericordiam, posset & in inuidentiam*: a qua tamen animaduertimus eundem desciuisse ad Peripateticos in orat. pro Ligario, vt de hoc affectu Cæsarem in primis laudaret, *nulla de tuis virtutibus plurimis nec gratior, nec admirabilior misericordiâ est.* & in orat. pro Rosc. Am. *Prædia mea tu possides: ego alienâ misericordiâ viuo.* Hîc autem, dico, in Seneca potest obseruari discrimẽ miserationis & misericordiæ, vt illa in eo versetur, quum quis tangitur & angitur damno & sorte alterius miserâ, quod est animi pusilli ac minuti: Hæc verò, quum animus alicuius inclinatur ad alterum inopiâ doloreque leuandum.

17. Confirmantur illa paria similibus: *quòd vt duo viatores, quorum vnus in syluis ad sinistram, alter ad dextram deflexit, æquè aberrant a recta via: sic tu notus homo mentis insanæ: & is, qui te talem nominauit & irrisit, æquè insanit:* In vtrâque huius similitudinis parte paria sunt etiam inclusa: qualia subijciuntur ad hæc verba: *Nihilo vt sapientior.*

18. Quædam est hîc distributio insaniæ post eius definitionem, cuius duo genera proponuntur e subiectis, quanquam ex adiunctis proposita essent, estque primum insani genus, *quod ibi timet, vbi non est opus, & in loco tuto & aperto putat esse pericula, quæ ibi nulla sunt:* alterum contrà *insanè ruit in vitæ discrimina, quæ præsentissima sunt, neque tamen commonefacientes parentes vel amicos, vel omnes propinquos ad rauim vsque conclamantes, vt ab illo citò declinet, audit*: quod posterius illustratur parium collatione: *iuxtà hic insanus obsurduit ad clamores præmonentium, ac Fusius ille tragicus actor, dum personam Hecubæ sustinet, vino & somno sepultus obsurduit ad inclamationem Catieni agentis partes Polydori sepulturam a matre postulantis, idemq; mater te appello, vniuerso acclamãte theatro*, vbi facetè notatur Fufius, qui, quum inter scenam simulare tantùm debuisset somnum, oppressus est sopore arctissimo maximeque temulento.

19. Docet similitudine, omnes cõprehendi & concludi hoc insaniæ genere, quod singularibus exemplis illustrat, & ad Stoicam illius dementiæ æqualitatem semper reuocat omnia: quorum enunciata è categoria relatorum petita sunt, pariter tamen tractata: *iuxtà statuarum emtor vano studio motus insanit, atque venditor lucro ductus, quum mercator non sit soluendo: aquè prætereà debitor atque creditor: tam denique obæratus insanit, quàm fœnorator: neque verò hi, venditor, creditor & fœnorator eâ dementiâ soluũtur, quòd emtores, debitores, & obæratos, multis syngraphis, cautionibus multis, ac iuris laqueis constrictos teneant*: vt è diuersis comprobatur: *etsi tu omnes tabulas, cautiones, formulas, præscriptiones & nexus habueris, quibus putas, ô creditor, tibi prudenter cauisse: debitor tamen tuus fugax debitum non dissoluet, neque mutuum reddet*, quod simili demõstratur: *quia variis ille modis tergiversabitur, & more Protei, sese in varios transformabit habitus, & ita eludet omnes tuas tabulas & cautiones.* Huiusmodi τὴν καταχρέωσιν *ære alieno pressum* Græci vocant χρεώλυσιν τὴν τοῦς αὐτοῦ δανειστὰς καὶ χρόστας ἐξαπατῶντα. *qui suos creditores blandè fraudat.*

20. Hoc fœnoratoris damnum, tam prudenter pecuniæ suæ cauentis, declaratur minorum collatione: *Si Damasippus habitus est insanus, quòd rem malè gesserit post statuas benè emtas: quantò Nerius fœnorator habendus est amentior,*

amentior, qui suos nummos crediderit homini acolasto & prodigo nunquã illos dissoluturo? Hîc maioris insaniæ docet esse creditores, quàm debitores. Malo autem hîc agnoscere minora: quia Nerius est in quæstione, ad quam firmandam minor Damasippi insania profertur.

21. Stertinius omnes mentis morbo laborantes præparat, & maximè ambitiosos, auaros, luxuriosos, superstitiosos ad remedium ægritudinis accipiendum: vbi non eo explicat ordine res, quo propositæ fuerãt. Nam ab auaris initium ducit, qui fuerant loco secundo nominati & his e loco maiorum præscribit fortius medicamentum: quia visa est ipsi auaritia cæteris vitiis difficilior sanatu, vt e Catilina Sallustij cognosci potest: *auaritia pecuniæ studium habet, quam nemo sapiens concupiuit: ea quasi venenis, malis imbuta, corpus, animumq; virilem effœminat: semper infinita & insatiabilis est, neq; copiâ, neq; inopiâ minuitur*: quem qusdem locum vide lib. 3. cap. 1. apud Agellium explicatum. Quod autem auaritia sit pathos αὐτάτως ἔχον, ex his apparet, quia primum variis semper implicata sit criminibus: deinde quum Homerus & Euripides dixerint, ille Ιλιαδ. ν. sub finem,

Ραύτων μὲν πόρος ἐστὶ καὶ ὕπνου, καὶ φιλότητος,
Μολπῆς τ' ἠδυπνοίης, λιαὶ ἀμύμονος ὀρχηθμοῖο. i.
Omnium rerum esse satietatem, & somni & amoris,
Et cantus suauis, inculpataq; saltationis.

Euripides idem, πόρος δὲ παύτων:

quò illud Theognidis accedit per quandam exceptionem & correctionẽ ad insatiabilem auarorum cupiditatem notandam & vituperandam, cuius sitis nunquam expletur, nec exstinguitur, tale ipsius est pentametrum Elegiaci,

Πλὴν πλούτου, παντὸς χρήματος ἐστὶ πόρος. i.
Præterquam diuitiarum, cuiusq; rei est satietas.

Itaque difficultas sanationis declaratur exemplo Staberij descripti multis factis, quę tamen possunt partim ad luxum intempestiuum, partim ad sordes, partim ad ambitionem, partim denique ad superstitionem referri. Hinc delabitur ad laudationem diuitiarum, quam tractat sub persona Staberij, ex efficientibus, *quòd illæ sint caussæ solæ & absolutæ quiduis consequendi: virtutem, famam, decus, sapientiam, summam deniq; dominationem*: vnde Aristoteles scribit in his summum bonum & felicitatem a plerisque collocari lib. 1. Ethic.

22. Dissimilibus factis priorum Aristippus Philosophus describitur: *quia Staberius ille nihil non posthabebat pecuniæ & diuitijs, nec aceruum illarum misero metu imminuendi attingebat vel famelicus: hic verò illas aspernabatur, & in mare velut impedimenta proijciebat*. vnde quidem conficit, *vtrúmque in vitio fuisse, & valdè desipuisse*: sed hoc posterius exemplum ἀχ' ἰκανῶς τὸ πρότερον ἀποδεικτικόν ἐστι, *non satis prius arguere videtur*, vter horum insanior fuerit,

23. Reponit alia exempla βεβαιοτέρας πειθανότητος, *probationis firmioru*, quæ similiter enunciantur, quorum protasis est triplex: *vt emtor organorum Musicorum, sutoriorum & nauticorum instrumentorum, nullius Musicæ, nec sutrinæ, nec nauticæ artis peritus, nec studiosus, iure dicitur delirus & amens*: apodosis sequitur simplex: *sic auarus ingenti auri & argenti copiâ nescius vti desipit ac insanit*: Hęc redditio illustratur alterâ breui similitudine auri cum re sacra: quam vt superstitiosi metuunt contingere: sic auari aurum suum intactum seruant & illud diminuere verentur.

24. Pergit in medicina eidem ægroto facienda ex diuersis, sic σύνθυμματικῶς iudicandis: *Auarus ferè octogenarius non audet quicquam de ingenti frumenti aceruo: neque de multis doliis optimi vini, neque de villosis & mollibus stragulis sumere in fame, in siti, in frigore: se mauult vesci sylvestribus herbis, acetum potare, & stramentis miserè incubare, & illa omnia relinquere curculionibus infestanda, acore vitianda, & blattis ac tineis corrodenda: ille ergo sanorum iudicio insanire videtur maximè.*

25. Vrgetur ægrotus duplici fine tam molestæ custodiæ, quâ studet illum liberare, adhibito victu paullò meliori, & cultu mundiori: quo nulla fiat de tanto bonorum aceruo diminutio.

26. Arguitur insania hominis e disparatis: *qui quouis victu & cultu viuit contentus, & rem suam facit maiorem periurio, furto & alijs artibus iniquis, profectò est insanæ mentis.*

27. Idem morbus declaratur collatione minorum: *si quis populum aut seruos carè emtos cædit palàm lapidibus, ab omnibus inclamatur insanus: Ergò tu multo magis diceris insanire, qui dotis nomine vxori clàm laqueo animam intercluseris: matrem veneno pecuniæ perfruendæ caussâ iustuleris.*

28. Parricidæ excusatio est ex dissimilitudine: *Nõ, vt Orestes Clytemnestram matrem suam Argis ferro necauit: sic ego meam occidi matrem*: vnde vult ille conficere, *se minùs insanire, quàm Orestem.*

29. Excusationis argumentum refellitur comparatione dissimilium caussarum: *Orestes iustâ & naturali caussâ doloris de morte patris commotus, ac Furiis agitatus apertè matrem necauit, nec quenquam post notum ipsius furorem ferro violauit: Electram sororem, & amicum Pyladem grauioribus tantũ verbis affecit: tu verò non ab alio quoquam, nisi a te ipso, concitatus, ex insidiis doloq; malo primùm te materno parricidio turpiter siti explendæ cupiditatis obstrinxisti: deinde periurio, furto, aliisque nefariis sceleribus præcedens scelus cumulasti: vnde quis te non iuxtà, imo verò magis, quàm Orestem insanire iudicet?* Huc adde, quod cum Orestes sibi adiunxerit socios ad mortem Patris vindicandam, non fuerit alienatus mente. Ita enim inducitur alloquens suum Pædagogum in Electra Sophoclis.

ὥσπερ γὰρ ἵππος εὐγενὴς, κ' ἂν ἢ γέρων
ἐν τοῖς πλεινοῖς θυμὸν οὐκ ἀπώλεσαν.
Ἀλλ' ὀρθὸν ὦτ' ἔστησιν, ὡσαύτως σὺ πρὸς τοῖς ἔπη.
Generosus vt equus, consenuerit iam licet,
Animum tamen nunquam in periculis abijcit,
Sed auribus rectis stat: itidem tu quoque
Et incitas me, & cum primis ades.

Hic tamen Stoicus occultat, quoad fieri potest, hanc peccatorum inæqualitatem.

30. Insania auari, in omni rerum abundantia inopis, demonstratur exemplo cuiusdã Opimij, qui primùm ex adiunctis describitur, *sordido victu, grauiveterno, facetâ sanatione, Medici fidelitate*: deinde insanâ parium collatione, qui tanti faceret paulum pecuniæ insumi in ptisanarium oryzæ sanitatis recuperandę gratiâ, quanti morbo se oppressum exstingui.

31. Quidam faciunt Poetam hîc loquẽtem cum Damasippo: quod dum fit, prosopopœia Damasippi & Stertinij iam inde vsq; instituta, *Caue saxis &c.* male interciditur, quæ melius cõtinuanda videtur. Itaque Damasippus iam satis edoctus de sordidorum insania quærit, *in quo sanitas mentis reperiatur*: cui Stertinius satisfacit illius descriptione ex aduersis: *sanus est*, inquit, *qui non est stultus*, vel, *sanitas est, quæ non est stultitia.* Huic simile est illud Epist. 1. lib. 1. Sapientia, quæ est mentis sanitas, est stultitiâ caruisse. Quanquam autem Aristoteles docet. 3. Rhet. cap. secundo & decimo sept.

πρὸς ἄλληλα τὰ σύνταξις μάλιστα φαίνεσθαι, illa tamen περιγραφὴ ἐν τῇ σύνταξις ἀφαιρήσεως, non satis illustrat vim & naturam rei dubiæ, dum non quid illa sit, sed quid nõ sit, demonstrat. Ideoque Lactantius hanc descriptionem, *bonum est, quod non est malum*: ineptam iudicauit: vt dicetur, Deo huic instituto fauente, in Epist. 1. lib. 1. Illustrior autem erit hac accessione descriptio: *sanus est, qui non est stultus auari more*, id est, *qui non se, vt hic, in summa cibi & potionis copia, inediâ & siti finit perire.*

32. Rursus quærit Damasippus e doctore suo Stertinio, *quid auarus sit: hic*, inquit, *est stultus & insanus*: vnde constituitur hæc syllogismi propositio: *omnes auari sunt stulti & insani.*

33. Quia discipulus dubitabat, *an quis posset ex auaritia fuga protinus fieri sanus*: vnde etiam assumi potest, *atqui ego non sum auarus*, & concludi: *non sum igitur insanus*; Doctor οὐ τούτῳ ἐνωμόνῳ fallaciam subesse monet, & *insaniam ex alijs caussis, atq; ex auaritia, sæpè nasci*, ac præterea nihil concludi ex assumptione negata in prima figura Aristotelis.

34. Hic Stoicus ostendit inconsequentiam assumtionis similium comparatione, ex auctoritate Crateri Medici: *vt is, qui non laborat imbecillitate stomachi, non cõtinuò recte valet: ita qui non est auarus, non iaciò statim sanus erit*: quod ex alijs caussis confirmat, *quia ille potest, sicut Crateras censet, vel pleuritide, vel nephritide morbis extiosis iactari, quemadmodum hic ex alijs vitijs insanire.*

35. Tollit discipulus aliquot vitia, vt inde conficiat, *non omnis insanire*: sed doctor ex efficientibus tanti boni respondet, *esse homini tam bene affecto, vnde Laribus Dijs gratias agat, & ab ijsdem victimâ simul petat, vt, si ab hoc insaniæ genere liber est, a reliquis ipsum conseruet*: ambitiosis autem & temerarijs Medicinam phreneticis similem præscribit: quod paribus illustratur: quia *æquali vitio laborat & æquè insanit, qui summâ ambitione & pecuniarũ effusione contendit honores & magistratus a populo: atq; auarus, qui nunquam rebus partis vtitur.*

36. Quod anteà definire non poterat ex veris caussis, nunc exemplo singulari demonstrat: quæsitum enim fuerat, *Quisnam igitur sanus?* ad quod respondet Stoicus Stertinius: *Ser. Oppidius fuit talis, qualem quaris*: cuius sapientiam & mentis sanitatem proponit ex efficientibus testamenti, partim præuisâ effusione filij Auli: partim Tiberij cupiditate: item ex varijs ipsius adiunctis factisque insignibus & consilijs ad liberos, quæ, quum ex litera satis facilè perspiciantur, nõ aliâ ratione videntur enuncianda.

37. Triplici fine ac simili reprehendit *effusionem pecuniarum patrimonyq; venditionem futuram, quam illi liberi parabant, vt lictores præirent aperientes ipsis viam per turbam: vt etiam statua ijsdem erigeretur: vt denique ad eundem dignitatis & auctoritatis gradum, ad quem M. Agrippa Vipsanius gener Cæsaris, & ab eo secundus, peruenirent, imitati callidatem vulpis.*

38. Insania Aiacis a Stoico comparatur appositissimè ad vanitatem popularis auræ arguendam cum illa Agamemnonis sub nominibus cuiusdam Plebeij & eiusdem Agamemnonis, & 37. versibus continetur ad hæc verba, *Nunc age luxuriam.* Ac primùm percontanti Plebeio, *cur cadauer Aiacis sit ἄθαπτον inhumatum,* διὰ ὡς ἀνήλεστον σῶμα προβάλοιτο, & vt corpus neglectũ & insepultum proijciatur: Rex ex efficientibus speciem testimonij publici referentibus respondet, *id esse prohibitum auctoritate regiâ & iure: quòd si quis aliter sentiat, id liberè & impune palam dicat.* Hac permissione exprimitur imago boni regis & principis non tyranni: quò magis exemplum perueniat ad aures & oculos Augusti. Cui non est dissimile, cuius meminerũt historiæ, narrantes Philippum, varia multiplicique variarum litium auditione defatigatum atque è tribunali foras iam egressum, respondisse paupertinæ vetulæ, quæ ab ipse efflagitarat, expeditam suę caussæ tractationem, nullum mihi est otium tuam dirimendi controuersiam, tum illa liberè collegit, ne velis igitur Rex esse; Philippus tali libertate anus, ac probri pudore commotus, redijt ad tribunal, vbi resedit, donec caussam mulieris, atque lites alias secuisset.

39. Plebeius datâ sibi veniâ consulendi, ex adiunctis & efficientibus tentat conficere, *Aiacem honore sepulturæ decorandum esse: quòd partes virtutis bellicæ in castris Græcorum habuerit secundas: quòd multorum seruator sæpè in prælijs fuerit: quòd denique testimonio Troianorum, negatâ ipsi sepulturâ fortitudo ipsius, cæde infinitorum iuuenum Troianorum, prædicanda sit.*

40. Caussam insepulti Aiacis Rex subijcit ex ipsius factis: *quia*, inquit, *per insaniam infinitas oues perdidit: palàm mihi, Menelao & Vlyssi sæpè mortem est minatus, eamq; si potuisset, procul dubio nobis intulisset.*

41. Minoribus demonstrat Plebeius, *Aiacem minùs Rege insanisse, quum hic immolare Iphigeniam filiam suam Dianæ pararet.*

42. Percontatur Rex, *quorsum spectet illa ratio*, id est, *ad quod insaniæ genus indicandum: vtrùm ad luxuriosum, an ad auarum, an ad ambitiosum, ãn denique ad superstitiosum.*

43. Hîc non satis fit quæstioni, sed Plebeius eleuat diuersis, quod fuerat a Rege obiectum Aiaci: *hic*, inquit, *quem tu insanum vocas, nihil admisit tantùm cæde ouiũ, vt sepulturâ debeat carere. Est enim ab omni impio scelere & alia re nefaria vacuus & purus: vobis Atridis dira tantùm precatus est, iustâ commotus irâ propter iniquitatem vestri iudicij de armis Achillis: sed nec vxorem, nec filium, nec fratrem vllo malo affecit.*

44. Rex auertit ex fine a se obiectam sibi insaniam: *quòd non alienatâ mente, sed religionis ergò prudens voluerit immolare filiam vt tali victimâ Diana placaretur, liberaq; & tuta omnibus Græcis posteà esset nauigatio*: quod argumentum a fine sic Lucretius enunciat initio lib. 1.

Exitus vt classi felix faustumq; daretur.

Eheu! ecquid scelerum omni tempore & vbiq; specie & inuolucro iustitiæ & religionis, id est, specie bonæ intentionis non editum est!

45. Conuincit Plebeius Regem inhumanitatis & amentiæ ex definitione furiosi, vel potiùs ex ipsius descriptione: *cuius animus specie religionis & iustitiæ mendacio capitur pro veritate, is est insanus. Rex falsâ religionis & iustitiæ specie captus, scelus cum hac perturbatione coniunxit: Ille igitur est insanus.* Hæc complexio habet prosyllogismum e paribus: *quòd iuxta per stultitiam, atq; per iram peccetur: atqui per hanc Aiax, Rex per illam peccauit: æqualiter igitur peccatum est vtriq;.*

46. Alter est prosyllogismus posterioris complexionis e maioribus & fine: *Aiax quidem sæpiùs vi coactus,* id est, *iniquo iudicio circumuentus desipuit, dum oues iugulauit innocentes pro Græcis principibus: at tu longè insanior fuisti, qui prudens manus sanguine tuæ filiæ contaminâris, vt tibi inde vanam gloriam colligeres, ac de hostibus posteà triumphum ageres.* Hîc autem agnosco potiùs maiorum cõparationem, quàm minorum: quia Aiax est in quæstione, tanquam minoris insaniæ: ad quam comprobandam Regis furor adhibetur, vt res maior.

47. Hîc contrà furor Regis versatur in quæstione, quæ minoribus approbatur: *si quis tam vesano amore in ouem teneram capitur, vt illam, veluti filiam, quocunq; terit, secum lectica gestet: vestibus, torque & armillis aureis exornet: ancillas ei paret, suas delicias faciat: destinet genero: ius administrandi res suas illi admittat, & ad propinquos sana mentis ho-*

tis homines transfertur, vt illas rectè procurent: tantò magis insanit, qui filiam loco victimæ ἀλόγου, mutæ, destinat aræ.

48. Videtur Rex negare Plebeij rationem, vel certè illum monere, *ne quid prætereà grauius in se dicat.*

49. Ex antecedentibus efficit Plebeius, per incrementa insaniæ, *eum insanire, qui prauè stultus fuerit: furere autem, qui sceleratus: de statu deniq; mentis deturbari, qui ambitiosus.* Ambitio tamen videtur vitium accedere propiùs ad virtutem, quàm auaritia, vt facilè cognoscas e bello Iugurthino Sallustij de Sulla, *neq; interim, quod praua ambitio solet, Consulis, aut cuiusq; boni famam lædere: tantummodo neq; consilio, neq; manu alium priorem pati, pleroq; anteuenire: quibus rebus & artibus breui Mario militibusq; carissimus factus.*

50. Ad insaniam luxuriosorum transitio est, qui fuerant tertio loco propositi. Inter primos autem Romæ auctores luxus Liuius scribit libro vigesimo septimo, Marcellum fuisse & libro trigesimo nono, exercitum Asiaticum, qui Antiocho deuicto inuexit in Vrbem luxuriam peregrinam: cuius tamen semina, quæ tum conspiciebantur, vix putabantur in tantum processura modum: Sed Lucullus tandem illa perduxit ad summum: vnde ab illo Nicolao apud Athen. lib. 6. πρῶτος δ' τρυφῆς εἰσηγητὴς Ρωμαίοις, *vocatur primus auctor deliciarum apud Romanos.* Sallustius tamen originē talis luxus tribuit exercitui Sullæ, qui in Asia primum insueuit amare, potare, signa, tabulas pictas, vasa cælata mirari, ea priuatim ac publicè rapere: qua de causa Valerio valdè commendatur Lycurgus, qui suos prohibuerit ingressu Asiæ. Insaniam igitur luxuriosorum exemplis, ac primùm Nomentani decoctoris, demonstrat, factisque describit, quorum pondere certò sperat effectum iri, *vt omnes stulti habeantur insani.* Hic igitur Nomentanus nepos domum statim conuocat omnes cuiuscunque generis cupediarios, deliciarumq; ac libidinum ministros, vbi amplissimam adijsset hereditatem: tum illi mandato protinus obsequuti ad horam constituram adsunt: Leno, vt disertissimus, nomine aliorum verba facit: nihil non officij & bonorum, quę ipsis suppeterent, quisque pollicetur: iuuenis contrà luxuriosus illis largè & effusè pecuniam dilargitur: Lenoni quidē triplo plus alijs: ὅτι πρυθύμως προχωγοῦνι τοῦ αὐτῦ ἄλοχον, *quod promtus esset perductor & prostitutor vxoris,* vel de media nocte vocatę, & pro ratione gratioris maiorisque officij inter eos partitur.

51. Hoc alterum huius insaniæ exemplum collatione parium declaratur: *quòd Aesopus histrio iuxtà insanierit in exsorbenda aceto liquefacta multi pretij margarita: ac si in rapidum flumen vel cloacam illam proiecisset.*

52. Eodem luxus genere bini liberi L. Arrij notandi sunt, *qui luscinias aues suauissimi cantus carissimè coemptas solent prandere.*

53. Ad insanos quoq; aggregandi sunt, qui iam ætate graues dant operam puerilibus ludis & amoribus: in hoc tamen maior est amentia, quàm in illis: sed barbati cuiusdam ploratus de meretricis amore, collatus cum operis pueri trimi, habet æqualem amentiam.

54. Stertinius Stoicus per similitudinem quærit e Damasippo discipulo, vel ex alio luxurioso, *vtrùm intemperantem vitam & libidinosam ita hoc sermone mutaturus sit in contrariam, vt ille Polemo adolescens Athenienſis, antè omni luxui ac deliciis deditus, fertur mutasse oratione Xenocratis habita de continentia & temperantia, cuius vi ex asoto factus est sobrius & modestus Philosophus.*

55. Paribus declaratur amentia amatorum: *iratus puer porrecta poma recusat, idem negata optat: id pariter æqualiterq; facit amator: Nam quum arcessitur ab amica, non ad eam solet adire: quum verò excluditur, eò cupit redire.*

56. Parmenonis serui qui fit sapientiâ superior suo dominò, est consilium Phædriæ datum, atque venustè hîc expressum ex Act. 1. Sc. 1. Eun. *vt herus sese, quanti possit, redimat a molestijs amoris.* Hæc autem suasio sic concluditur & iudicatur: *Quod est consilij expers, non potest consilio regi: amor est consilij expers: consilio igitur regi non potest.* Propositio est ad hæc verba *Quæ res nec modū &c.* αὐτόπιστος. Assumptio quoque ad hæc, *in amore hæc &c.* adiunctis illustrata. Complexio denique continetur hîc, *Si quis tempestatis &c.* similibus & paribus per prosyllogismos amplificata: *vt in tempestate res sunt fluitantes & incertæ, sic in amore omnia sunt incerta. Item si conetis prudenter casus amoris administrare, nihilò plus agas, quàm si cum tua prudentia insanire videaris.* Quia, vt Senarius hic falsò tributus Senecæ alioqui verissimus, habet,

Amare & sapere vix Deo conceditur.

Ideoque Plautus in Persa,

Nam cum leone, & cum excetra, cum ceruo, cum apro
Aetolico, cum auibus Stymphalicis, cum Antæo
Deluctari maluerim, quàm cum amore.

Idem de affectu eodem,

Qui in amore præcipitauit, peius perit, quam si saxo saliat.

57. Dementia item amatoris declaratur ex insanis ipsius factis ac paribus: *quòd iuxtà insaniat, atq; puer, qui domunculas ex fruſtulis lignorum & testarum construere solet.* Eadem amplificatur accessione cædis quam exemplo Marij exaggerat, *qui stultitiam amoris cumulauit scelere & cruore suæ amicæ, præcipitioq; sui* — quæ crimina Stertinius Stoicus indignatur affinitate verborum eleuari, nec æqualiter castigari.

58. Ad superstitiosos Stoicus descendit, quos insanis adscribit testimonio Chrysippi, idq; cōfirmat exēplo cuiusdam Libertini, *qui senex sobrius, purgatus, valens corpore, manè a Dijs supplex contendebat immortalitatē, adductus facilis impetrationis opinione.* Hoc certè vorum arguit summam hominis insaniam, qui rem, ne Dijs quidē concessam, optat, vt ex Iliad. 1 constat de Sarpedone, quem Iupiter non potuit in pugna á morte vindicare.

59. Idem altero exemplo approbatur insanæ cuiusdam matris, *quæ filium ex febre quartana confirmatum, vt se voto exsolueret, quo se obstrinxerat Ioui pro ipsius valetudine, posteà in exsoluendo voto reductâ febri per frigus aquæ necauit insaniâ superstitionis.*

60. Damasippus consilium præceptoris sui cōmendatione sapientiæ excipit, atque fine paribusque confirmat, *illud eò datum sibi esse, vt sartus tectusq; esset ab inuidoso insaniæ nomine, qualiscunq; illa fuerit: secus, tantundem audiet, qui malè dixerit.*

61. Poeta dum irridet Damasippum, *quòd tanti sapere videatur*, id est, factâ rerum suarum iacturâ, tantoque accepto malo, sapientiam tandem consequutus sit, irridetur ipse: & quum se mentis sanæ iudicaret esse, ex simili arguitur insanus, vt Agaue mater manibus caput Penthei filij sui abscissum a se circumferebat.

62. Poeta respondet e maioribus, *se non modò stultum esse, sed etiam insanum; nescire tamen, quibus insanis socius adscribendus sit, & quo animi vitio ægrotet præcipuè.*

63. Rursus arguitur ex similibus: primùm, *quòd quum in summa rei familiaris tenuitate, generisq; obscuritate sit, opulentos atque nobiles velit imitari magnificè ædificando:* deinde paribus: *quòd dum studet Mæcenatem æquiparare sumptuosis ædibus, & Turbonem gladiatorem ma-*

gnitudine spiritus & incessus grauitate, non minùs insaniat, quàm rana mater dum nixu magno inflationis voluit vitulo se æquare. Hæc autem apodosis posterior est ad hæc verba: *Hæc a te non multum &c.*

64. Pullus ranæ ostendit e maioribus, *matrem longè disparem vitulo.*

65. E maioribus etiam insania Poetæ comprobatur: *Non ridiculâ illâ æmulatione solùm insanus est Horatius: sed versibus etiam scribendis atq; legendis furere videtur & insanire: atq; etiam vultu cultuq; corporis, censu & fortunis maiore, non ad valetudinem, sed ad voluptatem vtitur.* Postremò aggregantur ad præcedentia Poetæ vitia, insatiabilis libido, fœdissimaque pæderastia: quorum exprobrationes non videtur admodum grauatè ferre, vt æquiores habeat eos, quos grauiùs notat. Hæc autem sunt sex vitia, quibus, velut testimonijs, a Damasippo conuictus insaniæ tenetur Poeta: *Luxu in ædibus construendis, arrogantiâ in amicitijs, dedecore in incessu, nitore in cultu, furore in ingenio, rabie in ira, turpitudine in libidinibus.*

66. Poeta non sine Satyrico sale eâdem operâ imponit finem & Satyræ & silentium maledicentiæ Damasippo Coccioni maiorum collatione: *vt quum ipse magis alijs insaniat facilè ignoscat ipsi minus insanienti.* Ita se voluit e pertinacia Stoica expedire potiùs, quàm contra omnem æquitatis rationem longiùs altercari cum pertinacibus ingenijs.

Enarratio Grammatica.

Sic raro.] Particula *sic*, in hoc loquendi genere videtur mihi epitattica: quod silentio præteritum est a Grammaticis, & valet *vsq; adeò scribis rarò*, vt non quater poscas toto anno membranam, in qua scripto mandes sæpiùs antè deleta in palimpsesto & tabula cerata. Gallic *Pour mettre aunat tes brouillards*: Quemadmodum Cicero 2. de Orat. vsurpat, *sæpè intelleximus Crassum Græcè sic loqui, nullam vt nosse aliam linguam videretur.* Quomodo etiam Græci dicunt, atque in primis Homer ὀλυσσ. ν. ἀδέ τί ἐστω νώνυμός ἐστι, *nec adeò est ignobilis*: deinde Isocrates in Paneg. τίς ἐστω ῥᾴθυμός ἐστιν, ὃς τις ἐβουλήθη; *quis adeò est ignauus, qui nolet?*

Membranam.] Post chartas Plinius libro decimo tertio capite vndecimo, scribit e Varrone membranas fuisse Pergami repertas: quas certè ex etymo constat fuisse concinnatas ex animalium pellibus: sed videtur membrana paulò aliter hîc accipienda, atque in Epist. ad Pison.

Membranis intus positis delere licebit,
Quod non edideris.

Nam in hac Satyra chartam notat puram, minimeque lituris maculatam: illic verò significat chartam deletitiam, cui sit aliquid iterum pingendo illinendum. De vtroque genere vide finem Grammat. Sat. quarto libro primo.

Scriptorum quæq; retexens.] Pro, dum retexis & irritum facis, quod priùs scripseras: Gallicè *defaisant & changeant tout ce, qu'il auoit escritan parauant*: quod Cicero videtur 4. in Ver. dicere, *planè exstinguere, quæ anteà cruentimus.* Nemini quidem videtur vitio vertenda scribendi & in lucem versus edendi mora, quam frequentes lituræ ac emendationes sapientibus afferre solent: in quo equidem memoriam Poetæ requiro, qui talem scriptionis atque editionis moram & tarditatem iudicio Pisonum in Epistola de Poetica præscripserit.

——*Vos, O*
Pompilius sanguis, carmen reprehendite, quod non
Multa dies, & multa litura coercuit, atq;
Præsectum decies non castigauit ad vnguem.

notus est quoque Græcorum hic versiculus:

Γρηγορέστερα πολλοῖς ἐστιν αἰτία λιμπάνειν.
Celeritas præceps multis est causa malorum.

Quò spectat etiam illud Catoni attributum, *sat citò, si sat bene.*

Benignus.] Hoc epithetum ex vi ipsius veriuerbij sonat, qui bonum apportat alteri, vt Dij dicuntur benigni, quòd hominibus benefaciant: tellus benigna, quòd iisdem fructus afferat, & ita ferè sumendum εὐφρανσιῶς videtur: Hîc verò quum Poeta dicitur benignus vini & somni: id est, deditus vtriq; vbi est illa, tanquam diceres, εὐέρνειος, vt alterum vino & somno sepeliat? nusquam certè apparet. Itaque videtur hæc actio nõ in alterum transire, sed in eo ipso largè sumtum remanere, quam Galli sic reddunt, *bien beuuant & bien dormant.* Vix autem vsquam alibi hanc syntaxin reperias. Valet autem idem, atq; illud vsitatius, largus vtriusque, id est, indulgens vino & somno largè & liberaliter: quo notatur quædam intemperantia: quamuis Cic. l. 5. de Finib. & 1. de Offic. subijciat benignitatem & liberalitatem iustitiæ, quas docet esse easdem.

Dignum sermone.] Potest hic Hellenismus ἄξιον λόγου explicari, maximè memorabile: vel, vt loquitur Plinius, dictu & memoratu dignum: vel denique, vt Cicero loquitur, quod in assidua cõmemoratione multis possit esse.

Quid fiet?] Nonnulli, vt locus esset huic quæstioni, quid fiet? putarunt initiò, *si raro scribis*, legendum: sed non satis animaduerterunt huic lectioni parùm conuenire, quod sequitur, *vt non poscas*, quod certè videretur ita mutandum: *Si raro scribis & non poscis quater &c.* Atq; ob hanc lectionem leuiter interpungendum esse *canas*, ante, *quid fiet?* quomodo sententia suspensa solet ὑποστίζεσθαι. Itaq; mihi probatur magis, vt *sic raro*, legatur, & in *quid fiet?* ellipsis expleatur, quid te tam pigro ad scribendum istâq; desidiâ & instituto fiet? Gall. *que deuiendras tu par telle negligence, nonchalance & facon de viure?*

Saturnalibus.] Magna pars Grammaticorum & Historicorum scribunt, Saturnalia celebrari olim 14. Kalend. Ianuarij in recordationem priscæ libertatis sub imperio Saturni: vbi domini non solùm seruis suis splendidas epulas apparabant, sed ipsis etiam discumbentibus ministrabant, omnemque impunè loquendi quicquid vellent, licentiam dabant, vt ἀδείως ederent & biberent iucundè, securè & apparatè. De ijs vide Macrob. lib. 1. cap. 10. & Athenæum lib. 14. Hesychius autem scribit Romæ τὰ Κρόνια consuesse agitari mense hecatombœone: quod si ita est, licet non satis constet, cui e nostris mensibus hecatombœon respondeat, dictus olim Κρονίων, quum alij hunc Aprili, alij Maio, alij Augusto respondere putent: ex his tamen varijs opinionibus perspicimus, Saturnalia non incedere in Brumam. Præterea dies Saturnaliorum plures erant, quas Græci Κρονιάδας ἡμέρας dicebant: vti Cicero videtur innuere lib. 13. Epist. 50. ad Atticum, vbi secunda & tertia Saturnalia memorat. *Fugere autem a Saturnalibus*, est festinanter ab illis sese subducere, & est syntaxis illi Terentianæ similis Hecyræ Act. 1. Scen. 2.

——*Siquando ad eam accesserat*
Confabulatum, fugere e conspectu illico.

Pro quo etiam Cicero dicit, conspectum fugere, & Cæsar, *defugiunt aditum eorum & sermonem*, nisi malis

τὸ, *ab ipsis Saturnalibus* esse temporis designationem, pro, iam inde a tempore Saturnaliorum, & absolutè sumere τὸ, *fugisti.*

Dic aliquid dignum promissis.] Hoc idem valet, quod illud Chæreæ ad Parmenonem in Eun. Act. 2. Sc. 3 *fac sis nunc promissa appareant*, & illud etiam Plauti in Asinaria: *oculata sunt manus nostra, credunt quod vident.*

Nil est.] Id est, nullæ sunt festiuitates, nullæ etiam istic sodalitates, nulla denique impedimenta, quibus caret, vt scribit Plutarchus, talis secessus, ἡδὺ ὄρημία σοφίας ἔσα γυμνάσιον ἠθοποιίας ἀγαθῆ. ἡ πλάττει ἡ μετατυθμίζει τὰ ἀνθρώπων τὰς ψυχάς. *Quum solitudo sit sapientiæ exercitatio ad mores formandos apta & recta doceat animos virorum.* Itaque nihil est, de quo possis conqueri: vnde iniustè calamos & ceratum parietem accusas, & ridiculè, ne dicam insanè, culpam desidiæ tuæ nunc in ea videris transferre.

Iratis Dis.] Quæ contrà atque facta, vel dicta, vel sperata sunt, euenìunt, Dijs iratis putantur euenisse: sic Sat. 5. lib. 1. est loquutus:

Gnatia lymphis
Iratis exstructa.

Sed euenta votis hominũ respondentia, placatis Diis: qualis credebatur aduentus Aeneæ lib. 4. Aeneid.

Dis equidem auspicibus reor & Iunone secundâ
Huc cursum Iliacas vento tenuisse carinas.

Hi quidem certè sunt diuinæ prouidentiæ hominibus innati quidã igniculi & semina religionis: quorũ passim exstant testimonia in scriptoribus profanis, vt, alijs omissis, in Theognide:

Οὐδεὶς, Κύρν' ἄτης ἡ κέρδεος ἄτιος αὐτὸς,
Ἀλλὰ Θεοὶ τούτων δωτόρες ἀμφοτέρων.

Et paulò pòst:

Οὐδεὶς ἀνθρώπων ὄτ' ὄλβιος, ὅτε πονίζεται,
Οὐτὲ κακὸς νοσφὶν δαίμονος, ὅτ' ἀγαθός.

Nemo, ô Cyrne, est sibi ipsi auctor damni & lucri,
Sed Dij sunt vtriusq; datores.
Nemo est neq; beatus, neq; miser,
Neq; malus, neq; bonus sine numine.

Sed quoniam tales igniculi prauis opinionibus exstinguuntur, & aliæ notiones Dei in animis hominũ diuinitùs informatæ peruersitate naturæ delentur, dico ex D. Paulo αὐτοὺς εἶναι ἀπολογήτους. Præterea quum e rebus conditis æterna Dei potentia & diuinitas intelligi ab illis possit, nihilque temerè hominibus accidere, aut fortuitò fieri constet, cur ille non vnicè ab illis diligatur, obseruetur & colatur? Ad hæc, cur, quũ sit non modò Architectus vniuersitatis, sed etiam rector, gubernator, illiusque moderator, illi non sese committant? in ipsius tutelam & fidem, precibusque suam salutem illi commendent?

Natus paries.] Id est, omine sinistro factus & cerâ illitus est paries: in quo nocturnæ & memorabiles cogitationes graphijs inscriberentur. Homines enim studiosi scribendi habebant tum ad latus sui cubilis ceratum parietem, sic ad inscriptionem comparatum, vt parietes atriorum olim illinebantur ad imagines maiorum, ad series & genealogias nobilium exprimendas: quod sic Iuuenalis irridet. Sat. 8.

Tota licet veteres exornent vndiq; cera
Atria, nobilitas sola est atq; vnica virtus.

Vultus erat.] Id est, tuo vultu, qui est tacitus sermo mentis, iactabas te in secessu multa & præclara conscripturum & editurum. Talem propriarum virtutũ prædicatorem Græci solent ἀφεσαλόγον nominare: quod dum non præstas, intelligimus ingenium tuum simulationis inuolucro tectum, & nos imperitos metoposcopos fatemur esse. Vultus autem à voluntatis significatione videtur nomen inuenisse, ideoque veteres scripsisse voltus, & Græcè dici posse πρόσωπον ex descriptione Agellij lib. 13. cap. 28. vbi illi tribuit os, genas & oculos: de quo vide Aristotelem c. 8. lib. de historia animalium ad verba, τὸ ὑπὸ τὸ μέτωπον ὀνομάζεται πρόσωπον ἐπὶ μόνου τῶν ἄλλων ζώων ἀνθρώπου. ἰχθύος γὰρ καὶ βοὸς οὐ λέγεται πρόσωπον, id est, *quod verò calvariæ subiectum est, πρόσωπον dicitur de solo aliorum animantium homine. Piscis enim & bouis non dicitur πρόσωπον.* Vide quoque Ciceronem libro primo de legibus, vbi rectè oculos & vultum describit, quum ita dicit. *Nam oculi nimis arguti, quemadmodum affecti simus, loquuntur, & is, qui appellatur vultus, in nullo animante esse præter hominem potest, indicat mores: cuius vim Græci norunt, nomen non habent.* Quod autem in solo sit homine vultus e definitione Platonis perspicuum est: quia voluntas, ex qua ille nominatur, Græcis est βούλησις, ἥπερ ἐστὶν ἔφεσις μετὰ τοῦ λόγου ὀρθοῦ. i. est desiderium cum recta ratione, quæ solius est hominis. Idem prior Philosophus l. 3. c. 1. de partibus animalium, quum de cæteris dixisset partibus, subiecit. τὸν ἀνθρώπων καλεῖται τὸ μεταξὺ τῆς κεφαλῆς καὶ τοῦ αὐχένος πρόσωπον ἀπὸ τῆς πράξεως αὐτῆς ὀνομασθὲν, ὡς ἔοικε διὰ γὰρ τὸ μόνον ὀρθὸν εἶναι τῶν ζώων μόνον πρόσωπον ὄψεως, καὶ τὴν φωνὴν τὸ πρόσω διακείμενον. i. *hominum verò quod inter caput & collum est, πρόσωπον dicitur ab actione ipsa nominatum, vt videtur. Quòd enim solus ex animantibus homo erectus est, solus longe prospicit, & antè vocem emittit.* Galenus lib. quidẽ 3. de vsu partium docet hominem solum erectum esse, sed finem illum cæli contemplandi cauillatur: *opinari autem ait, ob id rectè hominem stare, vt ad cælum promtè respiciat, & dicere possit, respicio aduersus olympum fronte intrepidâ, hominũ est, qui nũquam viderũt piscẽ οὐρανοσκόπον, i. cæli contemplatorem. Hic namq; vel inuitus cælum semper aspicit. Homo autem nisi collum reflexerit retrorsum, cælum nũquam viderit, hoc verò reflectere non soli huic animali inest, sed nihilominùs & asinis, vt omittam aves longum collum habentes, quibus non solũ facilè est sursum, si voluerint, aspicere, sed quoquè versum etiam circumferre promptè oculos. Quod verò ne Platonem quidem, i. locum Platonis in Timæo, intellexerint, id non est sursum aspicere, quum quis supinum se ipsum reclinauerit oscitans, sed quando, nì fallor, mente naturam rerum considerat*: illud fit ad modum negligenter. Sic Galenus Platonis sententiam interpretatur, vel potius, meo quidẽ iudicio, impiè cauillatur, ait P. Ramus prælectionibus in l. 1. de leg. Cic. Nec enim Plato obscurè loquitur, quum de oculorum sensu, non de mente illic loquatur, & quum cælum sit vndiq; non solum illud perpetuo videtur a nobis, non solum quum collo resupino caput reflectimus. Quamobrem Galeni cauillatio valeat. Cicero potius etiam locis alijs audiat, *hominem quasi contemplatorem cæli, ac deorum ipsorum cultorem factũ.* 1. Tusc. *Natura homines humo excitatos, celsos, erectos constituit, vt Deorũ cognitionem, cælum intuentes, capere possent. Sunt enim ex terra homines, non vt incolæ & habitatores, sed quasi spectatores supernarũ rerum, atq; cælestiũ, quarum spectaculum ad nullum aliud genus animalium pertinet.* lib. 1. de natura Deorum. Idem autem Agellius faciem totius corporis conformatione circumscribit. In hoc tamen versu lib. 1. Metamorph.

Vnus erat toto natura vultus in orbe,
Quem dixere chaos.

videtur exprimere faciem & statum illius indigestæ molis: habes, lector, quemadmodũ vox Latina *vultus* & Græca πρόσωπον de solo dicantur homine, vt προσομιλῶ ἐπὶ τῶν ἄλλων τῶν ζώων ἀλόγων, ὥσπερ ἐπὶ τῶν ὀρνίθων ῥύγχος καὶ ῥάμφος. i. *Sicut protome de alijs animantibus ratione carentib. vt rostrum de auibus.* Verbo quoq; *minanti* indicatur quędam venditatio & ostentatio promissorum, valetque

magnificè promittere & iactare. Seruius in hunc vers. Aeneid.2.

Si patrios vnquam remeassem victor ad Argos;
Promisi ultorem.

Promisi, inquit, per contrarium, id est, minatus sum: minamur mala: promittimus bona: contrà Horatius, *atqui vultus erat multa, &c.* de bonis intelligit: quomodo Græci etiam vsurpant: τὸ ἀπειλεῖν ἢ ἀπειλῆ pro αὐχεῖν ἢ αὐχὴ ἡ λαύχημα, gloriari & iactare, vt Iliad. θ.

Ὡς ποθ' ἀπειλήσει, τότε μοὶ χανοὶ σύρεϊα χθών.
Si quando gloriabitur, tunc mihi dehiscat lata terra.

Consule ibi Eustathium. Minari verò Grammatici deflectunt ab eminendo, quomodo sumitur Aen.1.

---Geminiq; minantur
In cælum scopuli.

id est, eminentissimâ elatione cælũ attingere videntur. Est certè hoc verbum appositissimũ ad hyperbolẽ sublimis ac ventosæ pollicitationis indicãdam: qualem auctores notârunt. Terent. Phor. Act 1. Sc.2. *is senẽ per epistolas pallexit modò non montes auri pollicens.* Sallustius in Catil. *Maria montesq; polliceri cœpit.* Persius: *Ecquid opus Cratero magnos promittere montes?* Sententiam nostri Poetæ Galli sic reddunt, *tu monstrois par ta mine, que tu ferois merueille de crire estant retire en ta maison des champs*, huiusmodi ostentatorẽ caprarius apud Theocritum Idyl. 7. hoc detestatur:

Ὡς μοὶ ἢ τεὴ, ὧν μέγ' ἀπέχθεται, ὅστις ὄρσυνα
Ἰσον ὄρευς λιωρυφᾷ τελέσαι δόμον Ὠρομέδοντος.
Quanto prosequor odio fabrum, qui domum quærit
Altitudine parẽ vertici montis Oromedontis cõstruere.

Si vacuum.] Grammatici notant particulam, si, hic non esse hypotheticam, ac potiùs συνημμένον, connexam, vt monui in Od.3.l.1 sed chronicam: ego verò ex Boëtio confirmare possum hoc enunciatum, quum homo sit animal est, perinde esse hypotheticum, atq; hoc: *si homo est, animal est*: similiter hoc, *quum Cic. sit orator; est quoq; dicendi peritus*: atq; hoc, *si Cic. sit orator; est quoq; dicendi peritus.* Ad hunc modum, quanquam hoc enunciatum, *si villula me vacuum exceperit tepido lecto; polliceor me multa & præclara scripturum*, per relationem temporis sic explicetur: quum villula me ceperit &c. non desinet tamen esse hypotheticum & cõnexum enunciatũ: cuiusmodi est hic locus Ep. ad Mæcenatem:

Quòd si bruma niues Albanis illinet agris;
Ad mare descendet Vates tuus, & sibi parcet.

vbi, *quòd si* valet, quòd quum, & vnde vna potes, sicut ex hoc loco, discere, nostrum Poetam frigoris impatientem fuisse. Citantur enim alij loci, vt e 20. Od. lib.3. rumpat & serpens iter institutum, si terruit &c. & e Phormione Terentij. non, si redisset pater, ei veniam daret, pro, quum vel postquam redijsset.

Vacuũ.] Hic ellipsis est, vel operum, vt sub finẽ præcedentis modò dixit, vel negotijs vacuum, vt 4. de Finib. Cicero, id est, ab omni molestia liberum, negotijsq; solutum: sic τὸ vacuus ad personam relatum ponitur pro otioso apud Terent. in And. Act.4. Sc.2. *ne vacuum esse me nunc ad narrandum credas*, & Ciceronem in Bruto, *itaq; hũc elegimus diem, quum te sciremus esse vacuũ.* Quidam etiam τὸ vacuum putant sine casu significare perturbatione animi solutum, vt irâ, inuidiâ, misericordiâ, vel ægritudine aliâ. Cic. 2. in Verrẽ, animo cœpi multò magis vacuo ac soluto nihil aliud, nisi de iudicijs agere & cogitare, Ouid. l.2. de Tristibus,

Aut si, quod mallem, vacuus fortasse fuisset.

Quorsum.] Quid profuit libros Platonis Socratici Philosophi, non Comici Poetæ, vt quidam volunt (non tamen video, cur nequeat hîc intelligi Comicus, cuius a Plutarcho versus aliquot citantur οἱ παραγγέλματι πολίσμοις, & a Platone nominatim appellatur) & Menandri in sarcinam constrinxisse? quid libros etiã Eupolis & Archilochi secum cum illis rus ex Vrbe cõportasse, si non vsurus eras illorum operâ & lectione? Hæc quæstio postulat αὐθυπόφορον negatam. Stipandi autem verbum Seruius deflectit a stupa, quæ etiam stipa dicitur in hunc locum 1. Aen. *Quum liquentia mella stipant*, id est, densant. Hæc quoq; librorum dissimiliũ sarcina eâ mente videtur collecta Horatio, vt in scribendo lenitatem Eupolis & acerbitatem Archilochi, grauitate Platonis & moratâ Menandri facilitate mitigaret ac temperaret, dum vtrumque studij genus & Philosophicum & Poeticum coleret. Suidas scribit, Menandrum Athenienſem fuisse & nouæ Comœdiæ scriptorem ad 80. fabulas: de quo lege Quintilianum lib.10. cap.1. & Propertium lib.3. Eleg.19. ad Cynthiam in simili consilio studij:

Illic (Athenis) vel studijs animum emendare Platonis
Incipiam, aut hortis, docte Epicure, tuis:
Persequar aut studium linguæ Demosthenis arma,
Librorumq; tuos, docte Menandre, sales.

Sed morata huius Poetę iucunditas, cùm ex imitatione Terentiana, tum ex hoc versu Ouid. 2. de Tristibus facilè perspicitur:

Fabula iucundi nulla est sine amore Menandri.

Quæ caussa fuit, cur C. Cæsar non dubitarit appellare Terentium, vel vt dimidiatum Menandrum, & puri sermonis amatorem: quod non ipsemet Terentius diffitetur in prologo Andriæ, vbi affirmat se Andriam ex Menandri Perinthia transtulisse, & pro suis vsum fuisse.

Si quid ad gratiam Poetæ potest accedere ex Etymo, ab hoc videtur nomen habere ductum, quòd impetum viri in se irruentis posſit excipere & fortiter sustinere. Huc addam vtroque fine Menander & Menandrus flecti ex antè citatis locis & ex hoc alio Nasonis:

Dum fallax seruus, durus pater, improba lena,
Vixerit & meretrix blanda, Menandrus erit.

De Archilocho satis dictum est Epod.6. vt de Eupoli Sat.4. lib.1.

Inuidiam.] Hic affectus definitur 2. Rhet. Aristotelis, λύπη τις ἐπὶ συμφορᾷ φαινομένῳ τῶν εἰρημένων ἀγαθῶν ἐπὶ τοῖς ὁμοίοις, & a Cicerone ferè similiter 3. Tuscul. inuidentia (hanc enim vocem mauult quàm inuidia, quòd hoc vocabulum anceps esset) est ægritudo ex alterius rebus secundis: cui Aristoteles addit, inter similes: quod congruit versui Hesiodi:

Καὶ πτωχὸς πτωχῷ φθονέει ἢ ἀοιδὸς ἀοιδῷ.
Mendicus mendico, cantor cantori inuidet.

Hic autem dolor rebus contrarijs sedari & leniri videtur: vt qui virtutis nomine sibi conflauit aliquorum inuidiam, studio vitij hanc facilè dissoluit: qui honorum caussâ putat eâdem se conflagrare, horum abdicatione omnem citò inuidiam exstinguit: sed hæc commutatio est viri modesti: illa verò hominis improbi atque infamis. Verum de hoc affectu vide Plutarchi librum de inuidia, vnde disces hoc interesse inter inuidiam & odium: quòd posterius iustè existat in malos: prius iniustè in bonos & fortunatos, & odio opponitur amor: vis quoque odij sæpè ad vnum contrahi solet: sed inuidiæ semper funditur ad plures, & huic gratia videtur aduersari. Præterea inuidia in solos homines cadit: non item in bestias: odium communiter attinet ad vtrumque, quomodo hic locus intelligendus est. Potest etiam obseruari differentia vtriusque e subiectis, vt qui inertissimo desidiosissimoque otio se dedit,

dedit, sine tamen cuiusquam offensione, conflat sibi inuidiam & contentionem solertium & gnauorum sine odio, ideoq; inuidia creditur dicta, quod non eos libenter videamus, qui rebus animos suos adiungunt nulli bono probãdis: sed odium existit ex accepta iniuria nobis aut amicis nostris facta. De eodem affectu exstat etiam liber Basilij viri doctissimi & sanctissimi, qui scribit, inuidum solo etiam aspectu more Basilisci nocere: cui fascinationi putabatur olim resistere sputum in sinum ter deiectum. Hoc se didicisse affirmat Damœtas personam Polyphemi sustinens ab anu quadam Cotaride Idyl. ζ. apud Theocritum. Sed huius perturbationis præsentissimam medicinam οὐ νυθέτικοῖς Φωνυλίδης habes.

Μὴ φθονέῃς ἀγαθῶν ἑταίροις, μὴ μῶμον ἀνάψῃς.
Ἀφθονοι ἀρανίδαι ἠὲ σὺ ἀλλήλοις τιλέθοσιν,
Οὐ φθονέει μιὴν πολὺ πρέοσσιν ἠλίου αὐγας.
Ne inuideas socijs bona, ne tibi appendas probrum:
Cælicolæ inter se viuunt sine inuidia.
Luna non inuidet radijs solis ipsâ clarioribus.

Improba Siren.] Περὶ τοῦ μέλους Σειρηνάων, de lenocinio Sirenæi cantus lege Odyss. μ. vers. 39. ἠ περὶ τοῦ ἐπιμυθίου τῶν Σειρήνων ζ. de finibus Ciceronis, & Eustathium in locum citatum Homeri & ἀπομν. β. Xenophontis, & Athenæum lib. 1. Grammatici putant hoc ductum esse nomen παρὰ τὴν σειρὰν, quòd Sirenes suauitate cantus, velut catenâ, præterna vigantes irretitos & constrictos tenerent. Plutarchus in sympositacis. Ibidem Eustath. scribit apud Aristotelem ζωύφιόν τι σύντομον, animalculum quoddam insectum, εἶναι τὴν Σειρῆνα ἀφωνοτάτου ὄντα καλούμενον, ὅτι δὲ καὶ σημαίνοντα τινὰ φωνὴν ὁ τοιοῦτος ἔχει σειρὴν, genere virili Sirenem sic vocari, quòd talis Siren ederet vocem articulatam. Ibidem tres paruas insulas Cãpaniæ maritimæ propinquas & petrosas dici Sirenas. Deniq; Sirenes etiam astra vocantur παρὰ τὸ σειρᾶν, ὅ ἐστιν ἀστράπτειν, ἠ λάμπειν, a coruscando & fulgendo. Ferũt illas fuisse filias Acheloi fluminis, & Terpsichores vel Calliopes Musæ, partim virgines, partim volucres, vnde a Virgil. Aen. 5. sub finem vocantur:

Iamq; adeò scopulos Sirenum aduecta subibat.

Vbi vide Seruium. Dicuntur incoluisse insulam Anthemussam in ora littoris Ethrusci, & quatuor nominantur, Aglaopheme, Thelexiepea, Leucosia, Ligeia: Sed recentiores, ait ibidem Eustathius, tres tantum, inter quas Lycophron numerat Parthenopen, Ligeiã & Leucosiam. Euripides autem in Helena illas facit terræ filias. Apollonius lib. 4. Argon. legatur de Sirenum ortu, qui etiam scribit Argonautas euitasse voces Sirenum Orpheo citharam pulsante. Sed de certamine Musico Sirenum & Musarum lege Eustathiũ in versu 201. Iliad. α.

Καί μιν φωνήσας ἔπεα πτερόεντα προσηύδα.

Et Ausonium Idyl. 4. vbi tres solùm etiam Sirenes dicuntur certasse cantu cum Musis: quo victæ Sirenes impatientiâ doloris alas ab humeris suis remouerunt atque abiecerunt, ac sese in mare præcipites dederũt: vnde a pennarum amissione oppido nomen Aptera, remansit.

Desidia.] Hoc nomen, vt deses, deflectitur ex ea verbi notione τοῦ desidere, quæ valet animo esse remisso & otioso, quomodo Suetonius vsurpauit in Iul. Cæs. c. 4. *Ne desidere in discrimine sociorum videretur.*

Ponendum.] Id est Græcè, ἀπολειπτέον ἠ ἀποβλητέον: relinquendum & abijciendum. Simplex autem verbum *pono* & tota ipsius συζυγία reperitur aliquando pro *compono & placo*, vt Ode 3. l. 1. ostendimus ad hunc locum, *Quo non arbiter Adriæ Maior tollere seu ponere vult freta.* Interdum pro depono Sat. 5. lib. 1.

Hinc muli Capuæ clitellas tempore ponunt.

Et sæpissimè ita vsurpatur à Cicerone in his, ponere libros, coronam, dolorem, inuidiam, odium, metum & similia. Hîc autem interpretor, perdẽdum tibi erit, quicquid priùs honestis actionibus collegeras bonæ famæ & existimationis hac turpi mutatione.

Di te, Damasippe.] Veteres Philosophi μακροπώγονες erant σύστριχοι ἠ σύνπωγονες, criniti ac barbati, barbamq; alebant ad seueriorem auctoritatem. Ideoque Horatius facetè irridet Damasippum, qui e mercatore repente factus fuerat Philosophus, atque illi videtur optare tonsuram talis sapientiæ, vt ex insano fieret sanus. Nomen autem Damasippus dictum videtur a domitione equorum.

Ianum.] Ianus intelligitur hîc vicus Romæ ad Basilicam Pauli Æmilij in foro Rom. quam Plinius ponit inter admirabilia Vrbis opera: qui vicus diuisus erat in summum, medium & imum: vbi duæ fuerunt statuæ Iani, vna in summo, altera in imo: de quo vide Ciceronem sub finem lib. 2. de Off & Philipp. 6. & Liuium sub finem l. 41. & annotationem in Sat. 2. l. 1. & 6. huius sequentem. Illuc fœnoratores, trapezitæ, mercatores conueniebant, ibique totum diem consistebant, emendo, vendendo, fœnori pecuniam dando, accipiendo, ac sæpè iniquissimo fœnore versuram faciendo: vnde tandem res multorum ad extremum redibat assem: sicut contigit huic Damasippo: cuius Cicero meminit l. 7. Epist. 23. ad Famil. M. Fabium Gallum: *Si Damasippus in sententia non manebit, aliquem Pseudodamasippum, vel cum iactura, reperiemus.* Fab. Gallus statuas quasdam & signa pluris emerat Ciceroni, quam merx æstimabatur. Itaque emtor scripserat, vt verisimile est, quia se in delecta & pretio mercis agnoscebat peccasse, Damasippum facile illa signa emturum, si displicerent Ciceroni. Itaque omnibus bonis spoliatus, nec domi quicquam habens, quod ageret, res alienas procurabat.

Aliena curo.] Qualem Græci πολυπράγμονα, καὶ περιεργον ἠ βαλανεῖα ἠ συνημοτόρον, ἀλλοτριοπραγοῦντα, curiosum *aliena negotia*: quia hoc genus hominum otiosam ferè degit vitam, resque alienas magis, quàm suas curare solet: cuius generis sunt tonsores, homines curiosi & garruli: quos docet Poeta Epist. 18. fugiendos. *Percontatorem fugito: nam garrulus idem est*, id est curiositas & garrulitas vitia sunt germana. Latini in deterius vocant curiosum, multis se rebus implicantem, quas nihil ipsius videtur interesse, vt cognoscat: qualis etiam πολυπραγμοσύνη reprehenditur in Chremete a Menedemo Heauton. Act. 1. Sc. 1. Chremete, tantúmne est ab re tua otij tibi, aliena vt cures, eaque, nihil quæ ad te attinent? itaque Plato lib. 4. de Rep. sapienter monebat, τὰ αὐτοῦ πράττειν, ἠ μὴ πολυπραγμονεῖν δικαιοσύνην εἶναι, *iustitiam esse* ac virtutem *res suas agere, nec alienas curare.* Huiusmodi curatio alienorum & maximè vitiorum, & contra propriorum noncurantia hîc in Stoicis irridetur. Idque meritò iuxta prouerbium Siculum, Μωρότερος εἰ Μορύχου, *stultior es Morycho, qui domesticum emissu, desidet foris extra domum*: quales apud Plutarchũ Lamiæ, & apud Martialem *Ollus*: quales quoq; Seneca lib. de tranquil. c. 12. sic coarguit: *circumcidenda est concursatio, qualis est magnæ parti hominum, domos & theatra & fora peterrantium, alienis se negotijs offerunt, semper aliquid agentibus similes. Horum si aliquem exeuntem domo interrogaueris: Quò tu? quid cogitas? respondebit tibi: non mehercule scio: sed aliquos videbo aliquid agam sine proposito vagantur, quærentes negotia: nec quæ destinauerunt, agunt, sed in quæ incurrunt. Inconsultus illis vanusq; cursus est: qualis formicis per arbusta repentibus, quæ in summum cacumen, deinde in*

imum inanes aguntur. His plerique similem vitam agunt, quorũ non immeritò quiè inquietam inertiam dixerit.

Excussus.] Hoc vsurpauit Cicero de Arusp. resp. P. Clodium alloquens, additoque altero verbo cognatæ notionis explicauit, *Te iudices dimiserunt excussum & exhaustum.* Hic intelligendus est ablatiuus, opibus vel pecunijs, quibus illorum iudicium Clodius oppugnârat, & ita absolutus & vacuus abierat, attamen iudicio aliorum omnium condemnatus manserat. Sic dicitur excuti patriâ & cubili pro excludi, exterminari & eijci, Gali. *estre chassé du pais & du lie.* Pro *excussus proprijs*, Cicero videtur dicere pro Flacco, euersus suis fortunis & 1. in Verrem, euertere aliquem omnibus fortunis, pro spoliare omnibus bonis, vel exuere, vel denique, vt Catul. in Iul. Cæsarem, *lancinare paterna bona.*

Amabam.] De hac Græca syntaxi dictũ est in Gram. Odes 3. lib. 2. pro solebam, & meus erat mos, vt hic ipse loquitur.

Vafer Sisyphus.] De Sisypho quoque & ipsius calliditate ac veriuerbio repete, quæ annotata sunt in Grammat. Odes 14. lib. 2. Damasippus autem significat se olim præter cæcera singulare mercatorẽ & æstimatorẽ fuisse vasorum ex ære Corinthiaco factorum, signorũ affabrè sculptorum, politeque fusorum, statuarum eleganter factarum: ædium denique & hortorum: ac præterea solitum vnicuique operi prudenter iustum statuere pretium, ac pluris posteà rursus alijs illa omnia diuendere. Huic loco aduersatur quod Virgil. lib 6. Aeneid. vers. 846. canit:

Excudent alij spirantia mollius æra.

Vnde censeo alterum ad imperitiam, & alterum ad peritiam artis fabrilis referendum.

Mercuriale.] Videtur legendum Mercuriali, quum idem efferat ferè Virgil. in dandi casu, *cui nunc cognomen Iulo.* item *cui Romulo cognomen erat.* Mercurialis autem Græcè dicitur Ἑρμαῖνὸς quòd Mercurius creditus sit πλουτοδότης & præses lucri, vnde in prouerbium abijt κοινὸς Ἑρμῆς, quum rei fortè repertæ, vel ἄλλου τοῦ συντυχήματος, volumus participes fieri emolumenti. De Mercurio vide plura in Gram. Od. 10. lib. 1. & in Sticho Plauti ad verba: Neptuno grates habeo e tempestatibus, simul Mercurio.

Compita.] Ratio huius vocis discenda est e Seruio in hunc vers. 2. Georg.

Premiaq; ingentes pagos & compita circum
Thesida posuêre.

Compita, inquit, appellantur ab eo, quòd multæ viæ in ea confluant, quasi diceres, coitinera, siue μιξόδια, siue τρίοδος, siue τετραοδία fuerit. Ad hanc compitorum notationem pertinet, quod fecit Ouid. 1. Fastorum.

Ora vides Hecates in tres vergentia partes,
Seruet vt in multas compita secta vias.

Paulò tamen aliter Varro lib. 5. de ling. Latin. vbi viæ competunt, id est, conueniunt, tum in compitis sacrificatur.

Purgatum.] Rarissima est hæc Syntaxis, & meo iudicio Hellenismum sapit: ita enim videtur Herodotus l. 5. loquutus, λαβαρεῖσα πονηρῶν ἀνθρώπων, *improbis hominibus purgata.* Latini autem sæpiùs dicunt purgari morbo, bile, vitio & similibus. Hic autem Poeta valdè dicit sibi esse mirum, quemadmodũ Damasippus cupiditatem τοῦ ἀκρατοσπουδεῖν compresserit & restinxerit.

Emouit.] Id est, πολυπραγμοσύνη καὶ πόρριωγία τοῦ φιλοπρωτείαν ἐκ τῶν στήθεων ἐξέβαλε, *curiositas multa & superuacanea pectore extrusit & eiecit lucri cupiditatem.*

Trajecto.] Pleuritis aliquando pus suum effundit in stomachum, sicut cephalalgia sæpè peccantem humorem eódem detrudit, & ab vtroque æger stomachus solicitatur: vnde interdum purulenti aliquid extussitur & exscreatur.

Vt Lethargicus hic.] Τὸ *hic* infinitè sumitur, pro quo Græci ponũt τὶς, vel potius, ὁ λέθαργος, aliquis lethargicus. Festus, vt quidam falsò putant, descriptione declarat lethargicum, qui graui somno premitur: sed meliùs e caussis definitur, qui frigidâ & humidâ cerebri intemperie laborat, proueniente ex pituita sic constituta: cuius intemperiei comites sunt febris lenta, obliuio, macor & inexpugnabilis dormiendi necessitas Cornel. Celsus lib. 3. c. 20. Deflectitur autem ἀπὸ τῆς λυθάργου (qui Latinè dicitur veternus funestus, Epist. 8. & veternosus) & hoc ἀπὸ τῆς λήθης, ab obliuione.

In cor.] Catachresis est pro stomacho & ventriculo vt docuimus in Gram. Odes 6. l. 1.

Insanis.] Quod Græci dicũt, εἰ μὴ ἔξω φρενῶν μαίνεσθε καὶ ἄφρων, ἤγουν εἰ νὸς βεβλαμμένος ἐστὶ. Gignitur autem phrenitis propriè dicta ex inflammatione cerebri & meningum, cuius comes est febris acuta & mentis perturbatio, frequens corporis agitatio & inquies, vt quod dicitur ab Euripide de alijs ægrotantibus in Oreste, Δυσαρέστου οἱ νοσοῦντες ἀπορίας ὕπο, *prætudicij ac cõsilij inopia ægrũ nihil placet & offensioni sunt ipsis omnia*: de phreneticis dicendum videtur maximè.

Si quid Stertinius.] Huius mentio fit Epist. 12. lib. 1. & apud Festum in voce, *orca*, videtur appellari Stertinius, qui Stoicus fuit & versibus contra Empedoclis principia etiam versibus scripta disputauit. Est l. 29. c. 1. Plinij secundi quidam medicus eiusdem cognominis, sed prænominis diuersi Q. Stertinius.

Veri.] Id est, si verum est paradoxum, quod hic L. Stertinius assiduè habet in ore.

Descripsi.] Ita Cicero loquitur lib. 13. Epist. 21. ad Att. *Balbus a te quintum de finibus librum descripsit*, Gall. *Balbus a copiè sur son exemplaire le cinquiesme liure des Fins: aussi moi qui apprens aisement, j'ai copiè de l'exemplaire de L. Stertinius ces beaux & merueilleux enseignements.* Hæc Stertinianæ doctrinæ prędicatio magnã habet δεινοσοφίαν, hoc autem aduerbium, *vnde*, est loco nominis, a quo.

Pascere.] Satis omnibus constat, vel ex vno versiculo Persij Sat 4. Philosophos promissam barbam & capillis longiorem solitos gestare, sapientiæ argumentum & insigne:

Rem populi tractas? barbatum hoc crede magistrum
Dicere, sorbitio tollit quem dira cicuta.

Vbi Poeta inducit Socratem Alcibiadi grauiter succensentem, quòd iuuenis & flagitiosus, imperitusque vellet Remp. Athenienſium regere, quæ, vt omnis publica administratio, virum prudentiâ, morum integritate, longo rerum vsu & experientiâ, ac denique pacis & belli artibus clariorem præstantioremque cæteris requirat. Hoc autem caute & Satyricè Persius illic instituit, vt Domitium Neronem ostenderet minimè idoneum populi rectorem & pastorem esse, qui nihil vnquam studio percepisset, audijsset, didicisset. Iuuenalis ob id Sat. 4. docet liberos molli educatione, indulgentiâ & prauis parentum moribus perdi, vt vix, ac ne vix quidem, inde ad meliorem frugem possint reuocari:

Barbatos licet admoueas mille inde magistros.

In quos tamen ridiculum illud iactatum est, ἐν πώγωνος σοφοὶ, *sapientes barba tenus*, τοῦτ' ἐστὶν ἐπιπολαίως, *in superficiem*: propterea quod pogonophoria non semper indicat philosophiam: vt hæc parœmia e lib. 1. Epigr. Græc. cap. εἰς ἀρετὴν docet:

Πολλοὶ τοι νερθηκοφόροι, παῦροι δὲ τε Βάκχοι.

Multi quidem gestant ferulam, sed pauci sunt Bacchi.

sicut

sicut hoc alterum:

Εἰ τὸ τρέφειν πώγωνα δοκεῖ σοφίαν περιποιεῖν,
Καὶ τράγος σὺν πώγωνι σοφὸς ἐστι Πλάτων.
Si nutrire barbam videtur sapientiam tribuere,
Hircus etiam benè barbatus & ornatus poterit esse alter Plato.

Similiter: *ὁ ἐν τρίβωνος φιλόσοφος, dicitur Philosophus veste lacerâ tenus.* Non equidem puto esse ab hoc proposito alienum, si, quod Agellius scribit lib. 9. cap. 2. ad hæc addidero: *ad Herodem*, inquit, *Atticum, consularem virum, ingenioq; amœno & Græcâ facundiâ celebrem adijt, nobis præsentibus, palliatus quispiam & crinitus, barbâq; propè ad pubem vsque porrectâ, ac petit æs sibi dari, εἰς ἄρτους emendos scilicet. Tum Herodes interrogat, quisnam esset. Atque ille vultu, sonituq; vocis obiurgatorio Philosophum sese esse dicit, & mirari quoque addit, cur quærendum putasset, quod videret: video, inquit Herodes, barbam & pallium, philosophum non video, &c.* reliqua ibidem lege. Scio equidem prolixam barbam indicio olim fuisse etiam luctus & mæroris, vt liquet ex 4. Verr. & oratione de lege Agr. e Suetonio in Augusto, & Titi Liui. l. 2. 6. & 27. Item e Plutarcho in Catone Vticensi: sed hæc parum attinent ad locum præsentem, quum philosophi, ac præsertim Stoici, suum sapientem ab huiusmodi perturbationibus semper omninò vindicârint.

Fabricio.] id est, prohibuit, ne me deijcerem in Tiberim de Ponte à Fabricio Cõsule sic nominato, tanto rerum mearum naufragio facto: quarum intolerabili dolore in propinquo iam eram, vt inde me præcipitem miser darem, nisi Stertinius me solatus opportunè fuisset.

Capite operto.] Quærunt nonnulli, quid caussæ sit, cur homines mortem sibi consciscentes, vel aliunde illam ἄφνιτον impendere sibi præsentientes, quibusdam involucris caput operiant. Id quidam tribuunt pudori, alij breuiori dolori, ac minori commotioni: alij naturæ prouisioni, quæ scit in capite, tanquam in summa arce, sedem animi principem esse locatam (atque in primis eum relucere in oculis, ideoque hos diligenter obiectu manuũ ab iniuria defendimus, vt rem omnium carissimã, vt Andromache apud Euripidem vocet filium, ὀφθαλμὸν βίου, & nos dicamur in oculis eos gestare, quos vnicè amamus) ideoque illam cupit partem sartam tectamque habere. Ita ferunt voluisse Anaxagoram mori. Ita quoq; Cęsarem & Pompeiũ necatos ἐπικαλυφθέντας. Ita Suet. narrat Neronem Claud. in ipsius vita c. 48. de fuga eiusdem ex Vrbe, *vt erat nudo pede atq; tunicatus, pænulam obsoleti coloris superinduit, adopertoq; capite & ante faciem obtenso sudario equum inscendit quattuor solis comitantibus &c.* quale quid Petronius prosopopœiâ cuiusdam Gytonis memorat, *prælegemus vestibus capita, & nos in profundum mergamus.* ita denique innumerabiles Dei martyres veteres & alij, quorum recens est memoria: sed aliò hi spectabant, vt discusso animi terrore mentem semper fixam in Deo & Iesu Christo tenerent.

Dexter.] Ἐπιδέξιος, id est, commodè, opportunè & feliciter mihi adfuit: sic Persius Sat. 3. vocat senionem dextrum. i. punctum in talis, qui lucrum afferebat ei, qui illum iecerat. Quidam hoc referunt ad dextrã corporis partem, quã iamiam lapsurum Stertinius apprehendit: alii τροπικῶς accipiunt, quomodo dictũ est Sat. 9. l. 1. & 1. l. 2. pro felici casu, vel opportuno tempore: sic loquitur Virg. 8. Aen. de Hercule ad vers.

Et nos & tua dexter adi pede sacra secundo.

quod Seruius interpretatur per, *propitius.*

Caue faxis.] Ita Terencius Heaut. *Caue, faxis, non est opus, pater:* vbi est perpetua Ellipsis, ne, sicut in hoc ad Att. l. 13. *caue, facias*, & in Lælio, *caue, Catoni anteponas:* sic hoc loco, vide, ne quid committas, quod te vehementer dedeceat. Notandum præterea in, *caue*, vltimam corripi, tanquam illud flecteretur a cauo, vis, sicut in versu Epist. 13. l. 1. *vade, vale, caue, ne titubes, mandataq; frangas*: vbi lege notas in phrasin *caue, ne tibubes* contra Grammaticos, qui eam, vt hanc interpretationem *caue, ne faxis*, reprehendunt.

Pudor malus.] De pudore vitioso lege libellum Plutarchi inscriptum περὶ δυσωπίας, quum quis dolore accepti mali nõ potest intueri eos, quos deceret, nec conspectum aliorum sustinere: vnde desperatâ meliorum exspectatiõe sæpiùs it se perditum. Καταφεία autem est in hoc genere pudoris: sed tantùm videtur adsignificare demissionem vultus affecti dolore. Huiusmodi verecundiam tam perniciosam ita Epist. 16. lib. 1. vocauit.

Stultorum incurata pudor malus vlcera celat.

Vterque pudor & vtilis & vitiosus hoc versu Iliad. ω. continetur, vbi Apollo comparat Achillem cum leone immiti:

——Οὐδ' οἱ αἰδὼς
Γίνεται, ἥτ' ἄνδρας μέγα σίνεται, ἠδ' ὀνίνησι.
Neque ipsi Achilli
Est pudor, qui vel multùm ladit vel iuuat homines.

Hunc quoque versum vsurpat Hesiodus in operibus, & Plutarchus in lib. περὶ δυσωπίας.

Qui vereare.] Quoties *qui* est ætiologicum, gaudet temporibus secundis.

Primùm nam.] Hic *nam*, sicut *pereas quin*, dicuntur κατὰ τὴν ἀναστροφήν. Postulat enim conuenientia ordinis, vt vtraque particula antecedat, & ita dicatur: nam primùm, & quin pereas.

Nil verbi.] Pro quo alibi dicit, *verbum non ampliùs addam*, de vita longiùs ducenda in tanta rerum tuarum amissione.

Quem stultitia.] Id est, quem stultitia occæcat, & cui mentis aciem perstringit, est insanus.

Chrysippi.] De Chrysippo lege lib. 7. Laertij: vnde, licet Cic. l. 4. Acad. quæst. scribat, illum fulcire porticum Stoicorum, disces tamen fuisse discipulum Zenonis vel Cleantis, & nõ auctorem scholæ Stoicæ, sed conseruatorem tantùm.

Autumat.] Rationem huius verbi pete ab Agellio l. 15. c. 3. Valet autem, censet & iudicat, vel auctor est & suasor.

Formula.] Desideratur hic *legis & decreti*, ex quo intelligas hoc Stoicum Theticum & paradoxum, *omnes stultos insanire*, communiter ad omnes, præterquam ad sapientem, attinere.

Velut syluis.] Pro, quemadmodum in syluis ille sinistrorsum, hic dextrorsum abit, vterque aberrans a recta: sic te credas insanire.

Passim palantes.] Palari est sparsim vagari, nec vllam tenere certam viam, quod Grammatici deflexum putant a castrensibus palis, qui subinde transferuntur, sicut castra etiam identidem mutantur & mouentur. Fortassis etiam metatheli quadam παρὰ τὸ πλανᾶν καὶ πλάσσειν, vagari, quasi πλανῶντες καὶ πλάσσοντες vocentur.

Tramite.] Quid propriè trames sit, videtur Liuius l. ab Vrbe 2. subindicare: inde in Latinam viam transversis tramitibus transgressus est. Item Cic. 13. Philip. Egressus est non viis, sed tramitibus paludatus: quos Græci dicũt ἀτραπὸς ἢ ἀκραπιτὸς, id est, diuerticula, calles & itinera compendiaria, semitasq; à via plaustrorum remotas.

Variis illudit.] Quum deflectitur primùm a recto, parua videtur erratio, sed quò longiùs duo illi via-

tores progrediuntur, eò plures ac inexplicabiles diversi consequuntur errores.

Caudam trahat.] Id est, derideatur ipse appensâ ipsius tergo vulpis caudâ, vel dicteriis, vel ridiculâ re aliâ, vnde risus omnium & acclamatio puerorum moueatur per vicos, vt sæpè Lutetiæ accidit, vbi sic caudatis acclamatur, *Au renard.* Antinous queritur Odyss. *β.* talem a Telemacho Vlyssis filio Græcis ignominiæ notam inuri:

Εθέλεις δὲ κὲ μῶμον ἀνάψαι.

Sed vis nos probro afficere.

quod sic Eustathius interpretatur: *ἀσχημονεῖν τινα ὁ μῶμον ἐπείνῳ ἀνάπτων* dedecorare aliquem appendendo ei momum, *τοῦτ' ἐστὶ τὸν ψόγον διὰ τοῦ μέμψιν*, sicut Hesychius explicat. Ideoque Phocylides monet, *μὴ μῶμον ἀνάψῃς*, vt iam monuimus: pro quo Plato dicit in Apologetico, *τοῦ τῇ πόλει ἀσχήμονι περιάπτειν*, *maculam ciuitati inurere*, vel eidem ignominiam imponere. Turnebus tamen interpretatur trahere caudam, superbire & iactare se. Contrà Cruquius mauult caudæ contractione ignauiam, metum & inertiam notari. Ego verò primam malo sequi sententiam, & explico, trahat caudam, ut derisor aliquid etiam ipse habeat, quo æquè derideri possit. Libet annotare discrimen, quod Donatus statuit inter *ridere* & *deridere* Adelph. Act. 5. Sc. 4. sub finem: ridet, qui simpliciter ridet: deridet, qui cum alterius irrisione & contemtu ridet.

Est genus.] Maniæ & insaniæ genera vide in Phædro Platonis & *Απομν.* Xenophontis.

Per medios.] Id est, præcipitanter ferri in extrema pericula: sic loquutus est Od. 3. l. 1. *Gens humana ruit per vetitum nefas*, & Virg. 4. Aeneid. de Anna perterrita morte sororis Didonis:

Per medios ruit ac morientem nomine clamat.

Id aliquando pronunciatur aliis præpositionibus, vt Virg. 3. Georg. *in Furias & ignem ruere*: item, *ad interitum ruere*, Cic. pro Marcello. Minor autem vis est in verbo *ferre*, vt est 1. Aeneid.

Talis erat Dido, talem se læta ferebat
Per medios instans operi.

Serua.] Absolutè verbum ponitur, pro, caue, ne progrediaris, quemadmodum loquitur Plautus in Amphit. *Quid si ego illum tractim tangam, vt dormiat? Si seruaueris.* Gall. *Gardez vous en bien*, pro quo Græci, *φυλάττου παραβαίνειν ἢ τοῦτο ποιεῖν*, Gall. *Donnez vous garde de passer outre, ou de faire cela.*

Quàm Fusius.] Tragœdiæ fuit actor, qui, quum personam Hecubæ leuiter dormientis aliquando suscepisset in agenda Tragœdia, quam Latinus quidam Poeta, ad imitationem Hecubæ Euripideę scripserat, tam arctè & otiosè dormiuit, vt a Catienno personam Polydori sustinente non potuerit exsuscitari, nec a cunctis spectantibus conclamatione Catiennum adiuuantibus. Hic autem Catiennus agebat Polydorum Priami filium, & a Leuiro suo Polymnestore & Thraciæ rege interfectum: cuius manes ore Catienni inclamabant Ilionam sororem & homicidæ vxorem, sed auribus Fusij ipsam agentis non sunt exauditi. Quidam putant Ilionam, quæ fuit Virgilio sub finem 1. Aeneid.

Prætereà sceptrum, Ilionæ, quod gesserat olim
Maxima natarum Priami.

& vxor Polymnestoris, sumendam esse pro Hecuba e quæstionibus Acad. Ciceronis: sed tamen manes Polydori poterant etiam clamare Ilionam sororem querentes apud eam de crudelitate mariti. Prætereà edormire sumitur *συνεγκτικῶς*, vt in illo Ciceronis 2. Philip. *edormi crapulam & exhala.* Valet igitur hîc: Fusius vinolentus fingit Ilionam dormientem, quum huius personam sustinet.

Ego vulgum.] Altero genere & fine dicit Od. 35. l. 1. at vulgus infidum retrocedit, sicut Virg. Aen. 1. *sauit ignobile vulgus*, quod priori est multò vsitatius.

Insanire.] Syntaxis verborum est huiusmodi: Ego docebo cunctum vulgũ insanire errorem similẽ huic errori. Hoc modo Seneca loquitur, *insanire hilarem insaniam*, vt cursum currere, & vitam viuere. Sic enim absoluta casus cognatos sibi facilè ascisciunt.

Integer mentis.] Sicut mox, *incolumi capite es* & *integer animi* valent hoc Græcum *ἀτίφρων*, quod Hesychius interpretatur, *ὑγιὴς τὴν φρένα, σώφρων, σώφετος*, *qui est sanæ mentis & incolumis iudicij ac intelligentiæ*, eadem vox definitur a Platone lib. 7. de rep. *ἀφρόνα ἐστὶν, οὗτινος ἡ ψυχὴ ὀυκ ἀνάπηρος*, id est qui non est vitiatus sed est mente perfectâ, omnibusque numeris absolutâ.

Nunquã reddas &c.] Seneca l. 6. c. 5. de beneficiis hoc verbũ sic notat, *quũ dicimus, beneficiũ illi reddidi, nõ hoc dicimus, illud nos, quod acceperamus, reddidisse, sed aliud pro illo. Reddere enim est rem pro re dare. Quid nisi quũ omnis solutio nõ idem reddat, sed tantundẽ. Nam & pecuniam dicimus reddidisse, quamuis aureos numerauerimus pro argenteis: quamvũ nummi non interuenerint, sed delegatione & verbis perfecta fit solutio.* Hæc autem obseruatio subtilior, quàm verior mihi & quibusdam alijs videtur: qualis visa est Ciceroni illa fidei notatio lib. 1. de officijs: *fidem ex eo dictam, quia fiat quod dictum est*: quæ profectò eò magis suspecta nobis debet, quòd ipsi Ciceroni durior visa sit, vt a Stoicis studiosè exquirentibus, vnde verba ducta sint, profecta. Non minus est frigida illa Iurisconsultorum testamentum dici, quòd sit testatio mentis. Item mutuum, quòd fiat ex meo tuum. delegare autem, cuius inclinamento Seneca vtitur, is dicitur, qui pro se alium debitorem volenti creditori substituit, vt verbis significatur perfecta solutio.

Excors,] Vt Horatius geminat hîc, insanus & excors, sic Cic. pro domo sua, excors & demẽs, quæ vno verbo dicuntur *ἄφρονες*. Congruentius quidem vocis Latinę *ἀνόητοι* responderet: sed est parum vsitatum, & ex more veterum excors dicitur, qui cor sapientiæ sedem esse putant. Vnde Iusc. 1. *Quid porrò ipse animus, si aut vbi, aut vnde magna dissensio est: alius cor ipsum animus videtur, ex quo excordes, vecordes, concordesq; dicuntur.*

Mercurius.] De Mercurio dictum est in Gram. Od. 10. l. 1. e l. 6. c. 15. Diodori, vbi definitur præter alia, inventor mercaturæ & quæstus auctor, quem nũc æquus & fauens dicitur offerre, vnde *τὸ ἐρμαῖον*, *id est* insperato quæstu & lucro inopinato ponit, & Gall. *bonne rencontre & bonne auenture*, vocatur. Pręda verò a Varrone deflectitur a verbo pariendi, id est, acquirẽdi, quasi manu parta sit: & Agellius scribit l. 13. c. 23. proprie significare corpora rerũ, vt iumentorũ, mancipiorũ manu capta: qualem prędã Gręci vocant *λείαν ἀκροβολισμὸν* captiuam prędam: sicut exuuias vrbiũ direptarũ *τὰ λάφυρα*. Præda autẽ reiecta valet, si recusâris prædam tibi oblatam.

Scribe decem] Supple, a Nerio te accepisse, id est, tu debitor per syngrapham testificare, te certã pecuniæ summam debere Nerio fœnoratori, cuius fit mentio Satyrâ 2. Persij.

——*Nerio iam tertia conditur vxor.*

Hunc referunt morte coniugum suarũ locupletatum fuisse. Dos enim a ciue Romano data, nõ patrio dicta nomine, si repudium non interuenerit, post mortem vxoris ad maritũ pertinet: hoc autem referunt glossæ veteres, eum postea factũ notissimum fœnoratorem.

Adde Cicuta.] Cicuta Perillius fuit etiam fœnorator valdè consultus in pecuniis locandis. Adde igitur tu, o argentarie,

ô argentarie, tabulas & syngraphas centum vel mille, quibus debitorem obliges: hic tamen nihil tibi exsolvet. Hic vides supplendam inter centum & mille disiunctiuam. Grauis est Senecæ quærela l. 3. c. 15. de beneficijs contra creditores ætatis illius, *vtinam quidem persuadere possemus, vt pecunias, creditas tantum a volentibus acciperent! vtinam nulla stipulatio emtorem venditori obligaret! nec pacta, conuentaq; impressis signis custodirentur! fides illa potius seruaret, & æquum colens animus. Sed necessaria optimis præiudicarunt, & cogere fidem, quàm spectare malunt: adhibentur ab vtraq; parte testes. Ille per tabulas plurium nomina interpositis paratis facit, ille nõ est contentus interrogatione, nisi rem manu suâ tenuit. O turpem humano generi fraudis ac nequitiæ publicæ confessionem! aniculis nostris plus, quàm animis creditur. In quid isti viri ornati adhibiti sunt? In quid imprimũt signa? nempe ne ille neget accepisse se, quod accepit.*

Proteus.] De Protei mutabilitate dicetur 1. Epist. lib. 1. sed fuit alter Proteus vates & pastor, cuius meminimus in Gramm. Odes. 2. l. 1. an hic vnus & idem fuerit cum priori, tu videris.

Effugiet vincula &c.] Donatus interpretatur hoc verbum per, *in totum fugere*, poniqúe scribit pro *vitare*, sed Cic. 3 in *Verrem* affinitate quadam significandi coniũgit vtrumque. *In quibus non dubito, quin offensionem negligentiæ vitare atque effugere non possim.*

Quum rapies.] Sic loquutus est Sat. 9. l. 1. vbi formula rapiendi aliquem in ius explicata est ad hæc verba, *licet antestari, &c.* Liberetiam hîc te, lector, admonere de altera lectione, quam Xylander ac editio Plantini. an. 1576. secuti sunt:

Quum rapies in iura malis ridentem alienis.

Dion. tamen Lambinus, admonitus, vt ipse fatetur, a Simeone Bossio Lemouico e vetusto exemplari mavult legere *in ius mâlis*, ex interpretatione Homerica. Ego autem non planè vulg. improbârim, vt dolis ac imposturis huiusmodi hominum valdè accommodatam & versiculo παροιμιώδει iambico:

Γελὼς ἄκαιρος δεινὸν οὐ βροτοῖς κακόν.

Intempestiuus risus est hominibus graue malum.

Quam etiam agnoscere videtur diligentissimus φιλέλληνι Germanus Vallens Guellius in hunc vers. 430. lib. 1. Aen. *iura mag stratusq; legunt*, vbi τὸ *iura* interpretatur δικαστήρια ἢ δικαιωστήρια, *auditoria & loca iuris dicendi*, huncque Horat. locum citat, sic & Horatius *in iura rapere* dixit. Eodem quoque tropi genere tuetur se lectio *in ius* præter Homericam imitationem ex annotatione Donati in Phorm. Act. 5. Scen. 9. ad verba, *in ius ambula. Ius*, ait, *pro loco est.* Ibidem, *in ius eamus*, id est, ad Prætoris sellam.

Malis alienis.] Hoc dicitur ad imitationem Homeri sub finem Odyss. v. quem quidem locum tabulæ in scholia Eustathij mihi indicârunt:

Ὡς φατο Τηλέμαχος· μνηστῆσι δὲ Παλλὰς Ἀθήνη
Ἄσβεστον γέλον ὦρσε, παρέπλαγξεν δὲ νόημα
Οἶδη ἤδη γναθμοῖσι γελοῖῳ ἀλλοτρίοισιν.

Sic fatus est Telemachus: procus autem Pallas
Ingentem risum mouit, & sanos mentis sensus auertit.
Illi iam mala ridebant alienis.

Eustathius in postremum versum hæc annotat. ἰστέον δὲ, ὅτι γναθμοῖς γελᾷν ἀλλοτρίοις διὰ νῦν ἐπιπολάζει λέγεσθαι παροιμιακῶς. τὸν γὰρ τοῖς ἐφ' οἷς μὴ ἄξιον γελῶντας ἐνθυμῶ ἢ ἀμηχανίας τινὸς, ξενοῦς φαμὲν γελᾷν παρεικῶς. ὥσπερ διὰ τοὺς πρὸς βίαν ἐδέοντας ἀλλοτρίοις ἐδίειν γναθμοῖς. ὡς τῶν οἰκείων δοῦναι ὀνοιούντων. διό ἐστιν ὁ τοιοῦτος γέλως ἕτερός τις παρὰ τὸν Σαρδόνιον. *Sciendum est verò, malis ridere alienis videri iam nunc more prouerbij dictum. Nam eos, qui non ex animo, vel qui mentis inopiâ rident, ob quæ non decet, dicimus peregrinis ridere genis, vt eos, qui comedunt inuiti & coacti, alienis comedere maxillis, propriis quasi cessantibus, atq; huiusmodi risus est alter quidam Sardonius risus*, id est, fictus & simulatus. In litera Scholiastæ puto desiderari negationẽ, ὅτι ante ἐν θυμῷ. Prolixior est Scholiastes in expositione huius sententiæ. Itaque, qui plura his requiret, locum adeat. Talis autem risus explicatur apertiùs Iliad. o. sub principium ad hæc verba:

Ἦ δ' ἐγέλασε
Χείλεσιν, οὐδὲ μέτωπον ἐπ' ὀφρῦσι κυανέῃσιν
Ἰάνθη.

——Iuno risit
Tantùm labijs, neque tamen frons nigris superciliis
Venusta, quasi diffusa erat hilaritate.

Huc accedât huiusmodi scholia Eustathij. Τὸ γὰρ γελάσαι χείλεσι μόνοις διὰ μὴ χανδὸν ἢ παντὶ προσώπῳ, ἀλλὰ μηδὲ ὥστε μειδιάσαι, παρασύραι δὲ μόνον αὐτὰ διὰ τῶν σεσηρότων τὸν Σαρδόνιον ὑποδηλοῖ γέλωτα, τὸν μεθ' ἡμιοῦ καρδίας βαρυνομένης ἄχθηταί τις, ἤτοι ὀχθεῖ, ὃς δὴ γέλως, ἢ οὐ Ὀδυσσείᾳ δηλοῦται. ἑρμηνεύων δὲ ποιητής τί ἐστι τὸ, ἦ δ' ἐγέλασε χείλεσιν, ἐπάγει, οὐδὲ μέτωπον ἐπ' ὀφρῦσι κυανέῃσιν ἰάνθη, ἤγουν διεχέθη, ἐθερμάνθη καθὰ ἢ ὕδωρ οὐ χάλκῳ ἰαίνεται πυρὶ θερμαινόμενον. Id est, *Nam ridere solis labris nec hiatu oris, vel totâ facie, neq; quasi placidè ridere, sed labia solùm distorquere more canum rigentium, subindicat Sardoniũ risum, qui mouetur e morsu cordis grauiter affecti, quibus irascitur vel indignatur aliquis. Quum autem Poeta interpretatur quid sit labis ridere, addit, neq; frons exporrecta est lætitiâ*, id est, *diffusa, feruefacta: sicut aqua in aheno calefacta igne.* Sed de risus Sardonii origine & vsu ipsi⁹ lege Erasmum in Chiliadibus.

Perilli.] Hic Cicuta Perillius fœnorator fuit, qui magis desipit, credens suam pecuniam homini, qui non sit soluendo, quàm Damasippus.

Dictantis.] Dictare est credentis, qui dictat accipienti vel argentario scribẽdo formulam obligationis: ideoque sumitur pro dare & credere, & rescribere pro reddere, soluere & renumerare: quomodo sumitur Phorm. Terentianæ Actus. 5. Sc. 8. *atque illud mihi argentum iube rursum rescribi Phormio*, vt interpretatur Donatus, & sic Aeneid. 7. ad hæc verba.

Et tua Dardaniis transcribi sceptra colonis.

vbi Seruius citat vtrumque hunc locum & Horatij & Terentij & τὸ *transcribi* interpretatur, tradi. Obligatio enim scripturâ olim fiebar, & nominibus dicebatur fieri: de quo vide Iustin. in Institutionib. & Budæum in Pand. & Hotoman. in 3. Verr. item Donat. in locum Terentij modò citatũ de scriptura mensæ, & Cic. Epist. postr. lib. 4. ad Attic. *hæc pactio non verbis*, id est, non stipulatione ac testibus præsentibus, *sed nominibus & præscriptionibus quum esse facta diceretur, prolata est a Memmio.*

Audire atque.] Hysterologia quædam est: decora enim togæ compositio audientiam debet præcedere: ex quo dicendum videretur, ego diu disputaturus iubeo vnumquemque vestrũ togam componere decenter, atque ita benè instructum venire auditum. De toga autem dictum est in Gramm. 4. Epod.

Superstitione.] Videtur Cicero 1. de nat. Deorum ita definire ac distinguere religionem ac superstitionem: *horum*, inquit, *sententiæ omnium, non modo superstitionem tollunt, in qua inest timor inanis Deorum, sed etiam religionem, quæ Deorum pio cultu continetur*: cuiusmodi discrimen etiam statuit lib. 2. de nat. Deorum, vbi notat superstitionem a superstite ductum habere nomen: sed contra Ciceronem Lactantius lib. 4. cap. 29. disputat: & Seruius aliter atque horum vterque sentit in hunc vers. 8. Aeneid.

Vana superstitio, veterumq; ignara Deorum.

Superstitio, inquit, *est timor superfluus & delirus, aut ab ani-*

culis dicta, quæ multis superstites per ætatem delirant & stultæ sunt: aut secundùm Lucretium superstitio est superstantium rerum, id est, cælestium & diuinarum, quæ super nos stant, inanis & superfluus timor! vnde ἐπιφωνηματικῶς ille canit:

Tantum religio potuit suadere malorum!

Pendet autem hæc definitio & nititur hac lege: *separatim nemo habeßit Deos: néue nouos siue aduenas, nisi publicè ascitos priuatim colunto.* Hanc Græci ἐθελοθρησκείαν vocãt cultum sponte susceptum: cuius vocis rationem possumus repetere ex ipso Plutarcho in Alexandri vita sub initium, vbi docet τὸ θρησκεύειν deflexum esse παρὰ τοὺς θεράπας: quos notat immodicè studiosos esse ceremoniarum in cultu Deorum, ac maximè mulieres Samothraciæ, & inter has Olympiã Alexandri matrem: qui cultus aliter Græcis vocatur δεισιδαιμονία, quomodo est inscriptus libellus Plutarchi de eodem argumento. Valet autem hæc dictio, metum Dęmonum superstitiosum, quo adacti credunt esse Deos: ideoque D. Paulus in Act. Apost Athenienses vocat δεισιδαιμονεστέρους. περὶ δὲ τῆς θρησκείας καθαρᾶς καὶ ἀμιάντου lege cap. 1. epist. D. Iacobi sub finem: vnde disces τὰ θρησκεία καὶ θρῆσκος interdum sumi pro religione & religioso: Interdum pro superstitione & superstitioso.

Propius me adite.] Ex annotatione Donati in vers. Act. 3. Sc. 3. Andr. *aliquot me adiêre*, hoc verbo significatur accessus quidam arduus ac difficilis, qualis est aditus cum importuna interpellatione.

Hellebori.] Vox Græca est ἔλλεβορος, & dẽsanda est ex etymo παρὰ τὸ ἕλειν τὴν βορᾶ, quòd comestus necet, vel cibum corporis eripiat, quod adsignificare videtur ἐπίθετος vox Hippocratis ἐν τῷ περὶ τῶν γυναικείων ἐκτόμων, ἄγων ἐκβόλιος, quòd fœtus mortuos eijciat ex vtero. De hoc lege Dioscoridem lib. 4. cap. 150. & 151. Theophrastum lib. 9. Hist. Plant. cap. 11. Plinium lib. 35. c. 5. Agellium lib. 17. c. 15. Hinc ἐλλεβορίζειν, purgare helleboro melancholicos, quo vtitur Demosthenes pro corona, τί σαῦτον οὐκ ἐλλεβορίζει ἐπὶ τούτοις, *quid non te his purgas helleboro?* Hæc planta nascitur felicissimè Anticyræ, quæ est Straboni lib. 9. ciuitas Locrorum ad sinum Maliacum & Oetam montem sita. Illic hellebo-
40 rum seu Veratrum vrbanum vulgant & optimè pręparant. Veratri autem ratio est aduentitia, vt a verando ducta, verbo vatum proprio, qui se iactant tenere scientiam prædicendi vera, ac præsertim futura: quod quia multis experimẽtis compertum est genus esse insaniæ, tales veratores & veratrices dederunt hoc nomen remedio hellebori, vt hic postea vocaretur veratrum ad huiusmodi vates insaniâ purgandum. Quocirca frequentius Anticyram advenæ confluunt purgationis & curationis gratiâ, quorum aliquot memi-
50 nit Plinius ibidem. Alij tamen dicunt Anticyram esse insulam in Propontide. Alij denique & oppidum & insulam esse ex Hellenio confirmant. Meminit Anticyræ Plutarchus lib. περὶ ὀργῆς, *de ira reprimenda* sub finem. καὶ τὴν μανίαν αὐτὴ κατ' αὐτὴν ἡ Ἀντίκυρα θεραπεύει, μιχθεῖσα δὲ ὀργῇ τραγῳδίας ποιεῖ καὶ μύθους, id est, *atque insaniam ipsa per se Anticyra, id est, helleborus nascens in Anticyra, sanat: sed illa iræ mixta Tragœdias excitat & materiã fabularum faciendarum suppeditat.* Hîc interpres Latinus
60 admodum imperitè reddit αὐτάκυρα, *æquè potens*, quasi vox esset coniuncta: sed interpres Gallicus fidelissimè. Abusus est Caligula prouerbio, vt refert Suetonius in ipsius vita c. 29. *Prætorium virum ex secessu Anticyræ, quam valetudinis caußâ petierat, propagari sibi commeatum sæpiùs desiderantem, quum mandasset interimi, adiecit necessariam sanguinis mißionem, cui tam diu non profuisset helleborus.* Obserua, legi vtrôque genere.

Nescio an.] Sic Terentius legit dubitanter affirmando Adelph. 4. 5. 33. *Haud scio, an illam nunc miserè amat*, pro credo illum fortassis perditè amare ipsam: sic hoc loco existimo hoc genus morbi sanari fortassis maximâ hellebori copiâ. In hoc genere sermonis, *nescio an vel haud scio, an.* magna creditur elegantia inesse, imò maior, quàm si per aduerbium dubitandi sententia exprimeretur: multò maxima hellebori pars danda est avaris, imò fortassis curatio totã requirit Anticyram, id est: omnia Medicorum remedia. Sic loquitur Cicero Epist. 15. lib. 9. *Est id quidem magnum, atque haud scio, an maximum.* Idem lib. 2. de Orat. *magnum quoddam opus est, atque haud scio, an maximum*: hoc quidem certè dicitur elegantiùs, quàm, magnum quoddam opus est, & fortassè maximum. Dicit autem hoc loco auaritiam tam altas agere radices in mẽte hominum, vt morbi talis ratio videatur requirere, quicquid est hellebori in Anticyra ad illius depulsionem.

Summam.] Intellige iussi sunt incidere summam opum & bonorum, quam Staberius moriens testamen-
20 to relictam mandauerat incidendam sepulcro: quod si non fecissent liberi, pecuniam illam, quam a testatore accepissent, ille iusserat insumendam in ludos populo sumtuosissimè exhibendos, & in regalia, & magnifica conuiuia & largitiones, idque ad nutum & arbitrium Arrii hominis luxuriosi & sumtuosi.

Frumenti.] Ellipsis est τῶ &, repetentis superiora, vt sit, & heredes damnati erant testamento tantum dare frumenti populo, quantum metit Africa. Est autem frumentum Seruio, γενικῶς quicquid aristam emittit in
30 lib. 1. Georgicõn, & a fructu nominatur, de quo lege Plinij l. 18. c. 7. in distributione frugum.

Africa] De fertilitate Africani agri dictum est in Gramm. Odes. 1. lib. 1. Vbi tamen monui talem esse certis in locis & maximè Hesperiis, & nũc idem confirmare possum testimonio Herodoti sub finem Melpomenes: *neque verò videtur mihi bonitas Libyca terra cum bonitate Asiæ atque Europæ comparandæ, præter vnam Cinypem, quæ tellus fluuio cognominis est. Hæc autem optima cuique telluri par est prouentu fructus Cerealis, nec quicquam omnino simile est reliquæ Libyæ.* Huc addo ex Eustathio in
40 periegesin Dionys. loquente de Sicilia sic: ἄλλος δέ τις λόγος, Λιβυκόν τι χωρίον πάμφορον, *solum quoddam omnium ferax in Lybia.*

Siue ego.] Hoc vult testator: quum ego sim dominus rerum mearum, licet mihi, vt animo libitum fuerit, de his statuere. Nam potestas & auctoritas iussionis & voluntatis solet esse testatori. Quamobrem nihil loci relinquitur reprehensioni temeritatis: a qua quidem vt longissimè absim, facit hæc diffidens posteris
50 heredibus cautio.

Patruus.] Græci vocant patruum πατράδελφον καὶ πατροπαρίγυητον. Innuit igitur: ne imperium in me exerceas, nec me regere cures: patruus enim loco patris esse videbatur liberis fratris sui. Aristoteles quoq; docet, filios esse quasdam velut partes genitorum suorum, ideoque ab his illorum vitia minimè peruideri, & si fortè parentes animaduertant, ad ea tamen, vt ad sua, conniuent. Itaq; peccata liberorum tradũt patruis castiganda: qui, quoniam paternâ storge carẽt, seueriùs
60 obiurgant & puniunt: vnde Cic. pro Cælio: *Qui in reliqua vita mitiores essent, & in hac suauitate hũanitatis, quâ propè iam delectantur homines, versari periucundè soleret, fuit in hac caussa pertristis quidam patruus, censor, magister*: sicut iam antè Ode 12. lib. 3. dictum est.

Quid ergo sensit?] Id est, quò Staberius spectabat in condendo testamento?

Quoad vixit] Id est, quãdiu in vita fuit. Hîc autẽ, *quoad*, in dimẽsione versus est monosyllabum per crasin.

Pauperiem] Quòd nunc pauperiem vocat vitium, id Od. 29. lib. 3. dixerat, *magnum pauperies opprobrium*, Ita Iuuenalis Sat. 3. infelicem paupertatem appellat:

Nil habet infelix paupertas durius in se,
Quàm quod ridiculos homines facit.

Verùm perversè sic iudicatur de paupertate, quum illa nec vitiosa, nec probrosa soleat esse apud bonos & prudentes, qui eam hominibus dari a Deo nôrint, tam sacris, quàm e profanis scriptoribus. 1. Samuelis cap. 2. *Iehouah pauperem facit & ditat, deprimit & extollit.* Item Salomon prouerb. 17.

Qui subsannat pauperem, probrū afficit factorem ipsius:

Caussam autem paupertatis & opulentiæ, nobilitatis & obscuritatis, scientiæ & ignorantiæ, pfani scriptores tam Græci, quàm Latini suo Cacodæmoni Ioui similibusque Deastris impiâ cæcitate tribuerunt: ac primùm Homerus Ὀδυσ. ξ. sub initium inducit Eumæum subulcum sic Vlyssem hospitio excipientem:

Ξεῖν' ὅ μοι θέμις ἐστ', ὃς κ' ἐκείνῳ σέθεν ἔλθοι,
Ξεῖνον ἀτιμῆσαι. πρὸς γὰρ Διός εἰσιν ἅπαντες
Ξεῖνοί τε, πτωχοί τε. i.
Hospes, non mihi fas est, neque si te deterior veniret,
Hospitem aspernari. Sunt enim ab Ioue omnes
Et hospites & pauperes.

Deinde Hesiodus in operibus & diebus paupertatem scribit esse donum Deorum: ideoque nemini obijciendam probri loco, sed miserandam potiùs ac iuuandam. Idem Theognis in sententiis Elegiacis: idem Demosthenes in oratione pro corona: idem denique innumerabiles alij: vnde videntur mihi Nabatæi insanijsse, qui huiusmodi decretum Dei voluerunt impedire damnis ac pœnis in eos constitutis, qui rem familiarem minuissent: contrà præmia & honores eis proposita, qui eam fecissent auctiorem: vnde fiebat, vt Nabatæ illi populi essent ὀλιγόλογοι, καὶ διακονοῦνται τὸ πλέον ὑπὸ συγγενῶν, καί εἰσιν αὐτοδιάκονοι καὶ αὐτοδιάκονοι, *vt perpauci essent (inter ipsos) serui, & ipsis administrarent vt plurimum cognati atque ipsi sibi ac vicissim seruirent.* Hæc Eustathius in hunc versum Dionys. periegeseως.

Ἀφνειοὶ ναίουσιν ἐπωνυμίην Ναβαταῖοι. i.
Diuites habitant cognomento Nabathæi.

Nihil acriùs.] In id vnum omni ratione totôque animo incũbebant, ne quum moreretur, sibi deesse videretur quarta pars assis ad immanes suarum opum cumulos, quos in vita possidebat: quod si fortè accidisset, homo haberet luxuriosus ac perditus, nepos & iners: nequam enim dicitur, quod non est quicquam: vel nihili faciendum, & ex 1. Fastorũ dicitur de libidine.

Nequitia est, quæ te non finit esse senem.

cui opponitur homo frugi.

Diuitijs parent.] De vi divitiarum sic Theognis:

Ὡς πλοῦτος πλείστοισιν ἔχει δύναμιν.
E diuitiis quàm plurimum potestatis accidit hominibus.

nam, vt Sophocles ait:

Τὰ χρήματ' ἀνθρώποισιν σύρισται φίλους.
Αὐθις δ' τίμας· εἶτα τῆς ὑπερτάτης
Τυραννίδος ἵκουσιν ἀκριβὲς ἕδραν.
Ἔπειτα δ' ἐχθρὸς, ὅλε φύεται
Πρὸς χρήμαθ'. οἵτε φύντες ἀφνοῦσθαι φυγεῖν.
Pecuniæ hominibus conciliant amicos:
Deinde honores, postea ad suprema Tyrannidis
Proximam sedem peruenunt. Postremò nullus
Fit inimicus pecuniam habentibus,
Et qui fiunt, negant se odisse.

Qui construxerit.] Sic loquutus Sat. 1. l. 1. *Quid habet pulchri congestus aceruus?* Sic quoque Cic. Phil. 2. *Aceruum nummorum construuntur apud eum*, id est, congeruntur ac cumulantur.

Hoc veluti.] Prenomen *hoc*, non demonstrat diuitias, sed quemlibet horũ titulorum ex illis tanquã e virtute profectum, ideoq; apud ignorantes laudabilem.

Græcus Aristippus,] Non possum mihi persuadere hũc Aristippum esse eundem, qui memoratur ab Horatio lib. 1. Epist. 18.

Si pranderet olus patienter, Regibus vti
Nollet Aristippus: si sciret Regibus vti
Fastidiret olus, qui me notat.

Quamuis autem vterq; hic locus Poetæ conueniat historiæ Laertij l. 2. vnde & Philargyrus, & voluptarius patronusque diuitiarum fuisse perspicitur Aristippus: idemq; dicitur partem pecuniæ iussisse seruũ in mare deijcere, quam acceperat a quodam Rege Mauritaniæ: videtur tamen mihi philargyrus & voluptarius a diuitiarum cõtemtore longè disparari: vnde conijcio non vnum & eundem fuisse Aristippum, sed duos.

Proijcere aurum. Est Græcis χρυσὸν προΐεσθαι καὶ χρήματα διασκορπίζειν, ἀποῤῥίπτειν, *rem dissipare & abijcere.*

Vter horum] Staberiúsne, qui construit aceruos nummorũ? an Aristipp⁹, qui illos proijcit, magis insanit?

Nil agit exemplum.] Id est, argumentum, quod non arguit, nec rei dubiæ creat notitiam, sed affert alteram dubitationem, vanum est & inutile. Τὸ γὰρ ἀφανὲς ἐν τῷ φανερῷ ταχίστην ἕξει τὴν διάγνωσιν, *notitiam enim rei ignotæ facillimè aperit nota.*

Emat citharas.] Cithara est vox Græca idem valens, quod altera φόρμιγξ, instrumentum musicum ad formam Δ factum 24. chordarum, vt Magadis 20. de quibus & alijs sic Athenæus lib. 12. μάγαδις ὄργανον ἐστιν οὕτατον καθάπερ καὶ λιθάρα λύρα, βαρβίτον, id est, *instrumentum ex eo genere, quod neruis intenditur.* Dicitur autem *cithara παρὰ τὸ κινεῖν ἢ κατεύθυνειν ἔρωτας a concitandis, vel occultandis amoribus, quasi κεύθουσα.*

Scalpra] Scalprum vel scalper commune quidem est instrumentum multorum opificum, sed hîc intelligitur τὸ ἐργαλεῖον τοῦ σκυτοτομεῖν, instrumentum incidendi coria ad calceos concinnandos, quod aliter Græci dicunt σμίκλιον καὶ περιτομέα, incisorium scalprum.

Auersus mercaturis] Ellipsis est præpositionis, quam Orat. semper exprimunt, vt Cic. pro Archia. *Auersus a Musis*, & Cæs. 2. de bello ciuili, *Milites a prælio auersi ad studium audiendi & cognoscendi feruntur*, qui tres Græcè dicuntur μισέμπορος, ἀπόμουσος, φυγόμαχος, alienus a negotiatione, abhorrens a Musis, pugnæ fugitans.

Delirus.] Gramatici flectunt hanc vocem a lira: quid autem hęc sit, quid eriã porca, disce a Columella. l. 2. c. 4. & a Varr. l. 1. c. 20. Vt autem Poeta coniungit hic *delirus & amens*, sic Cic. l. 1. de nat. Deor. hęc verba: *Iuuenes paullò ante sumpsimus deliros senes, deliros dicebamus esse senes.*

Discrepat istis.] De hac sypta xidictum est in Gram. Sat. 6. lib. 1. valet autem hic, quàm differat auarus, dum partis rebus & congestis non vtitur, ab his, qui comparatis instrumentis vti nequeunt, nec didicerunt: tales iubet Isocrates ad Demonicum contemni λυπηρεῖν τῶν περὶ τὸν πλοῦτον σπουδαζόντων, χρῆσθαι δὲ μὴ δυναμένων. παραπλήσιον γὰρ τοῦτο πάσχειν, ὥσπερ οἱ τὸν ἵππον κτήσασθαι βουλόμενοι ἱππεύειν δὲ ἐπιστάμενοι. *Ipsi rem diuitijs nimis deditos, atq; partis nescientes vti. Idem enim huiusmodi hominibus accidit, ac si quis generosum equum compararet, nec equitare prorsus scireret.*

Contingere sacrum.] Videtur hoc posse p attingere, pprièdeclarari ex interpretatione Donati in Eun. Act. 4. Sc. 4. v. 2. *Atqui si illam digito attigerit vno*, item in Adelph. Act. 2. Sc. 1. vers. 23. *Tetigine tui quidquam. Aesch. attigisses.* exiguum est attingere, inquit, & min⁹ quàm tangere, quod Græci dicunt ἐφάπτεσθαι ἀκροθιγῶς καὶ ἐπιστιγμῆ, quasi superficiem rei alicuius solùm tangere.

Granum.] Hoc aduerbium, *illinc*, significans motum de loco non videtur satis appositum huic verbo, *contingere*, ideoq; videtur in *granum* desiderari τὸ *captum* vel sumtum illinc, id est, de illo ingenti aceruo.

Chij.] De vino Chio dictum fuit in Ep. 9. sicut de Falerno Od. 27. l. 1. & de cadis Od. 14. l. 3.

Octoginta.] Extrema versuum non propriè faciunt tmesin sine interuentu alicuius tertii, quæ tamen fit interdum in simplicibus verbis: ideoq; non est mirum, si in coniunctis accidat, vt Priscianus citans hunc locum annotauit: quomodo Plinius dicit, *pedes vndecenos*, pro centum vno deficiente. Ita *vnde*, præpositum numeris tollit vnum ex ipsis, vt vndeviginti, vndetriginta &c. pro 19. & 29. sed in vndecim, addit vnum, quasi vnum & decem.

Blattarum.] De his vermibus sic fecit Martial. l. 14. scrinium alloquens:

Constrictos nisi das mihi libellos,
Admittam tineas, trucesq; blattas.

De his ac de generibus horum vide Plin. l. 29. c. 6. vt de tineis l. 11. c. 35. Hæ dicuntur Græcè σῆτες, πρὸς ὃ τὸ πόλιον σὺ τοῖς ἱματίοις ἀχαθὸν, *quibus polium, herba, resistit in vestibus*, sicut Theophrastus scribit l. 1. c. 16. Tinea verò definitur vermiculus e situ ac putredine creatus. Præterea blattæ vocantur σίλφαι & ratio vocis Latinæ παρὰ τὸ βλάπτειν a lædendo & infestando videtur petita.

Aut etiam libertus.] Hic e seruo fit liber, & manumissus, quia operâ, fide, taciturnitate & beneuolentiâ hero satisfecit, qui, si fortè posteà ingratus & beneficij immemor deprehenderetur, libertus reuocabatur olim in seruitutem: sicut Suetonius narrat in Claudio: *ingratos*, inquit, *& de quibus patroni quererentur, in seruitutem reuocabit.*

Curtabit.] Vix, credo, alibi reperias hoc verbum pro imminuet: quod videtur posse reddi Græcè πολούσει, ex illo Odyss. θ.

Ὅστις ξεινοδόκῳ ἐριδα προσέρηται ἀέθλων
Δήμῳ ἀλλοδάπῳ ἐοτ' αὐτοῦ πάντα πολεῖ.
Qui hospiti contentionem pugnæ offert
Apud exteros præsertim, omnes suas res imminuit.

Fadum porrigine.] Hunc morbum Græci dicunt τὸν λεπίσσα, de quo lege Cor. Celsum l. 6. c. 2. & vox Latina dici videtur ex eo, quòd facilè per superficiem cutis & radices capillorum sese in longitudinem porrigat & fundat: ita λέπις, quòd veluti cortex & squama cuti detrahatur. Videtur autem hic morbus contagiosus Iuuenali Sat. 2.

Dedit hanc contagio labem,
Et dabit in plures: sicut grex totus in agris
Vnius scabie cadit & porrigine porci.

Idem morbus vocatur etiam πιτυρίασις ἀπὸ τοῦ πιτύρου, a furfure.

Aere parâris.] Pro, emeris nummis, aut, vt loquitur Terentius in Eunuch. Act. 4. Sc. 4. malè conciliâris pro, magno emeris: nam omnis, ait ibi Donatus, conuentio, conciliatio nominatur.

Quum ex quo.] Valdè vsitata est in hoc provocabulo ellipsis substantiui tempore, vt in Græcis ἐξ οὗ ἢ ἐξ ὅσου, ἤγουν χρόνου, *ex quo vel ex quanto tempore*, vt Scholiastes illud Homeri sub initium Ιλιαδ. α. interpretatur, Ἐξ οὗ δὴ τὰ πρῶτα διαστήτην ἐρίσαντε. i. *Ex quo certè primùm dissederunt litigantes*, pro, ἀφ' οὗ δὴ χρόνου. sic 2. Aen.

Impius ex quo Tydides. Cicero extulit plenè Philip. 1. initio, *nec a republica deijciebam oculos, ex eo die, quo in eadem Telluris conuocati sumus.* Planè quoque Demosthenes Philip. 4. οὔπω ἔτη ἐστὶν ἑπτὰ, ἀφ' οὗ τὸ μὲν πλεῖν καταλέλυκα, *nondũ anni sunt septem, ex quo ego desii nauigare*: sed hoc posterius per anomaliam numeri. Refertur tamen aliquandò ad aliquod præcedens dictum vel factum, vt in Lælio, *ex quo fit, vt animosior etiam senectus fit, quàm adolescentia & fortior.*

Electram.] Electra fuit filia, vt Orestes filius, Agamemnonis & Clytemnestræ, cuius nomine inscribitur tragœdia Sophoclis, vt altera Euripidis nomine Orestis, e qua posteriori videntur hæc sumta, *tantum maledicit*, &c. sic enim Orestes Electram alloquitur.

Μέθες μὶ ὅσα τῶν ἐμῶν Ερινύων
Μέσον μ' ὀχμάζεις, ὡς βάλῃς εἰς τάρταρον.
Missum me facias, quæ, quũ sis vna mearum Furiarum,
Per medium me constrictum tenes ac premis, vt detrudas in tartarum.

Plato in Cratylo veriloquium τοῦ Orestis ita docet: ὁ Ορέστης πινθανόμενος ὀρθῶς ἔχειν, εἴτε τις τύχη ἔθετο αὐτῷ τὸ ὄνομα, εἴτε διὰ ποιητής τις, τὸ θηριῶδες τῆς φύσεως, διὰ τὸ ἄγριον αὐτοῦ, διὰ τὸ ὀρεινὸν συνδιανυόμενος τῷ ὀνόματι. videtur Orestes rectè nominari, *siue casus aliquis imposuerit ipsi hoc nomen: sive Poeta quis, arguens feritatem, agrestemq; & montanam naturæ immanitatem.*

Splendida bilis.] Χολὴν μέλαιναν non improbo hîc intelligendam esse, quæ gignatur e sanguine supra modum torrido & vsto, & splendeat & malignè mordeat, vt humi effusa ebullire videatur: de qua lege Galēum lib. 2. de caussis Symptomatum & in Aphorismo 23. l. 4. Persius Sat. 5. videtur dicere masculam bilem, quæ vix est placabilis:

Quid tibi vis? calido sub pectore mascula bilis
Intumuit, quam non exstrinxerit vrna cicutæ.

Quali se dicit affectum Geta Act. 3. Sc. 2. Adel. *Vix sum compos animi, ita ardeo iracũdiâ: nihil est, quod malim, quàm illam totam familiam dari mihi obuiam, vt iram hanc in eos euomam omnem, dum ægritudo hæc est recens. Satis mihi id habeam supplicii, dum illos vlciscar modò.* Vide apud eundem reliqua.

Pauper Opimius.] Fingitur hæc Opimij persona in summa copia (vnde poterat se facilè opimare) inopis ad mores auarorum apertiùs arguendos: qualis Græcè vocatur πανόβιος διὰ τρυγόβιος, qualem quoque Caussidicus quidam Romæ celebratus circumloquebat, quem significabat parcè ac duriter viuere, id est, furfureum panem esitare, vinumque eructum & fœtidum potare: *hic, inquit, Eques Romanus apludam edit & floces bibit*, vide Agellium lib. 11. cap. 7. Poeta ferè hanc syntaxin seruat. vt Sat. 1. lib. 1. dicit bonorum pauperrimus.

Qui Veientanum.] Ellipsis est substantiui, vinum. Deflectitur autem a Veientes, qui fuerunt populi Veiorũ vrbis in Ethruria: vbi vineta ferebant vilissimum vinum, de quo Columella lib. 4. *Veientana vua non ita rubent, vt Aminea, a quo colore rubellana appellantur, eadémque Fescenninæ, quòd plus, quàm cætera habeant facũ*, vnde Martialis:

Sed Veientani vehitur fax crassa Rubelli.

Ita dicti a genere vitium, quas Plinius dicit appellari rubellas materiâ rubente.

Solitus trullâ.] Υποποιητικῶς a Trua flectitur, & hæc a terendo, quasi terua. Varro tamen a traijciendo, quòd aqua vel alius liquor per eam traijciatur. Hîc præter alias significationes est ποτήριον, vas potorium.

Vappam.] De hac voce lege Grãmatica Sat. 2. l. 1.

Loculos.] Qui Græcè dicuntur βαλλάντια ἢ ὑποποιητικῶς, βαλλαντίδια: quo nomine sacci & sacculi etiam vocantur. Intelligit autem crumenas & marsupia per loculos, qui sæpiùs numero multitudinis vsurpantur, vt a Martiali. lib. 14.

Non

Non nisi de flaua loculos implere moneta
Non decet.

Ouans.] Id est, lætans, exsultans: quam quidem vocem Festus docet ab eo clamore flecti, quem edunt redeuntes è pugna milites victores geminatâ, o, literâ: quod non est dissimile huic acclamationi ἰὼ θρίαμβε: alii malunt dici ob ouibus, quæ à triumphantibus in Capitolio mactabantur. Seruius in vers. Aeneid. 10.

Ille sedens victor flammas despectat ouantes.

annotat Virgilium καταχρηστικῶς, οὐ πυρίως, tribuisse flammis affectum ouandi. Idem scribit apertiùs in vers. Aeneid. 4.

Quid tum? sola fugâ nautas comitabor ouantes,

abusiuè, inquit, ouantes pro lætantes: sed propriè ouatio est minor triumphus. Qui ouatur, & vno equo vtitur, & à plebeiis vel equitibus Rom. deducitur ad Capitolium, & de ouibus, vnde nominatur ouatio, sacrificabatur: sed triumphans albis equis vtitur quattuor & senatu præeunte de tauro sacrificat.

Medicus fidelis.] Pro hoc dicendum esset, Medicus fidus è Donato in Hecyræ Act. 1. Sce. 1. quomodo hîc ipse Poeta loquetur Epist. 8 *fidis offendar amicis*, è differentia vtriusq; epitheti ab eo illic notata.

Saccos.] Hæc vox flexa videtur παρὰ τὸ σάττειν, quod sacco imponatur onus: vnde etiam oriuntur σάκτας ἢ σάκτης pro eodem: alii putant ab Hebræa sumtam *sac*, quam nos Galli similiter pariterque exprimimus, *sac* quo Genesis capite 42. versu 35. *besacco*, id est, in sacco suo, supple, erant loculi pecuniæ. Hæc autem vox vna est è compluribus aliis, quæ obseruantur communes multarum linguarum.

Sic erigit.] Idem dicit, quod priùs: sic hunc Medicus excitat, id est, commemoratione pecuniæ mox surripiendæ ab herede, nisi citò exsurgeret & erigeret se.

Men' viuo.] Repete à superiori, heréſne meos nummos auferret, dum viuam, & his indigeam?

Vt viuas igitur.] Quidam legunt pro *igitur*, *agitur*, id est, nostra omnium cura in hoc est tota, vt valeas.

Hoc age.] I. attende animum ad ea, quæ, vt viuas, præscribo tibi sumenda. Sic Teren. Act. 1. Sc. 2. *Hoccine agis?* & audis & aduertis animum? hoc attentionis erat signum, quod à præcone dabatur assistentibus rei sacræ & diuinæ, his verbis Græcis πρόσεχε τοῖς ἱεροῖς νοῦν, *attende ad res sacras animum*, aut ad verbum, τοῦτο πράττε, sicut è Plutarcho in vita Coriolani perspicitur, vt illi omni aliâ cogitatione & actione vacui, solùm ad id, quod ageretur, animos attenderent. Familiaris est nostro Poetæ hæc attentionis formula, quam reperies præter cætera in Epistola 2. 6. & 18. *Hoc agere*, Donat. in Adelph. Act. 2. Sc. 2. scribit dici solitum, de eo qui instat negotio suo.

Quid vis.] Lethargici Opimii verba sunt, qui è veterno aliquantùm exsuscitatus quærit à Medico, quid sibi faciendum, non vt valetudinem, sed vt suos nummos curet & tueatur.

Deficient.] Hoc verbum cum quarto casu est μεταβατικὸν ἢ σύνταγτικὸν, pro relinquere & deserere, vt Cic. 7. in Verr. *non me deficit dolor*, & 1. de Orat. *deficiunt me vires.*

Fultura.] Vt vires corporis sustentantur cibo, & potione moderatâ fulciuntur: sic eædem vtriúsque penuriâ & inediâ franguntur & debilitantur.

Ptisanarium.] Hæc quidem diminutio vocis Latina est à ptisana: sed hoc primigenium fluxit è Græco πτισσάνη ἢ πτισάνη, quod nihil huiusmodi diminutionis Græcè gignit, nisi prius τὸ η finale Δωρικῶς mutetur in α, vnde diminutio facilè nascetur in άριον more τῶν γλυκέριον καὶ δοξάριον, ἀ γλυκέρα καὶ δόξα, & conflatur ἐν τῷ πτίσσειν καὶ τοῦ αὐᾶν tundere & pinsere hordeum acere suo & glumâ mundatum: quamuis πτισάνη definiatur χύμος κριθῆς ἀφλοίου, cremor & succus hordei decorticati & pisti: fit tamen ex aliis frugibus, atque ex hordeo: eámque ob rem à Græcis πτισάνη πυρίνη χονδροπτισσάνη, ἢ ἢ ἐκ ζειᾶς, ἢ ὀρύζης πτισάνη, id est, ptisana triticea, alicacea, vel ptissana ex zea, vel ex oryza: quod hîc enunciatur ptisanarium orycæ: de quo vide Plinium libro 18. capite septimo, & Dioscoridem lib. secundo cap. 117.

Octo assibus.] De asse dictum est Sa. 1, l. 1. Ex hac autem perturbatione & exanimatione, in quam Opimius veternosus & auarus incidit, audito pretio minimæ monetæ, quo ptisanarium constaret, perspicis, quàm miser sit auarus, qui eodem loco & numero habeat sumtum vnius octussis, quo grauem morbum, vel exitialem ipsius finem.

Rapinis.] Donatus in Adelph. Act 3. Scen. 3. ad vers. *vnà in raptione*, hæc verbalia sic distinguit, vt raptio ad personam referatur: rapina ad rem: raptus ad stuprum.

Cardiacus.] De hoc affectu habes in Gramm. Ode 6. lib. 1. ad quod hæc accedant ex Homero ipsiusq; interprete in hunc versum ἰλιαδ. π.

Ἀλλ' ἔβαλ' ἔνθ' ἄρα τε φρένες ἔρχαται ἀμφ' ἀλινὸν κῆρ. i.

Sed vulnerauit (Patroclus Sarpedontem) *vbi precordia concluſa sunt circa solidum cor.*

Id est, diaphragma circa cardiam, hoc est cor: quod dicit Homerus, ait Scholiastes, propter densitatem & nerusitatem huius visceris. Idem autem sonat τὸ κῆρ ἢ τὸ ἦτορ hoc παρὰ τὸ ἄειν, τὸ πνέειν, *a spirando*, illud παρὰ τὸ καῖειν, τὸ θερμαίνειν, id est, *à calefaciendo; quæ corporis particula maximè ad viuendum opportuna, immò præcipua est, atque opinione quorundam* τὸ καρδία *deriuatur per modum inuersionis, tanquam diceretur* κῆρ διὰ. i. *per cor*, ὥσπερ φασὶ ἢ τὸ θάρσει πέφυγας τὸν ἐμὸν ἱππόσιον διὰ, ἀντὶ τοῦ διαπέφυγας τὸν ἐμὸν ἱππόσιον, id est, *quemadmodum hunc locum pronuntiant, magnarum confidentia meam detrectasti supplicationem pro verbo coniuncto &c.* præterea quum hîc dicitur τὸ κῆρ ἢ ἦτορ βάλλεσθαι, intellige locum circa cor, qui est in nobis, velut regia quædam animi familiam regentis. Inde Corn. Celsus appellat cardiacum morbum, & hominem quoque ex eo laborantem, cardiacum: quo Seneca vtitur epist. 15. vbi præscribit rationem exercendi salubriter corporis: non tamen ita, vt labor spiritum exhauriat, inhabilemque intentioni ac studiis acrioribus reddat: atque adeò cogat siccato gutture in eius locum quo effluxit, multum alterius cibi ac potionis ingeri. Nam, ait ille, bibere & sudare vita cardiaci est, ausim etiam adscribere, athletæ pro complexu epistolæ. Ego verò τὸ καρδία αὐτὶ τοῦ καρδία μεταβέσει τοῦ ρ dici puto cum Etymologico ἀπὸ τοῦ καρδαίνεσθαι τὸ κινεῖσθαι. καρδία γὰρ ἀεὶ κινεῖται, i. *cor enim semper mouetur cum tremore.*

Craterum.] Crateri nomine duo viri celebres atq; illustres fuere: alter Medicus tempore Augusti summâ auctoritate: de quo Persius Sat. 3.

Ecquid opus Cratero magnos promittere montes?

Cicero item lib. 12. ad Atticum Epist. 13. *Commouet me Attica, etsi assentior Cratero*: quæ sententia iteratur Epist. 14. sequenti, *de Attica doleo, credo tamen Cratero, qui Piliam augi vetat.* Alter Craterus fuit Macedo dux

Alexandri magni, de quo Plut. in Apohthegmatis & Suidas. Hic autem locus ſatis de Medico apertè intelligitur.

Rectè eſt.] Id eſt, benè valet, quod tamen negabit Craterus medicus.

Latus.] Diximus in Grammaticis Sat. 9. lib. 1. quid eſſet dolor lateris, quid verò nephritis, id eſt, morbus renum ſit, petendum à Medicis, & quomodo ſanetur, vel potius aliquantum leuetur, diſcendum à Celſo lib. 14. cap. 10. ac præterea è definitionibus medicis Gorrhæi & ex Aretæo περὶ ὀξέων καὶ χρονίων παθῶν.

Immolet æquis laribus.] Lares deflecti putant Grammatici modo à Lara ipſorum matre, quæ & Mana dicitur & Mania παρὰ τὸ μαίνεσθαι, ab inſaniendo vel παρὰ τὸ μανὸν, a raritate & laxitate mentis, vt paulò ante dictum eſt in Dialecticis huius Satyr. vel παρὰ τὸ μονοῦσθαι, à ſolitudinis ſtudio: quales perturbationes mentem illuc agitant, eámque ob rem veteres porcum immolabant Maniæ Larium matri & ipſis Laribus ad ſanationem talium perturbationum, vt conſtat è lib. 2 Varronis de Analogia & è Menæchmis Plauti. Priùs autem huiuſmodi ſacra fiebant humanâ victimâ: ſed poſteà in ferinas & brutas & primitias frugum mutata: de quo vide Macrobium lib. 2. cap. 7. Præterea Apuleius Dæmones modò vocat Lares, modò Genios, dicítque hos à veteribus habitos, tanquam interpretes & ſalutigerulos, qui concepta à nobis vota deferrent ad Deos & illinc ad nos diuina munera, veluti μεσῖται quidam & pararii, referrent.

Laribus.] Repetendum tibi eſt, quod in Rhetor. Odes 12. l. 1. annotauimus de Laribus, & cum his coniungendum.

Ambitioſus.] Hic purget etiam ſe & cerebrum helleboro, vt ſanæ mentis fiat.

Barathro.] Obiter dictum eſt de hac voce in Gram. Sat. 2. l. 1. quò nunc poteſt accedere deſcriptio Scholiaſtæ in Pluto Ariſtophanis:

Οὐκοῦν ὑπόλοιπόν σοι τὸ βάραθρον γίγνεται.

Reſtat igitur tibi, vt detrudaris in barathrum.

Εστὶ δὲ τὸ βάραθρον χάσμα τι φρατῶδες καὶ σποτεινὸν, οὗ τοὺς κακούργους ἔβαλον, ἔχον ὀγκινοὺς, τοὺς μὲν ἄνω, τοὺς δὲ κάτω, παντὰ ὅ τὰ ἐκεῖ βαλλόμενα ἀφανῆ ποιῆσαι, id eſt, *Barathrum eſt hiatus quidam puteanus & obſcurus, in quem Athenienſes deiiciebant maleficos, habens ſuprà infráque vncos & illu deiecta fiunt occulta, inuiſáque omnia.* Alio nomine dicitur Græcè ἡ φάραγξ, αγγος, quo vtitur Thucydides l. 2 ἐς φάραγγας ἐσβάλλεσθαι, *detrudi in hiatum & fauces terræ*, in præcipitium. Attici præterea pro Barathrum pronunciant Berethrum ad idem ſignificandum, δηλοῦντι, τὸ βάθος καὶ τὸν μυχὸν, profundum quendam receſſum & abditiſſimum penetrale. Itaque barathro dare aliquid, eſt hic luxu vel aliâ libidine vitioſa illud perdere, profundere, prodigere: quale fuit illud antè dictum de ſeruis Ariſtippi, qui iuſſu heri proiecerunt aurum in media Libya.

Canuſi.] Apocope eſt pro Canuſii, de quo oppido vide Gram. Sat. 5. l. 1.

Prædia diues.] Non mihi diſplicet hypoſtigme poſt *diues*, vt ſyntaxis verborum ſit: Ceruius Opimius diues fertur diuiſiſſe Canuſii duobus natis prædia, cenſu antiquo, quemadmodum loquitur Terentius, *homo antiquâ virtute ac fide.* Ita enim indubitata poſſeſſio, firmitas & bonitas prædiorum declaratur, quæ præcipuè cernitur in agris, fundis, ſyluis, vinetis, pratis, arbuſtis, piſcinis, vinariis, fauiariis, gregibus & armentis: vnde domino præſtatur, quicquid eſt neceſſarium ad vitæ humanæ cultum: ideoq; Varro ab hoc verbo prædium ductum putat. Quid autem ſit, vide Ode 15. l. 2. Poteſt etiam τὸ *cenſu* referri ad diues, vt antè dixit Sat. 2. l. 1.

Diues agris, diues poſitis in fœnore nummis.

Diuiſſe.] Habet ſimilem ſyllabæ reiectionem ſuperiori in *ſurrexe*, pro *diuiſiſſe* & *ſurrexiſſe*.

Poſtquam te vidi.] Id eſt, poſtquam perſpexi & cognoui indolem tuam, *o Aule*, procliuem ad talos & aleas, id eſt, ad rem patriam dilapidandam & profundendam: item, *o Tiberi*, vbi tuum ingenium mihi prænunciauit te ad rem aliquando nimis attentum fore; moneo te, Aule, ne patria obligurias bona, & luxu diminuas: te quoque, o Tiberi, ne illa facias maiora, & auctiora ἀιχρονεφελίᾳ, & turpis lucri ſtudio. In *donare*, ſupple, nuces, vt in *ludere*, talis, in *numerare & abſcondere* nuces: tu Aule, Nomentanum profuſum vita: tu, Tiberi, fuge Cicutam auarum & fœneratorem.

Vter Aedilis.] Optimum eſt patris conſilium ad rem paternam tuendam, ne liberi ambitione ſummâ contendant à populo magiſtratus inferiores, Ædilitatem & Præturam, in quibus impetrandis & gerendis maximâ erat opus largitione ad captanda illius ſuffragia, & ad ſtudiis eiuſdem obſequendum: propterea quòd quum aliquis inde ſemel tuliſſet repulſam, vix ad maiores aſpirare poterat.

Huiuſmodi autem honores ordinatim petebantur in repu. quo nunc ordine nominantur, *Quæſtura, Tribunatus pleb. Aedilitas, Prætura, Conſulatus, Cenſura.* Interuallũ petitionis erat annum inter Quæſturam eſt Tribunatum pleb. Itemque inter hunc & Ædilitatem, qui tres magiſtratus dicebantur inferiores. Prætura petebatur poſt Ædilitatem, poſt Præturam Conſulatus interiecto vtrobique biennio: Sed poſt Conſulatum nullus erat annus cenſuræ certo definitus. Hi tres magiſtratus vltimi vocabantur ſuperiores.

Itaque Floralibus ludis, qui 4. Cal. Maii celebrabantur, ſumma largitio miſſilium, cicerum, fabarum lupinorum, aliorúmque leguminum: præterea leporum, caprearum, & aliorum huiuſmodi populo fiebat à petentibus honores: & à gerentibus magiſtratus. De Flora lege Plin. l. 18. c. 29. & de imagine ipſius à Praxitele expreſſa eundem l. 18. c. 5. Auguſtin. l. 4. c. 8. de ciuitate: Lactantium lib. 1. cap. 20. Ouid. l. 5. Faſtorum: Arnobium lib. 8. Perſius verò ſub finem Sat. 5. imitatus eſt hunc locum Horatii contra ambitioſos:

— Vigila, & cicer ingere largè
Rixanti populo, noſtra vt Floralia poſſint
Aprici meminiſſe ſenes —

Sed vtrique magiſtratui, & Præturæ, & Aedilitati, quantum effuſi ſumtus ſuggerendum eſſet, diſce ex illo epigrammate Martialis lib. 10. in Proculeiam, quæ diuortium cum marito facere parabat, propterea quòd hic Præturam conſequutus, deberet populo celebrationem ludorum Megalenſium: quibus exhibendis ingenti pecuniâ opus erat, quam vxor de ſuo proſpiciebat ſuppeditatum iri, propter rem mariti tenuiſſimam. Sic igitur Martialis:

Menſe nouo Iani veterem, Proculeia, maritum
Deſeris, atq; iubes res ſibi habere ſuas.
Quid, rogo? quid factum eſt? ſubiti quæ cauſſa doloris?
Nil mihi reſpondes? dicam ego: Prætor erat.

Conſtatura

Constatura fuit Megalensis purpura centum
Millibus, vt minimùm munera parca dares.
Et populare sacrum bis millia dena tulisset:
Dissidium non est hoc, Proculeia, lucrum est.

Hîc Martialis Floralia vocat popularia: quia festis illis populo nihil non turpitudinis admittere licebat, imitanti mores nobilis illius scorti Floræ, quos intelligas ex auctoribus priùs citatis.

Intestabilis.] Definitur intestabilis, cui ob crimen famosum non licebat dicere testimonium alteri, nec testamentum condere: nec quisquam vicissim ipsi iure tenetur dicere: sed honesto ciui Romano quisque debebat testimonium dicere, si denunciatum esset. Ita Taci. l. 25. geminat intestabilis & consceleratus. Ita quoq; Plautus in Bacch. *Ego sum malus, ego sum sacer, scelestus*: qui possent dici Græcè, ἀδιάθετος, ἐπαράσιμος, βδέλυρος, vel, vt loquitur Aeschines in Ctesiphontem, ἐξάγιστος, καὶ ἐπάρατος, ac velut ἀνάθημα & μιάστωρ.

Sacer esto.] Formula imprecationis est, quam Seruius scribit se legisse in Satyr. Pet. Arbitri, vt dicetur in Rhetoricis, & sacerrimum illum Massiliensium ritum exponit, vt Ian. Douza in præcidaneis in P. Arbit. Qui Diis sacri dicebantur, idcirco impunè interficiebantur, quod illorum animæ diis deberi putabant.

Latus spatiêre.] Id est, incedas laxè & latè, nullâ pressus turbâ, quam lictores magistratui summouent. Hunc autem Hellenismum nominis pro aduerbio quidam vocant σύγχυσιν, mixturam verborum: quam equidem puto magis locum habere in colis & periodis hyperbaticis, quàm in positione vnius partis pro altera, nisi velis ad hanc confusionem aggregare, quod quidam existimant de Circo, non de persona hanc latitudinem intelligi: alii tamen hîc legunt *lætus*.

Aeneus vt stes.] Quod Græci dicunt ἵνα χαλκοῦς ἱστᾶται, quemadmodum Aristoteles loquitur lib. 3 Rhet. ἄξιος τεθῆναι χαλκοῦς, *dignus cui statua erigatur.* Sic verbum *standi* absolutè vsurpatur è Corydone in Melibœo:

Si proprium hoc fuerit: leui de marmore tota
Puniceo stabis suras euincta cothurno.

id est, si me Poetam feceris similem Codro; erigetur Dianæ statua marmorea.

Quos fecit Agrippa &c.] Dictum est Ode 6. lib. 1. de Agrippa, & ex Plinio ratio nominis reddita, quam refert etiam apertiùs Solinus capite quarto. *Contra naturam est*, ait, *in pedes procedere nascentes: quapropter, velut ægrè parti, appellantur Agrippæ. Ita editi minùs prosperè viuunt, & de vita æuo breuiori decedunt. Denique in vno M. Agrippa felicitatis exemplum est, nec tamen vsque eò inoffensa, vt non plura aduersa pertulerit, quàm secunda: Nam & miserâ pedum valetudine, & aperto coniugis adulterio, & aliquot infelicitatis notis retrouersi ortus omen luit.*

Vulpes.] Arbitrantur nonnulli hoc ex Apologo quodam Aesopi depromtum: vbi vulpes à nobilioribus feris contemta, fingitur pellem leonis induisse: vt illæ hoc terrifico cultu desinerent posteà ipsam ludibrio habere, sed vereri. Alii referunt ad asinum Cumanum, qui apologus eódem, quò prior, spectat, communi tamen epimythio explicatur de his, qui volunt alii videri & haberi, atque naturâ sunt comparati: volunt etiam in pretio esse non propter se, sed propter purpuram, résque alias extrinsecùs assumtas per summam insaniam, maximúmque rei familiaris detrimentum. Et certè bona pars parœmiarum peti ferè solet è Categoria comparatorum & eloquutione troporum, vt hæc obiter moneantur.

Atrida.] Doricus est casus vocandi, vt Menalca, Nephelegerta. Hic locus eleuat notas Seruii, quamuis ab eo citetur in ver. Aen. 3.

Coniugio Anchisa Veneris dignate superbo.

Anchisa, inquit, *Græcus est vocatiuus. Nam si Latinus, breuis esset*: Cur autem in Anchisa longus, & in Atrida breuis? Quia, inquit, Atrides & Scythes Latinam recipiunt declinationem, & mittunt nominatiuum ipsum in a. Atrida & Scytha, æ: & cur ab Anchises non inclinatur etiam Anchisa, æ, & quantitas seruatur? Sanè vtrobique eadem debet esse ratio, illúdque τὸ a, haberi anceps potest, de quo lege cap. 12. Grammat. Rami.

Rex sum.] Emphatica responsio est, quasi rex Agamemnon νηπέρτης esset, iustèq; ac rectè faceret, quicquid ipsi pro omni ratione voluntas & libido subministrarent.

Dî tibi.] Plebeius imitatur orationem Chrysæ Iliad. α. sub principium, vbi sic loquitur:

Ατρεΐδαί τε καὶ ἄλλοι ἐυκνήμιδες Ἀχαιοί,
Ὑμῖν μὲν θεοὶ δοῖεν Ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες
Ἐκπέρσαι Πριάμοιο πόλιν εὖ δ' οἴκαδ' ἱκέσθαι.

Vos Atridæ, vósq; alii Græciæ Principes,
Vobis dent Dii superi euertere Troiam,
Et vestram domum redire voti compotes.

Hoc tamen interest, quòd Chryses vel blandiendo Græcis, malè suis popularibus Troianis precatur: vel id verè & ex animo facit iusto dolore commotus de amissa puella, quæ bello capta non fuisset, nisi Paris Helenam rapuisset. Plebeius autem vult tantùm beneuolentiam regis conciliare, & sibi potestatem dari aliquid ex eo percontandi consilii caussâ, ὧν τινῶν ἀρχὴν ἔγνω, τὸν ἐπαῖνον εἶναι, *quæ quidem cognouerat laudatione Principum se faciliè consequuturum esse.*

Vltrà quæro.] Mauult hîc Cruquius legere, *quære tu Plebeius* è veteri cod. per ectasin hepthemimericam, qualis fuit Satyr. 9. lib. 1. in, *quum grauius dorso subit onus*, atque putat, τὸ *Plebeius* esse proprium nomen seruii vel liberti Agamemnonis. Hanc quoque lectionem Cranterus probat, vt minimè reiiciendam. Quod autem non prorsus omnino recipiatur, facit interdicta Plebeio accuratior inquisitio per verba *nil vltrà quære*, quæ ἀντιφατικόν τι habent cum his proximè sequentibus, *dicere permitto.* Hac autem personarum fictione Poeta inhumanitatem quorundam, iudiciíque peruersitatem notat: quali dicitur Tiberius grauiter offensus apud Suetonium in ipsius vita, c. 61 *Obiectum est* inquit, *Poetæ cuidam, quòd in Tragœdia Agamemnonem, id est, Romanum imperantem Tiberium probris lacessisset: obiectum & Historico, quòd Brutum, Cassiumq; vltimos Romanorum dixisset: animaduersum statim in auctores, scriptáq; abolita: quamuis probarentur aliquot annos, etiam Augusto audiente, recitata.*

Ab Achille.] De fortitudine Aiacis Telamonii lege Iliad. β. & Sophoclem in Aiace flagellifero, & Pindarum εἰδ. ζ. Nemeorum. Ex Sophocle disces ipsum Aiacem reddidisse rationem sui nominis, & quum illic exclamasset αἴ, αἴ, subiecisse: Quis vnquam putasset fore, vt nomen meum conuenientem malis meis significationem complecteretur? est enim nũc mihi, vnde clamare cum lamentatione debeam ter & quater, αἰαῖ ἐν.

Putrescit.] Quidam malunt hic legere, *putescit*, quia magis conueniat cadaueribus inhumatis & proiectis, quàm illud: quamuis Homerus Iliad. λ. de cadauere Diomedis sic loquatur:

— ὁ δὲ θ' αἵματι γαῖαν ἐρεύθων
Γύθεται, οἰωνοὶ δ' περὶ πλέες, ἠὲ γυναῖκες.
Ille verò sanguine terram inficiens
Putrescit, & plures aues, quàm mulieres, circumstabant.

Hoc autem vtrúmque tam Græcum quàm Latinum verbum aptiùs sepultis cadaueribus tribui videtur: nisi talis lectio accusaret Homerum acyrologiæ.

Gaudeas.] Altera est interpretatio versus Homerici Iliad. α.

Ὦ πόποι ἦ μέγα πένθος Ἀχαιΐδι γαῖαν ἱκάνει!
Ἦμὲν γηθήσαι Πρίαμος, Πριάμοιό τε παῖδες,
Ἄλλοι τε Τρῶες μέγα κέν κεχαροίατο θυμῷ.
Εἰ σφῶιν τά δε πάντα πυθοίατο μαχραμειβοῖιν;
Eheu quàm magnus luctus Achiuam terram incessit!
Contrà, quantâ Priamus afficietur lætitiâ, ipsiúsque liberi,
Aliíq; Troiani quanto exsultabunt gaudio,
Si audierint vos inter vos discordius laborare?

Hæc est oratio Nestoris Agamemnonem & Achillem conciliare conantis. Semper enim habitum est summæ prudentiæ, nihil committere, quod inimicis futurum sit voluptati, amicis verò dolori: quod Theognis queritur sibi aliter euenisse:

Οἴ μοι, ἐγὼ δείλος καὶ δὴ κατάχαρμα μὲν ἐχθροῖς
Τοῖς δὲ φίλοισι πόνος γείλα παθὼν γενόμην.
Hei mihi, miser ego fui lætitia inimicis,
Et amicis tristitia propter meam calamitatem.

Mille ouium.] Mille sumitur hic substantiuè, pro, mille oues: valétq; Græcum χιλιὰς, atq; vt dicitur μία χιλιὰς, sic vnum mille. Sic in plurali χιλιάδες & millia: de quo vide Agell. l. 1. c. 16. Macro. l. 1. Saturnal. c. 5. His autem similia dicuntur à Menelao in Aiace Sophoclis.

Insanus.] Ad hanc insaniam Aiax adactus fuit dolore iudicii, quo Græci adiudicârunt Achillis arma Vlyssi, magis ipsius eloquentiâ capti, quàm æquitate rei & veritate ducti, vt Pindarus scribit Nem. εἰδ. η.

Inclytum.] Hæc vox flexione quidem Græca est, sed coniunctione & casu Latina. κλυτὸς enim παρὰ τὸ κλύειν, ab audiendo deducitur, vt sit, cuius fama audiatur: vnde κλυτὸν ὄνομα Vlyssis valet celebre: quod aliter Græci dicunt ἐξάκουστον, ἐπίδοξον, καὶ ἐπίκλυτον, *celebre, clarum, & illustre.*

Menelaum, &c.] Etymũ Agamemnonis habes Ode 4. lib. 4. è Platone. Illud autem Menelai idem mihi videtur, quod Demosthenis, à populi robore & præsidio.

Pro vitula, &c.] Seru. in Eclog. 3. ad vers. *Experiamur: ego hanc vitulam, &c.* annotat, vitulam à viridiore ætate dictam, sicut virginem.

Aulide.] Fabulam vide in Iphigenia Euripidis, quomodo tempestate detenti in Aulide Græci fuerint coacti immolare Iphigeniam Dianæ: quod Clytemnestra in Electra Sophoclis profert in excusationẽ cædis à se factæ in Agamemnon. De quo lege l. 1. Lucretii, & 3. de Offic. de falsa religione Agamemnonis. Quid autem sit Aulis, potest sciri è l. 9. Strab. qui dicit Aulidem esse lapidosam Eubœæ oram: vbi est portus nauium 50. capax, cui congruenter scribit Scholiastes Apollonii 4. Argon. ἡ Αὐλὶς πόλις Βοιωτίας κατ' ἀντιπρὺ τῆς Εὐβοίας κειμένη, *Aulis est vrbs Bœotiæ è regione Euboeæ sita.* In quo portu detenta est classis Græcorum, & vt ibi Seruius annotat in hunc versum 4. Aeneid.

Non ego cum Danais Troianam exscindere gentem,
Aulide iurauí.

coniurârunt Græci se non antè reuersuros, quàm Troia caperetur. Ellipsin autem τῷ *in Aulide*, expleuit, vel pro datiuo, *Aulidi* positum scripsit. Præterea legendus est Seruius de hac immolatione in hunc versum Aenei. 10 secundo.

Sanguine placâsti ventos & virgine cæsâ.

Quod tibi, lector, volo nunc subscribere, veritus, ne fortassis copia commentarii tibi desit: *huius autem rei fabula talis est: Quum Græci ad Aulidem venissent, Agamemnon Dianæ ceruum occidit iguarus. Vnde irata dea flatus ventorum remouit. Quamobrem quum non nauigare possent, & pestilentiam sustinerent: oracula consulta dixerunt Agamemnonio sanguine Dianam esse placandam. Ergo quum ab Vlysse per nuptiarum simulationem adducta Iphigenia eò* 20 *esset, vt immolaretur, numinis miseratione sublata est, ceruáque supposita, & translata in Tauricam regionem regi Thoanti tradita est*, &c. Cicero lib. 3. de officiis vt modo dictum fuit, profert hanc fabulam in exemplum de non stando semper promissis. *Quid? Agamemnon quum deuouisset Dianæ, quod in suo regno pulcherrimum natum esset illo anno, immolauit Iphigeniam, quâ nihil erat eo quidem natum pulchrius. Promissum potius non faciendum, quàm tam tetrum facinus admittendum fuit. Ergo & promissa non facienda nonnunquam.* Quàm autem grauiter tulerit 30 Deus immolationem Israeliticorum liberorum ad idolum Moloch, quod quidam interpretantur simulacrum Saturni, lege Psalmum 106. ac de tàm tetro facinore quantum idem sumserit supplicii, l. 2. Regum c. 22. & 23.

Spargis.] Sic Virgilius in Pharmaceut. loquitur,

Sparge molam, & fragiles incende bitumine lauros.

Mola autem definitur à Festo *far tostum & sale conspersum*, quòd eo molito aspergantur hostiæ: sed, pro, sale consperſam, Poeta dicit *molâ salsâ* imitatus Plau- 40 tum in Amphitryone: *Prodigiali Ioui aut molâ salsâ hodie, aut ture masculo comprecatum oportuit.* Molæ videtur respondere, quod Theocritus dicit εἰδυλ. β.

Ἄλφιτα τὸ πρῶτον πυρὶ τάκεται· ἀλλ' ἐπίπασον
Θέσυλι δειλαίᾳ ----
Mola quidem primùm igne frigitur in suffitum.
Sed insperge, o Thestyli misera.

Quanquam scio τὸ ἄλφιτον definiri farinam hordeaceam ἐκ τῶν κριθῶν, vt ἄλευρον ἐκ τῶν πυρῶν, farinam triticeam: tamen eo distinguitur ἄλφιτον, quòd tor- 50 reatur: ἀμήλυσις δὲ, quòd ex crudo hordeo fiat. Spargendi autem molâ ratio pertinet ad ritum. Nam mola sic præparata è farre tosto, sale & ture, imponebatur capiti victimæ, quæ tum macta credebatur, & immolata: deinde vinum vel mustum eidem affundebatur, priùs ab auspice degustatum, & à circumstantibus leuiter delibatum: qui ritus dicebatur libatio: posteà exstispicium fiebat: epulæ celebrabantur: chori agitabantur, & pedibus complodebatur.

Rectum animi.] Familiaris est huic & aliis Poetis 60 *rectum* vsurpare substantiuè pro virtute, vt curuum & prauum pro vitio, vt anteà Sat. 1. l. 1.

Quos vltrà citráq; nequit consistere rectum.

& Epist. 2. l. 2. *curuo dignoscere rectum*: quod Græci dicunt τὸν τῆς διανοίας ὀρθότητα: vel huic Latino conuenientiùs τὸ τῦνῦ ὀρθόν. Sed ἐτυμώτερον, id est, verius interpretemur primum è lib. 1. Cic. de officiis. *perfectum autem officium, rectum, opinor, vocemus, quod* Græci κατόρθωμα;

τόρθωμα: deinde è lib.2.de finibus, *Quæ autem nos aut recta, aut rectè facta dicimus, si placet, illi vocant κατορθώματα omnes numeros virtutis continent.* Cæterum est profectò valde vsitatum omnibus tam Philosophis, Oratoribus, quàm Poetis in rebus singulis & artibus perfectissimum quidq; diligentissimè ac laboriosissimè inuestigare: cuius tamen labor videtur frustra suscipi, præsertim quum talis perfectionis quædam solũ idea & forma mente possit comprehendi & cogitari, non autem illius exemplar vsquam reperiri. In quo enim homines τοῦ κατορθώματος i. perfecti officii exemplum inuenias? Sic vnde posset erui, ab hominibus sanctis, i. per Spiritum S. regeneratis ac renouatis esset petendum. At Prophetæ & Apostoli testantur omnes omnium omninò hominũ iustitias pannis immundis ac pollutis esse persimiles, tantumq; illas abesse à perfectione recti operis Christiani debent credere, vt nisi Christus Dominus noster κατορθώματα ἐκεῖνα, pro nobis præstitisset, solusq; legi diuinę plenè perfectéque satisfecisset, quæ præcepta de perfectis officiis tradidit, actum de vniuersi generis humani æterna salute procul dubio fuisset.

Abstinuit vim.] Cic. dicit cum præpositione, abstinere mentes, oculos, & manus ab alienis, li. de Orat. Item, *Vix à se manum abstinuit*, id est, ferè sibi mortem consciuit.

Vt hærentes.] I. vt soluerent classem è portu Aulidis, vbi vis tempestatis & aduersi venti velut illum affixerant, & agere stationem cogebant, nec vela nos dare in altum sinebant.

Nempe tuo.] Hic, *nempe* est ἐπίρρημα διασαφητικὸν valens, ἤγουν, scilicet: quomodo Terent. And. Act. 1. Sc. 1 *Nempe vt curentur rectè*, id est, vis breuiter monere me, vt diligenter coquam, quæ apud forum modò emisti: quibus aduerbiis declarationis rarò vtitur Cicero.

Alias veris.] Ellipsis est præpositionis, quam explet Orator, *nec quicquam aliud à libertate communi quæsisse exitus declarat*: in quibusdam tamen codicibus desideratur hîc præpositio. Valet autem *alias*, diuersas & discrepantes à veris & à scelere tumultuoso. Xylander tamen contendit, *alias veris*, esse imitationem Græcæ syntaxeos, quâ dicitur ἕτερος αὐτῷ, *qui à se ipso dissidet*: ideóq; lectionem, *alias veris*, retinet. Quò possum afferre è Menone Platonis, ἄλλο ἐπιστήμης, *diuersum à scientia*. Item ex Ethicis Arist. φίλος ἕτερος τοῦ κόλακος, *amicus ab adulatore discrepat.*

Nihilum distabit.] I. erratum stulti & irati peccatum nihil inter se distant, & diuersa sunt, vt Cic. loquitur 1. de Orat.

Scelus admittis, &c.] Sic Terent. loquitur Eunuch. Act. 5. Sc. 2. — *quid ego tantum sceleris admisi?* vbi est Donato αὔξησις, quòd τὸ *admittere* plus sit quàm facere, vt in Adelph. Act. 3. Sc. 3. etiam annotatur: *Hæccine flagitia facere te? hæc te admittere indigna genere nostro?* sed Act. 4. Sc. 6. Eunuch. --- *quod tu cauere possis, stultum admittere est.* idem interpres explicat, nunc τὸ *admittere*, pati fieri significat.

Stas animo.] Hoc est, ésne mentis sanæ, vel, ésne apud te? &, vt dixit modo, *rectum animi seruas?* hæc tamen phrasis paulò aliter sumitur à Cic. l. 5. ad Att. Epist. 18. *Stamus animis, & quia consiliis, vt videmur, bonis vtimur, speramus etiam manu*: pro, non desponemus animos, & speramus, nos fore superiores viribus.

Purum vitio.] Aliâ syntaxi dixit Ode 22. l. 1. *sceleris q; purus.*

Gestare amet.] I. libenter gestet secum: de quo dictum est in Gram. Od. 5. l. 2.

Tumidum, &c.] I. variis perturbationibus affectum & agitatum.

Puppam.] Veteres dicebant puppam & pupillam, pussam & pusillam, pro puellam & puellulam. Hîc Iosephus Scaliger mauult veterem lectionem asserere, *putam & putillam*, quæ deflectit eruditè παρὰ τὴν πόδιον καὶ τὸ πόδιον, τουτ' ἔστιν χοίρον καὶ χοιρίον διὰ ὑποκορισμάτων, quibus nutrices vtuntur in alumnis blandè appellandis, quomodo dicitur Augustus Horatium appellasse putissimum penem & homuncionem lepidissimũ, vt apparet ex vita Poetæ præfixa his commentariis è Suetonio.

Destinet vxorem.] I. despondeat viro forti vxorem, quod Græcè dicitur προοφίζειν. Certè qui hoc facit, tradi meretur, vt furiosus, in tutelam propinquorum sanorum.

Forti marito &c.] Pro hoc Donatus in Act. 4. Sc. 1. Hecyræ dicit, *virum satis firmum*, quum Philippus sic loquitur de Pamphilo cum Myrrhina muliere,

Nam si is posset ab ea sese derepente auellere,
Qui cum te consuesset annos: non eum hominem ducerem,
Nec virum satis firmum gnatæ

Notæ Donati in versum postremũ sunt, *quem res Venereæ non mouerent. Nam firmum etiam hoc possumus intelligere, validum in officio coitus*, vt hic locus Horatii citatur: qualem Canidia conqueritur Horatium fuisse in se Epodis. 12. vbi dicitur *iuuenis minimè firmus & taurus iners.*

Bellona.] Bellona dicitur ad insaniam adigere, quæ definitur à Græcis πολεμικὴ θεὰ, maximéq; ab Eustathio in hunc versum Iliad. ε.

Οὐτ' ἄρ' Ἀθηναίη, οὐτὲ πτολίπορθος Ἐνυώ.
Neq; Minerua, neq; vrbiperda Bellona.

Ἡ δ' Ἐνυὼ δαιμόνιόν τι πλάσσεται μαχιμὸν ἀπὸ οὖ ὠ, vel οὖ ὠ, τὸ φονεύω. *Enyo fingitur dæmonium quoddam bellicosum, à perimendo dictum*, ἀφ' οὗ καὶ ὁ ἐνύαλιος παράγεται, à quo deducitur hoc epithetum, modò Dionysio, modò cuidam alii dæmoni tributum, vt placet Scholiastæ Sophoclis in Aiacem. Præterea quidam putant Bellonam fuisse matrem Martis, alii sororem, alii aliud. E lib. autem sexto Fastorũ Ouidii cognoscimus ædem Bellonæ sitam fuisse iuxta Circum maximum extra vrbem, & ab Appio Pulchro consecratam,

Hac sacrata die Tusco Bellona duello
Dicitur, & Latio prospera semper adest.
Appius est auctor. Pyrrho qui pace negatâ
Multum animo vidit: lumine captus erat. &c.

Per *hac die* significatur dies Iunii quartus, vel Romaico calculo pridie Nonas eiusdem mensis: in illo Circo primum senatusconsultum legimus apud Liuium l. 6. Decadis 3. conditum: quum Marcellus victor reuersus ex Syracusis triumphum rebus abs se præclarè gestis postulauit, C. Calphurnio prætore senatum habente. Solemne autem erat & imperatores triumphum petituros & legatos exterarum gentium vrbis ingressu tantisper prohiberi, dum ibidem senatus fuisset: de quo lege Liuium l. 10. Decadis tertiæ, vt de ipsa Dea l. 2. de natura Deorum & Lactantium l. 1.

Gaudens cruentis.] Quod Græcè dicas, φιλαίματον, καὶ αἱμοχαρὴς, ἢ αἱματοχαρὴς, *Martem sæuum, sanguinarium.*

Nomentanum.] De hoc dictum est Satyr. 8. lib. 1. & 1. lib. 2. sicut de *nepote* Epod. 1. & Satyra secunda huius libri.

Arripe mecum.] Nempe luxuriosum ad quæstionem & reprehensionem, & exerce, & exagita: quomodo loquutus est Sat. 1. huius; *primores populi arripuit.*

Vincit ratio.] I. arguit & obtinet, vt Sat. 3. l. 1. *Nec ratio vincet.*

Hic simul.] I. postquam quidam nepos & luxuriosus (ita τὸ *hic* videtur ἀορίστως sumendum, non ad Nomentanum referendum) adiit patrimonium mille talentorum: quæ si Attica erant, sex centis aureorum nostrorum millibus respondebant è Budæi supputatione. Hanc autem vocem Græci, à qua fluit Latina, scribunt per α in penultima, siue lancem & trutinam, siue pondus auri & argenti lanci impositum notet, vt Theocritus Idyl. η.

Μή μοι χρυσεῖα τάλαντα
Εἰμὶ ἔχειν ——
Nec mihi auri talenta habere liceat.

De cuius notione dictum est Satyrâ tertiâ libri primi.

Pomarius.] Græcè dicitur μηλοπώλης, Gall. *fructier*, vt vnguentarius, μυροπώλης: quales effæminatorum hominum artifices Lacedæmonii ex vrbe sua expulerunt, vt refert Sen. l. 4. natur. quæst. atq; præterea reliquos voluptatum ministros. Cic. sub fin. l. 1. de Offic censet improbandos, cetarios, lanios, coquos, fartores, piscatores, vnguentarios, saltatores, totúmque ludum talarium, præsertim si lucri & quæstus caussa luditur.

Tusci vici.] Hic vicus Romæ, quem posteà dixerunt Turarium, nomen Tuscum ex eo habuit inditum, quòd, quum pars rusticorum ab Arricinis cæsa, post factam cum Romanis pacem, perfugisset Romã & eam benignè exceptam caritas huius vrbis tenuisset, hic locus vrbanæ habitationis appellatus sit vicus Tuscus, vbi tempore Poetæ celeberrimi quotidie conuentus mangonum, barathronum, lenonum, mendicorum, lurcorum, insidiatorum, sicariorum, reliquorúmque perditorum ac profligatorum hominum agebantur, de quo vico lege Liu. l. 2. & Varron. l. 4. de lingua Latina.

Cum scurris.] Ad Grammaticam huius vocis notationem valdè est appositum epithetum *vagus*, & ad eiusdem descriptionem totus ille locus Poetæ Epist. 15.

Menius vt rebus maternis atq; paternis
Fortiter absumtis, vrbanus cœpit haberi,
Scurra vagus, non qui certum præsepe teneret,
Quælibet in quemuis opprobria fingere sæuus.

Hinc perspicitur scurræ esse, non solum adulando iocari, sed graues etiam contumelias intorquere in alios. Hic Græcis est βωμολόχος καὶ βιόλογος, qui victum dicteriis aucupatur: quasi assecla mensarum alienarum: quali contumeliâ Cicero Sallustium notauit. Potest autem hæc vox vel à verbo Græco συγκύρειν deflecti, quòd scurra semper ditissimo cuique studeat occurrere: vel à verbo Latino *sequi*, vel à secando: quod videtur ex eo probabilius, quia Cic. lib. 1. de natura Deorum scribit, esse verbum Latinum, cuius veriverbium ab ipsius Latinis parentibus petendum est. Locus ille Ciceronis est: *Zeno quidem non eos solùm, qui tum erant, Apollodorum, Syllum, cæterósque figebat maledicta sed Socratem ipsum parentem Philosophiæ, Latino verbo vtens, scurram Atticum fuisse dicebat*: & Græcè dicitur δεξαιτηνός, vt δρακίζειν, *scurrari*, à δέρκειν, ab acie oculorum intenta. Aliquando etiam κοπριὰς, à stercoratione, καὶ γελωτοποιός. De quo vide Ios. Scaligerũ in castigationibus Pompeii Festi: vbi emendatur hic locus Suetonii in Claudio: *Interdum ferulâ, flagróue velut per ludum excitabatur à copriis*, id est scurris: quo in loco Beroaldus & Turnebus perstringuntur.

Velabro.] Hic fuit locus olim palustris inter Auentinum & reliquos Romæ colliculos, ideóque ab his tanquam velis traiiciebatur. Varro tamen libro quarto de lingua Latina paulò aliter videtur sentire, quum scribit, in illo interpositu interiectúque paludis sacrum quendam lucum & sacellum Larium, quod Velabrum dicebatur, tum fuisse: vnde qui ratibus auehebantur, ad imam nouam viam quadrantem soluebant: ideóq; à vehendo nomen habuit ille locus.

Macellum.] Hæc vox videtur Plutarcho §4. quæstione oriunda à Græca μαγειρεῖον propter affinitatem literarum, g, & c, vel a Macello quodam latrone, cuius morte multati bonis emtus est locus, & vendundis carnibus destinatus. Eodem quoque libro Varro scribit à Lacedæmoniis μακελῶτας vocata fuisse loca, quò homines, quicquid vellent vendere, importarent: vnde & forum inuenit nomen, siue boarium, siue olitorium, siue piscatorium, siue cupediarium fuerit. Isidorus tamen flectit à mactando pecora, quæ posteà mercantibus venundantur: quod magis videtur probandum. Hac quidem voce vtitur D. Paulus ad Corinthios, capite decimo, Epistolâ primâ, πᾶν τὸ ἐν τῷ μακέλλῳ πωλούμενον ἐσθίετε μηδὲν ἀνακρίνοντες διὰ τὴν συνείδησιν.

Accipe.] Verbum est audientiæ & attentionis, quale fuit Sat. 2. huius lib. & est 2. Aeneid. *Accipe nunc Danaûm insidias*, id est, cognosce: & Cicero lib. 1. ad Lent. *Quæ gerentur, accipies ex Pollione*, id est, intelliges.

Responderit.] I. responsum dederit facile & placidum.

In niue.] Alloquitur Asotus venatorem, qui fortassis vnâ voce dici posset Græcè, χιονοποιτὴς ἐν Λουκανίᾳ quomodo Theocritum dixisse monuimus in Gram. Odes 1. l. 1. ἀιθριοποιτεῖν, *sub dio cubare.* De Lucania lege Gram. Sat. 1. huius libri.

Ocreatus. &c.] Græcè dicitur κνημιδοφόρος. Ocrea autem est Festo παρὰ τὴν ὀκρεῖν, ab inæquali asperitate saxi. Sed Varroni ab appositione talis calceamenti ad crus.

Vt aprum.] De quo vide Oden. 13. l. 3.

Tu pisces.] Sermo est Asoti ad piscatorem, vbi dicitur piscatus suscipi hyeme difficilè ac periculosè. Quidam hîc legunt *vellis* pro verris, vnde verriculum.

Segnis.] Festus ἐτυμολογεῖ τὴν δὲ λέξιν, quòd sit sine nixu & igne: & Donatus in Andr. Terent. *nihil loci segnitiæ neq; socordiæ*, illud ad agendum, & hoc ad considerandum refert. Priori respondent notione, *ignauus & remissus*, & his opponuntur *agilis & gnauus*, ex Epist. 18. l. 1.

Oderunt agilem, gnauúmq; remissi.

Sume decies.] Alloquitur Lenonem: vbi hanc ellipsin nonnulli sic explent: sume decies centena sestertiûm vel nummûm millia: de qua summa consule Budæum de asse, è cuius supputatione summam subduximus talem Satyr. 3. l. 1. ad hunc locum.

—— *decies centena dedisses, nummûm vel sestertiûm*, id est, 25000. aureorum Gallicorum.

Vnde vxor.] I. ob quam summam & triplam mercedem, vel cuius rei caussâ. *Vxor media currit de nocte vocata.* Quamquam autem notæ fuerunt in oden 14. li. 2. de voce *vxor* ex commentariis Donati, nunc tamen ad horum confirmationem similes Seruii Honorati in vers. Æneidos 4. proferam,

Præterea fuit in tectis de marmore templum

Coniu-

Coniugis antiqui: miro quod honore colebat,
Velleribus niueis, & festâ fronde reuinctum.

Moris, ait ille, fuerat, vt nubentes puellæ simul vt venissent ad limen mariti, postes, antequam ingrederentur, ornarent laneis vittis, vnde ait, *velleribus niueis*, & oleo vngerẽt, vnde vxores dictæ sunt, quasi vnxores: peractâ vnctione, noua nupta limen ianuæ transiliebat, quia religioni habebatur, si in transgrediendo limen contigisset: quod memorat Plutarchus in Quæstio Romaic, quæst. 29. docens, quemadmodum sponsæ non licuerit tangere limen domus, sed eam sublatam à pronubis transportari: cuius moris tres possunt principes proferri rationes, vel quòd in prima raptione mulieres non vltrò domos intrauerunt, sed illuc vi sunt illatæ: vel quòd velint ipsæ videri, non volentes, sed inuitæ eodem ingredi, vbi sint virginitatem amissuræ: vel quòd hoc signum sit, eas non debere inde exire & domum relinquere, nisi eiiciantur, sicut vi fuerant eò introductæ: vnde perspicit lector, quod cecinit poeta de Augusto Cæsare ode 5. l. 4. non carere suspitione assentationis, nisi ab vrbe tum abfuerit Augustus, quum hoc scriptum fuit: huius enim præsentia dicitur illic impedimento flagitiosis fuisse, ne stupra committere, ne leges violare, iuraque peruertere, nullum denique facinus indignum admittere auderent,

Nullis, ait, polluitur casta domus stupris:
Mos & lex maculosum edomuit nefas.

Filius Aesopi.] Hunc filium Plin. lib. 9. cap. 25. appellat Clodium histrionem, patremque ipsius Tragædum: vbi etiam notantur ipsius nepotini ac immensi sumtus & Cleopatræ. His addidit Cælius Rhodiginus lib. 15. c. 3. de aduentitia & hypodictica cæna, Caligulam Imperatorem è Suetonio in ipsius vita.

Exsorberet.] Vno haustu illa decies centena sestertiûm millia *solidum exsorbere*, id est, baccam illam, aut si vis, vnionem margaritam aceto dilutam exsorberet integram, nec comminutam, nec in puluerem redactam, quæ tanti esset pretii.

Qui sanior.] Pro, quomodo est magis sanus, quàm is, qui illam baccam in flumen deiecisset, aut in cloacam?

Par nobile.] I. hi duo fratres & luxu & studio rerum malarum erant pares ac vulgò talis noti.

Nequitiâ & nugis.] Vox *nugæ* fit coniunctione a *non* & *ago*, quòd nugantes nihil agant. Videtur tamen D. Hieronymo dici ab Hebræo *noguehh* in *niphal*, vt alibi fuit annotatum.

Gemellum.] Hoc epithetum est similitudinis, de quo Epist. 10. ad verba, *penè gemelli.*

Luscinias.] Hic per synæresin duæ postremæ vocales contrahuntur: quo certè nihil opus erit, si vocem deflectas à *cano*, quæ à lugubrè canendo nomen videtur inuenisse: vnde Virg. lib. 4. Georg. Philomela dicitur mærens, quum canit, Τηρεὺς μ' ἐβιάσατο, *Tereus me violauit*, vel quòd ante lucem canat, Græcè, φιλομέλη, ἢ ἀηδὼν, *à desiderio canendi*, Τηρεὺς γλώσσας, quibus verbis suas fundit de Tereo querelas. Huius autem & Prognes fabula est Odes 12. lib. 4. à nobis copiosè narrata, & hoc Epig. Martial. lib. 14. comprehensa.

Flet Philomela nefas incesti Tereos, & quæ
Muta puella fuit, garrula fertur auis.

Τὸ δὲ ἀηδὼν Eustathius initio Iliad. α sic notat, quum distinguit τὸ σύνεσιν καὶ τὸ λέγειν ab ἀείδειν· ὄρνεις ᾠδικὸς τινὰς λέγομεν, ἢ ἀηδὼν ἐν τῇ ἀείδειν παρετυμολογεῖται τροπῇ Αἰολικῇ τοῦ ει διφθόγγου εἰς η. *quasdam aues dicimus natas ad canendum, vt philomela nominatur à canendo, Aeolicâ mutatione diphthongi ei in η.*]

Impenso.] Probatur mihi altera lectio, quæ habet *immenso*, in quo intelligas *pretio.*

Quorsum.] I. quid fiet de sanis? bonisne an malis adscribendi erunt? Huius ludi puerilis Tibullus meminit Eleg. 1. l. 2.

Turbaq; vernarum saturi bona signa coloni,
Ludet, & ex virgis exstruet antè casas.

Ludere par.] Huic ludo assimilis est alter, *micare digitis*, quum horum partim plurium, partim paucorum extensione vel contractione diuinatur, quid bonæ, quidue malæ sortis ceciderit: de quibus lege Erasmum. Præterea ad equitandi rationem pertinet, quod Plutarch. scribit, Agesilaum, quòd impensissimè liberos suos diligeret, domi in arundine cum puerulis ludi gratiâ equitasse, conspectúmque à quodam amicorum monuisse, ne cuiquam hoc diceret, priusquam ipse quoq; pater esset factus, ex Apotheg. Lacon.

Puerilius.] Repete, si quem delectet barbatum amare, ratio euincet hoc esse puerilius, i. ineptius ac stultius illis superioribus.

Trimus,] Idem valet, quod triennis & Græcum τριέτης, *natus tres annos.*

Polemon.] Hic Athenienſis adolescens vitam libidinosè ac intemperanter agebat: sed audito Xenocrate Philosopho Academico ex acolasto & asoto factus est frugalissimus & temperantissimus: de quo lege Laert. l. 4. & Val. Max. l. 6. ca. 11. dicam tamen ex Acrone correcto Canteri operâ, *Xenocratem fuisse continentissimum, de quo Lais meretrix sponsionem fecerat, se solicitaturam eum ad concubitum. Nocte ergo quâdam terrorem illa finxit & confugit ad eum, & quasi necessitate eũ eo mansit. Ille verò immobilis iacuit: pòst dum soluere sponsionem cogeretur, respondit, Ego de homine, non de statua, illam feci.*

Ponas insig.] I. depones indicia insaniæ tuæ, quæ sunt ornamenta hominum delicatorum & molliusculorũ παιγνίδια, *fasciolæ*, ταινίαι, ἀναδήματα, *redimicula*, ἐπαγωνία, *puluini cubitales* & serta è multis plantis decerpta, variisq; floribus intexta.

Focalia.] Hæc vox à faucibus, non à fouendo deflectitur, vt quantitas primæ syllabæ subindicat: quamuis notio & descriptio focalium aptè conueniat posteriori, quum focale sit inuolucrum colli aduersus iniuriam inclementis cæli loco cuiusdam fomenti: quod valetudinis tantùm caussâ Quintilianus permittit Oratorib. l. 11. ca. 3. de pronunciatione: de quo sic fecit, Martialis l. 11.

Sic recitaturus dedero tibi fortè libellum,
Hoc focale tuas asserat auriculas.

οὗτος μὲν ὁ κόσμος λέγεται πυρίως ἐπὶ τοῦ περιδεραίου τῶν γυναικῶν. *Hic quidem ornatus propriè dicitur de monili mulierum*, sed tribuitur hic viris, ὡς γυναικῶσι, propter mollitiem, luxuriosámque vitam.

Dicitur carp.] I. dicitur clàm dilacerasse pudore coronas, quas sibi variis floribus, violis ac frondibus nexas potaturus capiti imposuerat: vel expone, si vis, *carpsisse*, detraxisse collo integumenta.

Exclusus.] Hic nihil differt à puero porrecta recusante, & negata reposcente, i. iuxtà cum puero huiusmodi desipit amator.

Non paulò sap.] Id est, Parmeno multò sapientior quàm herus ipsius, qui quòd παραμένει τῷ αὐτοῦ δεσπότῃ, id est, *adhaeret domino suo*, sic vocatur, & osor me-

retricum, & in his Thaidis, quæ videtur quibusdam dicta παρὰ τὸν ταῶνα, *a pauone*, ostentatore caudæ suæ, vel παρὰ τὴν λαμπάδα, *a face*, quòd incendat amatores, qui ad eam accedunt: vnde Terentius de illa dixit, *accede ad hunc ignem, & calescès plus satis.* Hæc phrasis est verè Ciceroniana. Nam quum Cic. vult aliquid manifestò magnum exprimere, vtitur hoc genere loquendi, vt Epist. 1. lib. 7. ad famil. *Nè tu haud paulò plus, quàm quisquam nostrum, delectationis habuisti.* & in Orat. *haud paulò melior scriptor Plato.* Item Ep. 20. lib. 6. ad eundem, *Alexander Imperator haud paulò melior, quàm aut tu, aut ego.*

In amore.] Charinus apud Plautum in Mercatore multò plura his accidere scribit amori, vt sequitur:

Nam amorem hæc cuncta vitia sectari solent,
Cura, ægritudo, nimiáq; elegantia, &c.

quæ satis ostendunt illud Plauti in Curculione parum conducere, *bonum est pauxillùm amare, sanè: insane non est bonum*: sed quum amor sit ægritudo animi, nemo potest pauxillùm & sanè amare. Huc accedit, quod idem dicit in Cistellaria, *occipere amare amarum est*: quod si est ita, amarissimum erit & miserrimum istic durare, & è sententia Alcesimarchi adolescentis apud eundem, *amorem esse carnificinam*, & furorem, quum appetitur tantùm corpus: sed quum sumitur alterius iuuandi caussâ propter aliquam virtutis opinionem, honestissima res est, vt aliâs docui è Platone. De quibus lege Tuscul. l. 4. & August. l. 19. de ciu. Dei.

Reddere certa.] Meliùs sic distinguitur post *sibi*, quàm ante ipsum.

Piceni.] De Piceno & Picentibus lege Strab. lib. 5. Hæc autem Italiæ regio dicitur hodie Marcia Aconitana: vnde Picena poma, quo modo Lutetiæ *Persica Corbellana.*

Camera.] Hæc vox Græca est, & dicitur ἡ καμάρα, variéque sumitur. Interdum enim pro fornice & testudine tecti laqueati, quam Grammatici deflectunt παρὰ τὸ κάμνειν τῷ βάρει, quòd pondere curetur & laboret. Interdum valet ὄχημα κατάστεγον, *vehiculum contectum.* Aliquando etiam dicitur, baltheus militarisq; zona: item pars capitis iuxta meatum auris propter similitudinem fornicis, quò faciliùs soni recipiantur, magisq; intus audiantur. Latini, vt Nonius & Festus, definiunt cameram tectum curuatâ formâ contextum.

Percûsti.] Syncope est pro percussisti. Ex seminibus, granis & lapillis pomorum in cameram amatæ puellæ emissis, coniicit summam dementiam amatoris, qui putat animum illius fore gratiorem, si iactus talium seminum attigerit laquear ipsius tecti. Sic æstate iaciuntur calculi cerasorum, dum madent, & compressu primorum digitorum lubrico facilè euolant.

Penes te es?] Sæpius dicitur *apud se esse*, pro esse animo præsenti & sano.

Balba feris.] Syntaxis est hypallagica, pro, feris palatum annosum balbis verbis: id est, tu blandiris insanè amicæ, qui sis istâ ætate: aliâs tamen hîc legitur, *seris verba*, pro feris.

Adde cruor &c.] Modus est imperandi, pro connexo, si ad ignem amatoris addatur cædes, insania erit immedicabilis.

Ignem gladio.] Allusio est ad Pythagoricum symbolum, πῦρ σιδήρῳ μὴ σκαλεύειν, *ignem gladio ne fodito.* id est, ne prouoces satis iam irritatum, de quo lege Erasmum Chil. 1. Cent. 1. Τὸ δὲ *gladius*, Varro de ling. Latina lib. 4. scribit dici à clade, quod cudatur ad cladem hostium, & hoc παρὰ τὸ κλάειν, *à frangendo & amputando*, mutatione τοῦ κ in γ: vnde apparet error Isidori, qui gladium à diuidenda gula dictum putârit.

Marius.] Hic amoris insaniâ impulsus est ἐς τὴν μιαιφονίαν, ideóque ex amatore factus est βροτολοιγὸς καὶ μιαιφόνος. Helladem enim amicâ interemit. Quod autem hîc tribuitur insano amori, Plutarchus πρὸς τὸν ἡγεμόνα ἀπαίδευτον tribuit vitiositati principis ac potentis, cuius malitia celerem nacta cursum, ex potestate quemuis affectum in actũ protrudit, ad iram, ad cædem, ad amorem, ad fraudationem, ad proscriptionem.

Quum præcipitat.] Est hîc temporis Enallage, pro præcipitaret.

Cerritus.] Ratio primigenii τοῦ *Cereris*, videtur postulare *Cereritus*, vnde fit concisè *Cerritus*, furore Cereris correptus, tanquam δημητρόληπτος, quo Plaut. in Amph. *Tu certè es aut laruatus, aut cerritus*, sed pro eo Augustus dicitur vsus Vacerrosus, vecors & insanus, à vacerra, stipite, cui alligantur equi. Sueto. in Oct. cap. 87. Postremò quantus sit furor amoris, disces è lib. 4. Tusc. vti iam suprà dictum fuit. Vbi ex omnibus animi perturbationibus nulla dicitur hac vehementior, & remedium talis insaniæ lib. 4. Lucretii.

Sed fugitare decet simulacra & pabula amoris
Absterrere sibi, atq; alio conuertere mentem.

Absolues crimine.] Hoc Græcè dixeris, ἀπολάξας νόσον τῆς παραφρωσύνης τὸν ἄνθρωπον καὶ ἑαυτὸν κρινεῖς τοῦ μιάσματος i. dices more vulgi, Marium, qui amicam suam occidit, sceleratum quidem esse, non autem insanum nec mente abalienatum: sed falleris, quia sceleratus est omnis insanus.

Libertinus.] Qui fuerit Libertinus, non satis constat inter Grammaticos. Quidam putant ex historia Cor. Taciti lib. 1. fuisse aliquem è sodalibus Augustalibus, qui additi fuerãt nouis ceremoniis, quæ Laribus in compitis fiebant à sacerdotibus è genere Libertinorum. Alii verò suspicantur hunc Libertinum fuisse de famulitio Mæcenatis, vel diuitis alicuius Romani nimis addictum Stoicæ sectæ: ideóq; Poetã oblectari salibus aspergendis dicteriisq; in huiusmodi superstitiosum Stoicũ iaciendis. Alii ex historia Dionysii Halicarnas. l. 4. afferunt non solùm seruos, sed etiam ingenuos ac libertinos olim ministros fuisse sacrorum compitalium, quorum obsequio sacrificium Laribus sperabant multò gratius fore, dum vicatim cursitarent ieiuni, sicci ac sobrii ad tale ministerium.

Compita.] De hac voce dictum est paulò antè: sed de compitalibus lege Macrob. & Suetonium in Aug. cap. 31.

Lauti manè.] Hæc manuum ablutio est ceremonia longè antiquissima, vt patet ex operibus & diebus Hesiodi: vbi præcipitur sacrum Ioui manè lautis manibus faciendum: quòd Dii preces & vota illotorum auersarentur: cui ceremoniæ & aliis similibus Stoicos valdè deditos irridet Poeta.

Vnum quiddam.] Poeta derisit ieiunia, purgationem, reliquúmq; Libertini officium circa operationem: nunc eiusdem stultam precationem cauillatur: qui peteret à Diis, vt se reliquis hominibus superstitem facerent, i. Diis parem. Pro *rem quidẽ certò magnã* quidam legunt *vnum, quid tam magnum? addẽs vnum me, &c.* & sic interpretantur. Libertinus petebat precibus à Diis vnum, quod erat, donate me vnum, i. solum, immortali-

mortalitate. deinde per exclamationem, quid eſt tam magnum, quam immortalitatem à Diis impetrare! Alii ſic interpungunt: Quid? réſne eſt tam magna fieri immortalem à Diis, qui omnia poſſint & curent? Alii malunt hanc lectionem, & ita exponunt: Libertinus addens ad ſuperiores ceremonias vnum quid, id eſt, aliquid tam magnum orabat, vnum, inquam, ſurpite me morti, id eſt, eximite me à morte, pro ſurripite, & hoc modo poſterius *vnum* referunt ad quid. Alii denique intelligunt hanc liberationem de ſeruitutis duritia, quam appellant mortem, & *morte* non *morti* legunt, ac libertinum ſumi καταχρηστικῶς pro ſeruo putant: quò ſpectare videtur illud ſequens, quum *venerat*: quod tamen poſus explicare: ſi vendere illum vellet dominus, quod dum herus faciebat, vitia mancipii debebat indicare emtori, ſecus redhibebatur mancipium pretio reddito, vt ſcribit Cic. de Offic. 3. Itaque ſi dominus huius ſuperſtitioſi vellet venundare talem hominem, affirmare quidem poſſet illum corpore ſanum, ſed mente ægrotum; ſecus, litigioſus habebatur. Verum quomodocúnque legeris, ſenties Poetam agere merum Epicureum, qui opinionem Stoicorum de immortalitate animæ & Deorum prouidentia irridet. De hoc autem more donandi homines immortalitate lege Herodot. l. 4. vbi Getæ ea de re appellantur ἀθανατίζοντες, & apud Arrianum ἀπαθανατίζοντες: qui talem mortem retulerunt ex apotheoſi cuiuſdam Zamolxis diſcipuli Pythagoræ, qui olim fuit habitus Deus poſt ſuum & huius Philoſophi reditum ex Aegypto.

Chryſippus.] De hoc Philoſopho iam bis dictum eſt Sat. 3 l. 1. & initio huius.

Meneni.] Familia Meneniorum Romæ fuit ampliſſima, ex qua exſtitit Romæ Conſul quidam Menenius mentis parùm integræ, vt ſcribit Dionyſius Halic. lib. 9. indidem exſtitit alter mentis non ſanioris tempore noſtri Poetæ: vnde credita eſt illa familia ſtultorum & inſanorum fæcundiſſima: quò pertinere videtur ratio nominis, ſiue à meniis, id eſt, ineptiis, ſiue ἀπὸ τῆς μενοινῆς, ab impetu mentis.

Iupiter.] Sic Teren. loquitur in Heaut. Act. 3. Sc. 1. *Dies adimit ægritudinem hominibus*: ſed hîc tribuitur tempori doloris ademtio, iuxta illud Sophoclis in Aiace: χρόνος σύμαχος θεός. i. *tempus eſt Deus facilis.* Idem dicit Euripides in Alceſtide, χρόνος μαλάξει σε. i. *tempus leniet tuum dolorem.* Eam autem Philoſophi Ethnici habuerunt de Diis opinionem, vt monuerint, ſicut alibi citauimus:

θεοῖς εὔχου, οἷς ἐστι μέγα κράτος: ὅτι ἄτερ θεῶν
Γίγνεται οὐθρώποις, οὔτ' ἀγαθ' οὔτε κακά.

Deos precare: quib. eſt magna poteſtas: nihil ſine Diis eſt hominibus, neq; bonum neq; malum.

Itaque hæc mater ſic edocta, & filii morbum & eiuſdem incolumitatem initiò tulit Ioui acceptam, quod Poeta illudit, dum id videtur dubitanter tribuere, vel Fortunæ, vel Medico: attamen in ſoluendo voto, quo ſe obſtrinxerat illa ſuperſtitioſè, crudeliter & inſanè ſe geſſit. Febris autem à feruore, vt Græcè πύρετος ab igne deflectitur, quòd ſit Heſychio καῦμα καὶ φλογισμός, qui pro ſua ſubſtantia, motu, & materia, vnde accenditur, varias ſortitur differentias. In verborum autem ſyntaxi eſt quædam hyſterologia. Nam ordo poſtularet: delira mater, quum ſtatuerit filium è morbo (quem vocat præcipitem i. præmaturum, vel ruentem in mortem) confirmatum & in gelida ripa ſtantem, reducet febrim, vt frigidæ aquæ & ipſum ſic necabit.

Quo tu.] Significat vel diem Iouis, quo Coſſ. & Prætores indicebant ieiunia illius nomine: vel 20. Cal. Ian. feriis Iouis dicatum: In *præcipiti*, deſideratur morbo, nempe intempeſtiuo & præmaturo, qui hominem corripit in ipſo vitæ ingreſſu. In *concuſſa mente*, eſt Helleniſmus, ἡ νοῦν πεπληγῶς, vel, vt Euripides in Oreſte, μαινομένοις φρεσὶ, ſine helleniſmo, *mente furiata*, ſicut timor Deorum eſt interpretatio vocis δεισιδαιμονία, de qua fuit antè.

Quo ne malo.] Τὸ *ne* eſt πάρελκον, ſuperuacaneum & productionis cauſsâ tantum appenſum, quale eſt in ſequenti, *Quantáne.*

Hæc mihi.] Damaſippus concludit diſputationem Stertinii: quam ita laudat, vt ad ſeptem Græcorum ſapientes, Cleobolum Lyndium, Chilonem Lacedæmonium, Solonem Salaminium, Pittacum Mitylenæum, Taletem Mileſium, Biantem Prienenſem, Periandrum Corinthium honorificè aggregat.

Compellare.] Hæc compellatio intelligitur probroſa & contumelioſa, vt Cic. Epiſt. ad Fam. li. 22. ad Cornif. quotidianas meas compellationes non tulit i. obiurgationes. Sic abſolutè ſumitur compellare pro accuſare & obiurgare: ſed cum adiunctis pro, alloqui, vt blandè, magnificè, multo honore, vocibus notis compellare & ſimile, &c.

Dixerit.] Deſideratur hîc aliqua inferendi coniunctio, *itaq;* vel *ergo.*

Totidem audiet.] Hoc ſumtum eſt ex Iliad. e. vb Æneas ſic reſpondet Achilli:

---- Μὴ δή μ' ἐπέοσσι νηπύτιον δὲ
Ἔλπεο δειδίξεσθαι, ἐπεὶ σάφα οἶδα καὶ αὐτὸς
Ἠμὲν ἀτρεκέως, ἠδ' ἄλλα μυθήσασθαι.

Noli me, vt puellum, verbis compellare, nec ſpera perterritum me. Noui enim planè & contumelias & appoſitè dicta reponere.

Deinde addit:

Ὁπποῖον καὶ εἴπεσθα ἔπος, τοῖον καὶ ἐπακούσαις

Qualia dixeris, talia audies.

Eadem ſententia repetitur ab Heſiodo in operibus. deinde à Sophocle, poſtremo ab Euripide, vnde à Latinis translata eſt, ſicut poteris è Prouerbio, *qui, quæ vult, dicit, quæ non vult, audiet*, facilè perſpicere.

Totidem.] Intellige totidem contumelias & convitia audiet. Eſt autem totidem ἄπτωτον καὶ πλειωνικὸν totidem annos, totidem verbis.

Atq; reſpicere.] Hoc verbum, vt ab ipſo declinatum *reſpectare* eſt, quod Græci dicunt ἐντροπαλίζειν, καὶ συνεχῶς ἑαυτὸν ἀναστρέφειν, *ſubinde ſe reflectere & retrò conuertere*, aliter, ὀπίσω βλέπειν, retrò aſpicere, ſicut Iliad 6. dicitur:

Οὐ οἶος ὁρᾷ πρόσσω καὶ ὀπίσσω.

Solus enim hîc a fronte & tergo videt:

de prudente, qui præterita & futura, more Iani proſpicit: inde transfertur per commiſerationem Ode 2. lib. 1.

Siue neglectum genus & nepotes
Reſpicis auctor.

quod apertiùs dicit Terentius in And. Act. 5. Scen. 6. — *Age me in tuis ſecundis rebus reſpice*, & Donatus interpretatur, ſunt, qui felicitate elati, ne reſpicere quidem velint amicos. Et reſpicere eſt propriè retrò aſpicere, id eſt, quem præcedis felicitate, non obliuiſcaris. Quod Perſius in ſimili ſententia dicit, in ſe deſcendere, ſumtum à deſcendentibus in fodinas vel cellas, pro vitam & mores ſuos examinare, excutere & caſtigare:

Vt nemo in sese tentet descendere, nemo:
Sed præcedenti spectatur mantica tergo.

Eadem sententia est apud Tibullum, quod ductum est ex Apologo Aesopi Phrygii, qui affinxit hominibus nimiùm sui amantibus duas manticas anteriorem & posteriorem: in anteriori quidem alia vitia semper ob oculos posita erant: in posteriori propria prorsus ab iisdem remota, vt diligenter aliena notarent, sed in propriis conniuerent: ad quorum animaduersionem & obseruationẽ Damasippus coget, vt dicit, irrisores sui oculos conuertere. Sic diuinus vates Psal. 49. v. 21. inducit Deum cum impio & improbo sic loquentem: Ταῦτα ἐποίησας καὶ ἐσίγησα ὑπέλαβες ἀνομίαν, ὅτι ἔσομαι σοὶ ὅμοιος. ἐλέγξω σε καὶ παραστήσω κατὰ πρόσωπόν σου τὰς ἁμαρτίας σου. *hæc fecisti & silui. Ideo existimasti iniquè me tui similem fore: ergo contrà arguam te & proponam tibi antè oculos vitia tua.*

Stoice.] Valdè probo distinctionem post *damnum*, vt acrior sit facetia in sapientiam tanti comparatam & Prouerbio iactatam, ab Hesiodóque in operibus sumtam, πάθων δέ τε νήπιος ἔγνω. *stultus accepto malo sapit.* Præterea in *sic vendas* ellipsis est explenda: sic vendas omnia præcepta, quæ didicisti à Stertinio, vt tu emisti, eáque pluris, quàm emeris. Vbi aperta est irrisio. Pauci enim vel potiùs nulli reperiantur mercatores, qui tantidem velint emere morositatem, arrogantiam, seueritatem, aliorum contemtionem, reliquásque Stoicæ & rigidæ sapientiæ comites perturbationes, quanti ipse mercatus fuerat. Non est item improbanda lectio altera, quæ agnoscit, *si vendas*, pro, si Damasippus fortunis suis euersis ad medium Ianum adeptus est tantum Stoicæ sapientiæ, vt illam vendat cariùs, quàm alii, facilè poterit virtute tam probæ mercis perspicere, quo genere dementiæ Horatius laboret. Non est quoque improbanda lectio, *quam me* stultitiam insanire putas?

Agaue.] Scholiastes Pindari in ἐλ. β. Olymp. adscribit Agauen filiabus Cadmi quartam ad versum, ζώει μὲν ὀλυμπίοις, &c. *viuit (Semele) inter cælestes, &c.* quæ numerantur hoc ordine: Ἰνὼ, Σεμέλη, Αὐτονόη, Αγαυή. Hanc autẽ Eustathius ἐτυμολογεῖ παρὰ τὸ ἄγαν ἄυειν διὰ τὸν θαλασσίων ἦχον· *notat à valde clamando propter sonos maris.* Hæc dicitur 3. Metamorph. filia Cadmi & Hermiones & vxor Chionis Thebani, vnde procreatus est Pentheus, qui dilaceratus est à matre, materterisque Mænadibus Autonoe & Ino propter contemtionem Bacchanaliorum cæterorúmque sacrorum nefandorum, à quibus alios deterrebat: ideóque à Persio Sat. 1. vitulus superbus, & à Catullo diuersus iuuencus, ab aliis denique aper cognominatur: quarum belluarum specie fingitur poeticè interfectus: de quo Theocricus Idyl. duodecimo, & copiosè in Bacchis Eurip. & 3. lib. Apollodori.

Liceat concedi.] I. cedere veritati, quasi ab ea victus essem.

Bipedalis.] Poeta fortassè respicit parabolicẽs ad Nanum Augusti, cuius Sueton. meminit in ipsius vita ça. 43. nil sanè præterquàm adolescentem Itium: (sic enim legendum docui 29. Ode lib. 1. de familia Itia Rom.) honestè natum exhibuit, tantùm vt ostenderet, quod erat bipedali minor, librarum septemdecim ac vocis immensæ. Syntaxis autem verborum est, tu, ô Horati, quum sis staturâ duorum pedum, vis proceros imitari. Fuit enim reuera corpore pusillo. Vide prouerbium: *de bipedali modulo.*

Turbonis.] Verisimile est hunc Turbonem fuisse Pygmæum & homuncionem, qui se gloriabatur ridiculè valentissimum, maximéq; animosum. In, *qui ridiculus* exple, *es.*

Facit Mæc.] Hoc non solùm ad constructionem ædium, sed ad hortorum instructionem & ad reliqua illius dicta & facta, cultúmq; vitæ ac victum puto referendum, quæ omnia Horatius imitari stultè insanéque conabatur.

Verum est.] I. decet, par est, æquum est, sicut Græcè ἔστι ἀληθὲς, pro δὲ πρέπει, δὲ δίκαιον. Subiiciatur huic negatè: non te decet inferiorem & fortunis & honoribus certare magnificentiâ splendoréque cultus cum potentioribus. *Pullus* est communis notio cuiusuis fœtus animalium.

Denarrat.] Id est, diligenter, accuratè studioséque narrat. Hoc sumtum est ex Apologis Æsopi: refert, inquam, quomodo ingens taurus eliserit & oppresserit fratres, Gall. *les auoit escachè*, qui dicuntur hîc per acyrologiam quandam cognati, συγγενεῖς: eodem vtitur verbo Maro lib. 8. Æneid. in narratione laborum Herculeorum,

— *vt prima nouercæ*
Monstra manu geminosq; premens eliserit angues.

quod Seruius interpretatur, angues præuocauit. Plautus etiam dicit *oculum* elidere, pro excludere & effodere; Gall. *faire sortir hors*, sic elidere ignem è silice.

Illa rogare.] Mater ranunculorum cœpit percontari, quàm magnus esset ille taurus, cuius rei notitiam vt haberet, distendebat sese vastissimis flatibus: sed priùs se præ flatu dirupturam, quàm æquare magnitudine belluam intellexit.

Abludit imago.] I. non est dissimilis & absona tuis moribus. Gal. *ne se rapporte pas mal a tes facons de faire.* Idem quoq; Græcè, οὐ πολὺ ἀπέοικε σῇ ἄυσῃ ὁμοίωσις. Imago est ab imitando, vt huic respondens Græcum μίμημα μιμεῖσθαι, quod cum his geminatur, εἴδωλον, ἀπεικονίσματα, simulacra, Gal. *resamblances.* Definitur autem εἴδωλον, ὅτι ἐστὶν ὁμοίωμά τινος σώματος, i. *vt sit cuiusdam corporis similitudo.* παρὰ τὸ εἴδω, τὸ ὁμοιῶ, i. repræsento. Præterea *abludere* est verbum dissimilitudinis & differentiæ, vt *alludere* est similitudinis cuiusdam & conuenientiæ, vt apparet ex hoc Cic. loco sub finem 1. de Orat. vbi Antonius docet, eloquentiam non requirere scientiam iuris: quia Sergius Galba ignarus iuris de iure ipso meliùs respondit cuidam rustico, quam P. Crassus iuris peritissimus. Verba Ciceronis sunt: *Galba autem alludens variè & copiosè multas similitudines afferebat, multáque pro æquitate contra ius dicebat.*

Quæ si quis.] I. si quis vnquam Poeta sanæ mentis fuit, Horatius huiusmodi est. Quum hæc sententia simpliciter pronunciatur, facilè ex ea efficitur, nullum vnquam Poetam sanũ fuisse, adeò nec Horatium: quam si figuratè pronuncies, quæ si quis sanus facit & sanus facies tu? inconsequentia demonstratur: vt, si Homerus fuerit sanus Poeta, continuò talis futurus sit Horatius.

Cultum maiorem.] Repete à superiori *non dico*, aut propius verbum, iam desino exprobrare tibi cultum censu maiorem. Sic enim malo legere, quàm *iam desine*, sine parenthesi per similem syntaxin huic *desino artem & bellum*, pro missum facio. Ita locus non erit Horatio frustra bis imperandi, vt de vitiis ipsius silentium agat Damasippus.

Teneas Damasippe.] Hæc phrasis clariùs perciperetur, sic pronunciata: teneas tibi tua vitia, id est, habeas

habeas tibi, nec aliis affingas: ſic Sat. 4. dixit: *vitiis teneor mediocribus.* Hæc videntur ad arrogantiam Stoicam minuendam pertinere, quaſi diceret, inquire in tua vitia, lib. abundas, non in aliena, quæ turpe eſt vitioſum reprehendere, & idem audire, quod Sat. 3. lib. 1.

— denique te ipſum
Concute, num tibi quid vitiorum inſeuerit olim
Natura.

Quò etiam ſpectat illud Perſii Sat. 1. *ne te quæſiueris extra*, & 4. Sat. eiuſdem, *tecum habita.*

Mille puellarum.] Damaſippus reponit, non dico, nec obiicio, o Horati, mille tibi meretrices, totidem pueros concubinos.

Explicatio Rhetorica.

SAtyra eſt in dialogiſmo cuiuſdam Iunii Damaſippi cum Poeta, qui facto fortunarum ſuarum naufragio, contulerat ſe ad ſtudium Stoicæ Philoſophiæ, *qui vaut autant preſques à dire, qu'on dit en François, Apres auoir fait banqueroute, il ſe fit moine.* Atque ex huiuſmodi perſonæ inductione Horatius facetè irridet illam ſectam, ſpecie perfectæ ſapientiæ nimis inſolentem, ac reliquos homines ſtultos & inſanos exiſtimantem. Primæ autem partes ſermonis dantur huic nouo Stoico, τὸτῳ νέον ϛοιχίζοντι, qui primùm grauiter inſimulat Poetam deſidiæ, quòd tam diu nihil operis vacuus in ſummo otio rure confeciſſet: ſed quod vno die texuiſſet in altero poſteà, Penelopes more, retexeret: vnde à textoribus videtur hoc verbum translatum. Illa enim laudabili fallaciâ, vt eſt Odyſs. β. telam, quam interdiu texuerat, noctu retexebat, procos fallendi gratiâ: vnde intelligimus Poetam, quæcúnque ſtruxerat verba, poſteà deſtruxiſſe. Eodem tropo vtitur Cic. 2. Philip. *retexere orationem.* Eodem quoque Græci dum dicunt, τὸν ἱϛὸν ἀναλύειν καὶ τὰ γενόμενα, quæ iam facta ſunt reddere infecta. Simili tropo vtitur Pindarus πυθ. Δ ϛροφ. 3. vbi inducit Iaſonem ſic cum Pelia loquentem,

Ἀλλ' ἐμὲ χρὴ καί τε θεμιϛοπαμένυς
ὀργὰς, ὑφαίνειν λοιπὸν ὄλβον.
Sed decet te meq; ſemotâ irâ, vel
Iuſtè, diiudicatis moribus contexere (quaſi diſſolutam) *in poſterum felicitatem*, id eſt,

efficere poſthac nos beatos conciliatâ internos pace & concordiâ, quæ res diſſitas & animos abalienatos coniungit.

b Nihil me arbitror alienum ab interpretatione facturum, ſi hanc vocem explicauero per ſynecdochen generis, pro honeſta & celebri fama, præclarâque nominis prædicatione.

c Metaph. eſt ab animatis, quæ ſola affectib. ſolent commoueri, in quibus labor ponitur, ſicut è Tuſculanis facilè perſpicitur: ſed hîc intelligitur paries laborare paullò aliter, atq; dum ventrem & vitium facit, ruinámq; minatur. Valet igitur, *paries ceratus falsò accuſatur & culpatur.*

d Duplex eſt hîc alleg. vna è perpetuis metonymiis opificum pro operibus ipſorum, id eſt, libris ab his Poetis & Philoſophis conſcriptis.

Simili allegoriâ Michael Hoſpitalius Frâc. Canc. epiſt. l. 2. incepta, *ibis, amice, &c.* ad Sancelotum Carolum Epiſc. Rhegienſem, vſus eſt:

At tibi ne deſit librorum magna bonorum
Copia, neue domi, dulcis ſolatia vitæ,
Mæonidem, Flaccum, doctumue relinque Maronem,
Magna tibi veniet bello ſeu pace voluptas:
Magnum, crede mihi, capies ſolamen ab illis.

Cuius allegoriæ duo primi verſus fuerunt interpretes, & fructus per hanc propoſitus oſtenditur exemplis trium præſtantium virorum primo, Regis Macedonum, id eſt, Alexandri, vt iam dictum fuit Satyrâ, 1. lib. 1. ad ſectionem 23. Dialect. & dicetur epiſt. 2. lib. 1. in ſectione, prima ad finem: deinde Bruti, poſtremo Catonis Vticenſis.

Hoc tropi genus Plutar. in Iſide ſub fin. prudenter obſeruauit: εἶτα ὥσπερ ἡμεῖς τὸν ὠνούμενον βιβλία Πλάτωνος, ὠνεῖσθαί φαμεν Πλάτωνα, καὶ Μένανδρον τὸν ὑποκρίνεσθαι τὰ Μενάνδρου ποιήματα ὑποτιθέμενον ὅτως ἐκεῖνοι τὰ τῶν Θεῶν δῶρα καὶ ποιήματα καλεῖν ἠξιόουν. *&c. Deinde quemadmodum nos dicimus eum, qui vendit libros Platonis, vendere Platonem, & eum repræſentare Menandrum, qui Comœdias Menandri ſub aſpectus hominum ſubiicit: ſic illi nominibus Deorum pro donis & operibus ipſorum vti non perpercerunt:* vt ibidem priùs dixerat Bacchum, Cererem, Vulcanum, pro vino, frugibus & igne, &, vt annotatum eſt in his commentariis, ſub alio metonymiæ modo, Iupiter pro aere, Neptunus pro mari, & infinita huiuſmodi.

e Altera eſt allegoria è metaph. à comitatu principum, qui ſemper incedunt magnâ ſtipante ſatellitum cateruâ cincti. Eſt igitur ſtipare Platonem Menandro, hunc illi adiungere, tanquam comitem & ſtudii adminiſtrum.

f Metonymia eſt adiuncti, pro conaris invidentes tibi conciliare, & beneuolentiam illorum poſito virtutis ſtudio comparare.

g Satis eſt nota metaphora, quæ notat ſegnitiem eſſe eſcam irritamentúmq; vitiorum & perniciosum fomitem malorum.

h Exclamatio optantis vnà cum ironia: tantum enim abeſt à laudatione & approbatione conſilii, vt illud irrideat: quanquam promiſſam conſulentis Neoſophi barbam vellicet; de eo tamen gratias ipſi referre videtur, quum eidem viciſſim tonſuram barbæ, id eſt, ſanationem ſtultitiæ precatur.

i Non dubitabo hîc ſtatuere meton. ſubiecti pro negotiatione & mercatura facienda, imprudenter illic & infeliciter à Damaſippo facta.

k Videtur ſumtum à corporibus, quæ cum fragore rumpuntur. Quidam tamen malunt à naufragis littoribus ac ſcopulis, quibus illiſæ naues diſſringuntur. Sic loquitur Plautus in Sticho: *dum parasitus mihi fratriq; fuiſti, rem confregimus*, id eſt, conſumſimus & dilapidauimus bona noſtra. Ita ſæpiùs vſurpatur translatè, opes, dignitatem, imperium, diem & conſilia frangere. Cic. lib. 4. ad Att. Epiſt. 1. hoc verbum ἐπεξηγυπτιῶς cum aliis coniungit: *Res autem familiaris quemadmodum fracta, diſſipata, direpta ſit, non ignoras.*

l Meton. eſt materiæ pro præſtantiſſimo quóque vaſe ex ipſa facto: cuius antè emtione & venditione valdè oblectabatur.

m Synecdoche eſt finiti, pro, noueram pretium ſtatuere iuſtum cuilibet merci, & inſcribere quanti illa eſſet: & ex illa æſtimatione rem pulcrè facere meam.

n Meton. eſt ſubiecti, pro, alii mercatores propter hanc negotiandi peritiam de nomine Mercurii me cognominârunt.

o Alleg. eſt è continuis metaphoris ab ægrotatione corporis ad morbos animi indicandos: quam

instituit Poeta, & eam tribus versibus persequitur Damasippus.

p Nota est metaphora à certantibus vi brachiorum ad notandam phreneticí agitationem & inquietem.

q Apparatus perfectæ prosopopœiæ, vsque ad verba *Caue faxis*: quæ longo dialogismo ducta, tandem deponetur ad hunc versum: *Hæc mihi Stertinius.*

r Metonymia effecti pro efficiente modo quodam & indicante sapientiam gestantis. Eodem ferè modo Iuuenalis Sat. 10. dicit *grauem barbam*, & Epigramma iambicum Antipatri lib. 1. cap. 1. *σεμνὰν ὑπήναν.*

s Nota est metaph. pro alere & gestare promissam barbam.

t Synecdoche generis pro *in Tiberim.*

u Potest hoc propriè vel translatè sumi.

x Synecdochica periphrasis furoris, de quo sic Æschylus: *ἡ δὲ μωρία μάλιστ' ἀδελφὴ τῆς πονηρίας. stultitia est cum malitia coniuncta maximè.*

y Est hîc primùm synecdoche generis pro Stoa Stoicorum schola: deinde metonymia subiecti pro Stoicis omnibus Philosophis, qui docebant Athenis *ἐν στόᾳ, ἢ περὶ στόᾳ*: quod posterius significat totam porticum: prius verò tantum ipsius partem & latus.

z Sumtum est à pecoribus ad cœtum & societatem Stoicorum reliquorúmque hominum indicandam: quomodo vsurpatur à Terentio Eunu. Act. 5. Sc. 9. sub finem. *Vnum etiam hoc vos oro; vt me in vestrum gregem recipiatis.*

aa Anaphora est in principio incisorum.

bb Metaphora est à regula iudiciali Prætoria, quâ singulis sceleribus sua constituta erant supplicia more Romanorum, vt Seruius annotat in hunc versum 6. Æn.

— ne quære doceri,
Quam pœnam, aut qua forma viros fortunáue mersit.

Hinc, inquam, verbum translatum est ad præcepta institutáque Philosophorum.

cc Ex huius verbi etymo & notione in Grammaticis explicatis intelliges, vnde sit hæc translatio.

dd Anaphora est.

ee Altera prosopopœia multorum monitorum, sed breuiter comprehensa, vno quidem versu ad accessum, & altero ad ipsam inductionem, vbi est altera anaphora.

ff Meton. est subiecti pro persona Ilionæ & tanquam imagine alteri adiuncta & imposita.

gg Duplex synecd. est speciei pro infinitis acclamatoribus, quæ ex hac geminatione posset dici allegoria, qualis est hæc:

Qui Curios simulant & Bacchanalia viuunt:

pro quibuslibet temperatis & qualibet intemperantia.

hh Conceditur sanitas credentis pecuniam Damasippo, vt magis eum posteà desipere ostendat.

ii Quædam est hîc alleg. à captiuis, qui solent, ne è custodiis euadant, aheneis nodis, validisque vinculis constringi, & ex illa cautione scrupulosa dicitur fœnorator Cicuta Perillius nodosus: quòd suos debitores syngraphis & tabellis obligatoriis obstringat. Quidam suspicantur hoc epitheto aliquem arthriticum notari.

kk *Ex centum* & *mille* definitis cautionibus intelliguntur innumerabiles & infinitæ per synecdochen.

ll Alleg. est è continuis metaphoris à mutabili natura Protei ad notandam debitoris tergiuersationẽ, qui omnes nouit vias & strophas subdolè & astutè ludificandi suum creditorem & creditâ pecuniâ fraudandi.

mm In *iura* vel in *iu*, vtraque lectio manifestam habet è notis Grammaticis metonymiam adiuncti pro subiecto Prætorio & foro iudiciali.

nn Similis est tropus, quo significatur iudicium Cicutæ Perillii fœnoratoris multò vitiosius esse, id est, magis desipere, qui credat pecuniam Damasippo nunquam rescripturo ac reddituro.

oo Symploce est duplex similis soni repetitio initiò & clausulis vtriúsq; & incisi & membri.

pp Anaphora.

qq Metonymia est subiecti pro remediis omnibus, quæ Anticyra suppeditat phreneticis & insanis ad morbi sanationem: qualis tropus est in verbis Plutarchi suprà in Grammaticis: quem propriè reddidit interpres Gallic. *l'Hellebore qui croist en Anticire.* Nonnulli putant in *nescio an*, esse liptotem: quòd sic minus ipsis dici videatur, quàm intelligendum sit. Ego similiter existimo hac dubitatione grauiorem vim morbi notari, quàm assertione approbari, vt in Grammaticis explicatum est: figuram tamen non esse, nisi velint illi agnoscere hîc *τὴν ἀπορητικήν τινα ἐπανόρθωσιν.*

rr Si Poeta dixisset: *Quantum frumenti vel frugum profert vel edit Africa*, propriè loquutus fuisset: sed tropus magis refert Poeticam phrasin, quum ex metonymia subiecti soli significantur illius incolæ, qui inde percipiunt vberrimas fructuosissimásque segetes.

ss Rectè hîc statuitur synecdoche speciei pro genere, vt ex patruo intelligendus sit quilibet reprehensor, censor & acerrimus castigator.

tt Metaphora est à corpore ad animum, cuius dubiâ & formidolosâ opinione Staberius prouidit & præsensit in posterum se turpiter moriturum, si pauper interiret, quod vt deuitaret, iussit testamento heredes suos insculpere summam patrimonii in columna, quæ olim super busto & tumbo erigebatur, *καὶ τὸ ἐπίθημα* Græcè dicebatur: propterea quod nomen demortui, fortunæ, résque gestæ ab eo illic inscribebantur ad memoriam posterorum.

uu Metaph. est ab architectis, qui lapides lapidibus imponentes & congerentes domos construunt: ita homines auari solent aceruos auri & argenti cumulare aliis diuitiarum aceruis.

xx Meton. caussæ materialis pro nummis aureis inde cusis.

yy Hoc connexi enunciati antecedens per anaphoram suspenditur versibus nouem, priusquam consequens, *τὸ insanum paucis videatur*, ipsi reddatur.

zz Epanorthosis sententiæ figura, quâ dictum antecedens reuocatur, cuius valdè pœnituit doctorem Stoicum, vt sordes auari non admodum exprimentis, quasi diceret, parum est, quod dixi, mille cadis: ideóque loco illius significantius reponitur enunciatum.

**a* Metaphora est à corpore ad perturbationem animi, pro, plerique omnes eâdem habendi sitî cruciantur, eorúmque pectus feruet auaritiâ. Itaque sic affecti non existimant hunc auarum insanire.

*b Apostrophe est. Conuertitur enim sermo a Damasippo ad innominatum senem auarum.

*c De propria & immutata huius vocis notione dictum est in Gramm. & Rhetor. Satyræ proximè antecedentis.

*d Idem est tropus, quem notauimus in Rhet. Sat. 9. lib. 1. ad verba: *felicem cerebri*, pro esne apud te, esne mentis compos? vt hîc antè *tún' sanus?* qualis quoque fuit paullò antè in *putidius cerebrum*.

*e Procatalepsis est extenuandæ cædis.

*f Metonymia est materiæ pro gladio ex eo facto.

*g Sumtum est a lætitia victorum, de qua vide Plutarchum in vita Marcelli, vt iam monuimus in Gram. Odes 2. lib. 1.

*h Metaphora quoque est a liquoribus, qualis est illa ad Brutum, *timore quodam perculsa ciuitas tota ad te se cum coniugibus & liberis effundebat.*

*i Præparatio est ad breuem Medici & Lethargici prosopopœiam: vbi est dialogismus vtriusque.

*k Metonymia est subiecti pro triplici facultate hominis; animali, vitali & naturali: quę vt cibo & potione reficiunt & sustentantur: sic inediâ necantur: quod in Grammaticis dictum est aliis verbis.

*l Allegoria est ab architectis, qui ædes ruinam minantes & mox lapsuras suffulciunt adminiculis.

*m Exclamatio est auari lethargici dolentis, simúlque indignantis Medico de sumtu valetudinis curandæ suggerendo.

*n *Quid, quis, qui*, variè cadentia faciunt polyptoton: simulque deponitur prosopopœia Medici & lethargici, & transitus fit ad aliud insaniæ genus: quod sermone Damasippi & Stertinij explicatur.

*o Arbitror hoc synecdochicōs intelligendum, pro peritissimo quoque viro perspiciendi habitus humani.

*p Varie transfertur hoc epithetum a gladiis ad omnes ferè sensus, & ad celeritatem & vehementiam quamlibet indicandam.

*q In verbis *immolet* & *nauiget* permissio est, quā equidem potiùs agnosco quàm τλὺ ἐρώτησιν παθητικήν.

*r Similis est tropus, atque paulò antè notatus fuit, pro, quærat remedia ad insaniæ suæ curationem.

*s Accessus est ad aliam prosopopœiam patris integra mente, qui moriens præscribit binis liberis grauissimum sanctissimumq; consilium: quo quidem illi nixi poterunt facilè bene beateque viuere: vbi versus 19. consumuntur, & inde ad ambitiosos descendit.

*t *Te talos, te Tiberi.* Epanaphora est initiò membrorum, & simul in *tu, te, tu* polyptoton.

*u Metaphora est a corpore ad animum, quia vt corpori sensus pruritu quodam iucundè concitantur: sic animi gloriæ cupiditate blandè commouentur. Sic Græci τὰ γαργαλίζειν καὶ ὑποκνίζειν vsurpant: τοῦτο γαργαλίζει τὸν ἄνθρωπον, καὶ δόξης τινὸς ἢ δυνάμεως ᾑδονῇ ὑποκνιζόμενος. id est, *hæc hominem titillant, & gloriæ cuiusdam & potentiæ cupiditate titillatus & concitatus.* Illud autem Ciceronis in Catone maiore, *at non est voluptatum tanta, quasi titillatio in senibus*, Gaza interpretatus est Græcè, ἀλλ' οὐκ ἔστιν ἡδονῶν τοσοῦτος οἷον γάργαλος οὐ τοῖς γέρασιν.

*x Translatum est e more Gallorum, vt scribit Servius in hunc vers. Aeneid. 3. *Auri sacra fames.* quem tu consules. Posset etiam dici sumtum ex anathematis furtiuis, quæ qui abstulit, reus sacrilegii & sceleratus habetur.

*y Synecdoche est speciei pro largitione ad voluntates populi redimendas.

*z Metonymia est subiecti, quod quidem est in recto *tu* intellecto ante *stes*, pro adiuncta statua, quæ tali largitori ærea solet erigi, & in *nudus* est anaphora.

a* Alia est prosopopœia cuiusdam Plebeij & Agamemnonis sine apparatu per dialogismum: vbi notantur ambitiosi, atq; initiò Aiax & Atrida per synecdochen generum pro Aiace Telamonio & Agamemnone nominantur. Est hîc Epanorthosis, quâ vox illa tyrannica, *Rex sum*, illis temporibus, sic volo, sic iubeo stat pro ratione omni voluntas, corrigitur, atque pro illa reponitur moderatior, data cuiuis veniâ liberè dicendi, quid aliter de iussione regis sentiret.

b* Exclamatio est Plebeij optantis & bene precantis Agamemnoni pro potestate liberè percontandi, cur Aiacis cadauer esset ἀνοίκτιστον insepultum, sibi facta vnde Plebeius putârat se repulsum initiò arroganti responsione, *Rex sum*: ideoque finem quærendi fecerat.

c* Polyptoton est.

d* Synecdoche generis pro Iphigenia mactata.

e* Metonymia est materiæ pro gladio & ense inde facto.

f* In *vxore* & *nato* duplex est synecdoche generis pro Tecmessa & Eyrisace.

g* Alia est synecdoche, sed partis pro immolatione integræ filiæ.

h* Sumtum est a corpore præhumido vel flatulento ad animum effectibus occupatum. Deinde cor metonymicōs subiecti pro adiuncto illic animo & perturbationibus agitato. Similis tropus erit Epist. 1. lib. 1. *Laudis amore tumes?* Posset etiam hoc sumi ab vtribus, qui inflati, valdè turgent, & quum nihil præter aerem intus insit, aliquid tamen magni momenti clausum videntur continere. Tale quid sibi præ se ferunt, qui magnos sibi spiritus sumunt ex titulis inanibus, stulta de se ipsis opinione, falsaque, nescio cuius, virtutis persuasione inescati. Quum autem diligentiùs expendo verba, *tumidum est cor?* agnosco ea interpretari versum Aesch. in Trag. Prometh. ἐάν τις οὐ παιρῷγε μαλθάσσῃ πέαρ ἢ μὴ σφριγῶντα θυμὸν ἰσχναίνῃ βίᾳ. id est, *si quis cor tempestiuè emolliat nec vi turgentem animum extenuet emactando.* Habes hos versus Tuscul. 3. factos a Cicerone Latinos. Comperio autem verbum σφριγάω Græcum, dici de tumore & distentione mammarū ex abundantia lactis, vnde dicūtur ὄθματα σφριγῶντα. i. *vbera turgentia.* Itaque tropus inde sumtus videri potest.

i* Επανόδος, est, & in *appellet* & *destinet* est epistrophe.

k* Metaphora est a fragili materia ad inconstantiam leuitatemque popularis auræ & fortunæ indicandam.

l* Alia est metaphora a tonitru, quo tacti homines sæpiùs animo stare non possunt: qualis ambitio facit sui cupidos, id est, insanos.

m* Metonymia est adiuncti pro luxuriosis, quos Stertinius Damasippo vult arguere insaniæ, & graiter exagitare. Sed obserua per hunc tropū generi speciem subijci, velut in exemplum, vt sit sententia: *Arripe luxuriosos ac inprimis Nomentanum.*

n* Sæpè notata est hæc synecdoche speciei pro quibuslibet luxuriosis & decoctoribus, vt Epodis primis: sed cur ex hac specie homines nequam & dissoluti vocentur nepotes, non satis apertè illic explicatū fuit. Itaq; dicam pueros euadere tales, vbi pater ipsorum e vita excessit, atq; ijdem in tutelam aui venerunt. Tum enim auus siue mollio patre ipsis indulgeat, siue duriō eosdem ac seuerius tractet, metu paterno solutos, facilè ppter infirmitatem virium ætatisq; imbecillitatem ab illis contemnitur ac despicitur.

o* Similis est tropus pro luculento & magno patrimonio, vel pro offertissima hereditate, vt Plautus loquitur.

p* Synecdochica est periphrasis hominum perditorum, qui sunt in Grammaticis nominatim expressi.

q* Anaphora est: qualis est sexto deinceps versu in *tibi*.

r* Metonymia est adiunctorum pro hominibus, vbi quæritur, qui boni, quique mali censendi sint: nam ex Pythagora color candidus ad naturam boni, vt ater ad naturam mali pertinet: valet igitur tropus, approbandine, an damnandi? de quo fuit Ode 36. lib. 1.

s* Synecdoche alia est speciei, pro ex homine nequam, improbo & intemperante, fiésne bonus & modestus?

t* Metaphora est a lanificis vel florilegis, vt alibi notatum est.

u* Synecdoche est generis pro Xenocrate Philosopho: qualis fuit Ode sextâ libri tertij in *nauis magister*.

x* Apostrophe est ad puerum, & vnà metaphora a catulis canum, vnde Catellus ὑποποιητικῶς dicitur appositè ad pueros blanditijs capiendos.

y* Prosopopœia est amatoris ἡ ἀποφάσεις secum deliberantis, sicut in *o here*, altera est serui prosopopœia hero consilium dantis: sicut in *seruus* est synecdoche generis pro Parmenone, qualis in *here* pro Phædria, ex qua vtrâque constituitur allegoria.

z* Metonymia est effecti pro efficiente homines cæcos & incertos: quò pertinet vox *fluitantia*, translata à dubijs fluctibus. Ita Lælius enucleat in dialogo de amicitia τὸ *cæca, non enim solum ipsa fortuna cæca est, sed eos etiam plerumq; efficit cæcos, quos complexa est, &c.*

†a Similis est tropus ei, qui fuit Ode 5. lib. 3. *Sic pugnat extricata densis cerua plagis.* Sensus ergo est: *nihilo plus se exsoluat, extricet ac liberet curis ac molestijs amoris,* quàm si velit amare, simul & sapere. Simili sentẽtia & tropo vtitur Cicero Philip. 2. Duas tamen res magnas præsertim non modò agere vno tempore, sed ne cogitando quidem explicare quisquam potest.

†b Synecdoche est integri, pro, *esne sana mentis & incolumi capite?* quod Galli exprimunt: *Es tu tous iours en ceruelle.*

†c In his, *adde cruorem stultitiæ*, & *ignem scrutare gladio*, allegoria est e metaphoris a bello, vbi ferè malo leui solet accedere graue, vt cædes stupro & rapto: ita vesano amoris incendio homicidium sæpè additur.

†d Metaphora est a sacerdotibus Cereris, quos Dea solebat dementiâ depravare.

†e Procatalepsis est vulgaris iudicij: vbi intelligenda est anthypophora.

†f Breuis est prosopopœia Stoici sobrij.

†g Synecdoche generis pro superstitiosis: sicut in *gente Meneni*: sed speciei pro genere stultorum.

†h Alia est prosopopœia matris filium Ioui commendantis.

†i Periphrasis est synecdochica pro X. Calendar. Ianuar.

†k Depositio est prosopopœiæ Stertinianæ, quæ perfecta fuit.

†l Nota est metaphora pro documentis & consilijs, quibus Damasippus nixus, facilè propulsabit obiectũ sibi insaniæ cognomen.

†m Iam Poeta compellat ironicâ allegoriâ Damasippum per synecdochen generis sumtâ a vulgaribus mercibus, ad doctrinæ Stoicæ contemtionem.

†n Alia est allegoria a perpetuis metaphoris a corpore ad animum, vel ab imperito architecto, qui extra modum sumptu & magnificentiâ prodire videtur in ædificando, vel curam abijcere angustiæ vel laxitatis maioris, quàm par sit: quod certè Poetam posse imitari nec rei tenuitas, nec personæ dignitas terunt. Itaque hoc referendum est ad hominum arrogantiam, magnosque spiritus arguendos, qui tenues potentiorum mores nõ sine dedecore & insaniæ nota conantur imitari. Hanc autem troporum continuationem videntur Turbonis fastus, ac ranæ matris inflatio indicare.

†o In *bellua* est synecdoche generis pro tauro, vt in *cognatos* pro ranunculis e matre rana natis.

†p Alia est allegoria e metaphoris, quòd quum aliquis studet oleo restinguere incendium, magis auget: ita fit insania Horatij maior, quum ad stultam potentiorum æmulationem accedit Poeticus furor.

†q Parecbasis vel παρέκβασις est ironica, quâ fingit se præterire silentio velle, quod exprobrat maximè, dũ illum notat extra modũ cultui & victui indulgere: vnde datur magna significatio non adesse constantiam.

†r Epanodos est, vbi eiusdem vocis sonus initiò ac medio auditur, atque ibidem ironica præteritio iteratur: non dico fœditatem tuæ libidinis, quam tamen patefacit maximè.

†s Periphrasis est synecdochica intemperantium amorum.

†t Exclamatio est Poetæ non ferentis diutiùs polypragmonicam Damasippi inquisitionem, quâ illius mores diligentiùs excutiebat, penitiusque, quàm oportasset, perscrutabatur.

SATYRA QVARTA.

Poeta inducit quendam Catium Epicureum insignem voluptariæ vitæ artificem secum περὶ τῆς ὀψοποιητικῆς, de arte popinali disputantem, cuius laudem affectaret ipsius secta.

VNde, & quò Catius? Non est mihi tempus, aucti
Ponere b *signa nouis præceptis: qualia vincant*
c *Pythagoran, Anytiq; reum, doctumq; Platona.*
2. Peccatum fateor, quum te sic tempore d *læuo*
Interpellârim: sed des veniam bonus, oro.
Quòd si interciderit tibi nunc aliquid, repetes mox,
Siue est naturæ hoc, siue artis, e *mirus vtrôq;.*
Quin id erat curæ, quo pacto cuncta tenerem:
Vtpote res f *tenues tenui sermone peractas.*
3. Ede hominis nomẽ: simul an Romanus, an hospes.
ipsa memor præcepta canam: celabitur g *auctor.*
4. Longa quibus h *facies ouis erit: illa memento,*
Vt succi melioris, & vt magis alba rotundis
Ponere: namq; marem cohibent callosa vitellam.
5. Caule Suburbano, qui siccis creuit in agris,
Dulcior. Irriguo nihil est elutius horto.
6. Si vespertinus subitò te oppresserit hospes,
Ne gallina malum i *responset dura palato,*

Doctus

Doctus eris viuam misto mersare Falerno.
Hoc teneram faciet.7.Pratensibus optima fungis
Natura est: alijs malè creditur.8.Ille salubres
Aestates peraget, qui nigris prandia moris
Finiet, ante grauem quæ legerit arbore k solem.
9.Ausidius forti miscebat mella Falerno,
l *Mendosè: quoniam vacuis committere venis*
Nil, nisi lene, decet: leni præcordia mulso
Prolueris meliùs. Si dura morabitur aluus;
10.Mitulus, & viles pellent obstantia conchæ:
Et lapathi breuis herba, sed albo non sine Coo.
Lubrica nascentes implent conchylia lunæ.
11.Sed non omne mare est generosæ fertile testæ.
Murice Boiano melior Lucrina Peloris:
Ostrea Circæis, Miseno oriuntur Echini:
Pectinibus patulis, iactat se molle Tarentum.
12.Nec sibi cænarum quiuis temerè arroget m *artem*
Non priùs exactâ tenui ratione saporum.
Nec satis est carâ pisces n *auerrere* o *mensâ,*
Ignarum quibus est ius aptius, & quibus aßis
Languidus in cubitum iam se conuiua reponet.
13.Vmber & ilignâ nutritus glande rotundas
Curuet aper lances carnem vitantis inertem.
Nam Laurens malus est, vluis & arundine pinguis.
14.Vinea summittit capreas non semper edules.
15.Fœcundi leporis sapiens sectabitur armos.
16.Piscibus atq; auibus quæ natura & foret ætas,
Ante meum nulli patuit quæsita palatum.
17.Sunt, quorum ingenium noua tantùm p *crustula promit.*
Nequaquam satis in re vna consumere curam:
Vt si quis solùm hoc, maláne sint vina, laboret:
Quali perfundat pisces securus oliuo;
18.Maßica si cælo sapponas vina sereno;
Nocturnâ, si quid craßi est, tenuabitur aurâ:
Et decedet odor neruis inimicus: at illa
Integrum perdunt q *lino vitiata saporem.*
19.Surrentina vafer qui miscet fæce Falerna
Vina, columbino linum bene colligit ouo:
Quatinus ima petit, voluens aliena vitellus.
20.Tostis marcentem squillis r *recreabis, & Afrâ*
Potorem cochleâ. Nam lactuca innatat acri
Post vinum stomacho: pernâ magis ac magis hillis
Flagitat in morsus resici: 21.qui in omnia malit,
Quæcunq; immundis feruent allata popinis.
22.Est operæpretium duplicis pernoscere iuris
Naturam: simplex e dulci constat oliuo:
10 *Quod pingui miscere mero, muriâq; decebit,*
Non alia, quàm quâ Byzantia putruit orca.
Hoc vbi confusum sectis inferbuit herbis,
Corycioq; croco sparsum stetit; insuper addes,
Pressa Venafrenæ quod bacca remittit oliuæ
23.Picenis cedunt pomis Tyburtia succo.
Nam facie t *præstant. 24.Vennuculæ conuenit ollis*
Rectiùs Albanum fumo duraueris vuam.
25.Hanc ego cum malis, ego fœcem primus & alec
20 *Primus & inuentar piper album cum sale nigro*
Incretum puris circum posuisse catillis.
26.Immane est vitium, dare millia terna macello,
Angustoq; vagos pisces vrgere catino.
27.Magna mouent animo fastidia, seu puer vnctis
Tractauit calicem manibus, dum u *furta ligurrit,*
Siue grauis veteri cratera limus adhæsit.
28.Vilibus in scopis, in mappis, in scobe, quantus
Consistit sumtus? neglectis flagitium ingens.
30 *Tén* x *lapides varios lutulentâ r[illegible]dere* y *palmâ,*
Et Tyrias dare circum illota toralia vestes,
Oblitum: 29.quantò curam sumtumq; minorem
Hæc habeant, tantò reprendi iustiùs illis,
Quæ, nisi diuitibus, nequeunt consistere mensis.
30.z Docte Cati, per amicitiam Diuosq; rogatus,
Ducere me auditum, perges quocunq; memento.
*a *Nam quæuis referas memori mihi pectore cuncta;*
40 *Non tamen interpres tantundem iuueris: adde*
Vultum habitumq; hominis, quem tu vidisse beatus
Non magni *b *pendis: quia contigit: at mihi cura*
Non mediocris inest, 31. *c *fontes vt adire remotos,*
Atq; haurire queam vitæ præcepta beatæ.

Analysis Dialectica.

VT superiori Satyrâ Stoicos irrisit Poeta, qui se medicos solertes animorum & perturbationũ profiterentur: ita hîc ἐπιτιμωθαγικῶς, non minùs facetè & ridiculè Epicureos, ipsorumque ambitionem & sordes notat, nomine cuiusdam M. Catij Epicurei, qui se mirificè versatum ἐν τῇ μαγειρικῇ διδασκαλίᾳ, in arte culinaria prædicaret, ἀλαζονικὸν γάρ ἐστι παν τὸ τῶν μαγείρων φῦλον· est enim coquorum genus arrogans, plura promittens, quàm possit præstare, vt Hegesander dicit apud Athenæum lib.7.cap.14. quod dum alijs probare studet in cibis vilibus parandis, congruenter suæ sectæ facit: quæ hoc axiomate se tueatur, ὁ τῆς φύσεως πλοῦτος ἀόριστός ἐστι, diuitiæ naturæ sunt definitæ, facilesq; paratu. Idem paulò generaliùs enunciatur, τὸ μὲν φυσικὸν παν εὐπόριστόν ἐστι, τόδε δὲ οἰκονομικὸν ἀνεπόριστον. quicquid natura requirit, parabile est, & ad manum: quod autem inanis cupiditas sectatur, difficile est paratu de quo vide Epist.2.lib.1. ad hæc verba certum voto pete finem. Genera autem opsoniorum, quæ hîc memorantur ad triginta, possunt quidem tribui aut in carnes & pisces, aut in herbas & fructus arborum, nullo tamen ordine hîc rectè seruato, quo magis appareant ineptiæ huius coqui. Fingit autem Poeta, ex improuiso se in hunc Epicureum incidisse, a quo percontatur rationem profectionis, festinatiq; reditus, ad quam ipsi reddendam nihil sibi esse otij respondet in acerrima & attentissima cogitatione versanti. Narrat ei tamen, nescio quâ iactantiâ & fastu, se vehementer expetere noua quædam & inaudita artis culinariæ præcepta scripto mandare: quæ tanti facit ex minorum collatione: vt Pythagoræ, Socratis & Platonis documenta longè ipsis cedere videantur, argumento sanè huic sectæ valdè accommodato, quæ in voluptate censeat summum hominis bonum esse positum. Hæc autem doctrina videtur sumpta e cæna Nasidieni, quam Fundanius Satyr.8. huius libri describit.

2. Ex ea responsione cognoscit Poeta cursum Catianæ cogitationis importunitate suæ interpellationis fuisse impeditum, ideoque illius peccati veniam petit, arq; illud eleuare facetè ridiculeq; videtur commendatione præstantis naturæ & artis: in qua quidem vtraque docet illum mirificè excellere: eamque ob rem perfacilè futurum, vt si quid fortè exciderit

ex animo, in memoriam reuocaturus sit. Hoc autem enunciatur collatione parium, tanquam diceretur: *Quum bonitate ingenij non minùs sis præditus, quàm artis subsidio instructus, non tibi futura est difficilis auditorum recordatio*: quam certè laudem Catius agnoscit, in eandemque repetitionem se incumbere fatetur.

3. Proponitur quæstio de nomine & patria doctoris: à quo acceperat illa culinaria præcepta, sed respondetur e diuersis, *memoriter illa quidem recitatum iri, nomine tamen auctoris suppresso.*

4. Initium repetitionis ducitur *a natura oui*, quæ primùm declaratur e forma, deinde minoribus, postremò efficientibus, *quòd oua mensæ apponenda sint, quæ sint oblongâ figurâ: quia bonitate succi præstant rotunda, & ex sese mares excludunt.*

5. II. opsonium est *brassica*, quæ ex subiecto probatur, *quum in solo sicco nata sit*: deinde minoribus, *quia ei postponitur hortensis & suburbana, vt quæ nimis irrigata & eluta nihil penè naturalis soli retineat.*

6. III. opsonium est *gallina*, cuius apparatus fit e forma coctionis & fine: *vt igitur eius carnes teneriores sint insperato hospiti tuo, faciliusq; mandantur, vino aquâ diluto maceranda sunt viuæ.*

7. IV. est *fungorum*, qui ex aduersis subiectis declarantur: *quòd ex prato sumti sint optimi, aliunde verò allati malè tutum est vesci.*

8. V. est *mororum* ex effectis, *quòd illa manè decerpta, & antè cœnæ apposita salubritatem corporibus æstate afferant.*

9. VI. est *mulsi*, quod e distributione triplici materiæ declaratur, prima ex *melle* & *vino austero* reprehenditur ex effectis: *quòd ieiunas venas obstruat, aluum sistat: potus verò mulsi ex melle & leni vino salubrius fit, præsertim sumtus ieiuno stomacho: sed quod tenuibus paratur ex aqua pura & melle temperatum*, quod Græci μελίκρατον vocant, *non improbatur.*

10. Sequentia quatuor opsonia describuntur ex efficientia *mollienda & soluenda alui, vino præsertim Coo condita.* Sed loco primi poema Q. Sereni Samonici medicinale habet in præcepto de ventre molliendo:

Quodq; satis meliùs verbis dicemus Horatî,
Mugilus, & viles pellent obstantia concha.

11. Distinctio est *testaceorum* e subiectis comparatè tractatis, *vt murex Lucrinus anteponitur Baiano: ostrea item Lucrina præferuntur ijs, quæ capiuntur in Circeo mari*: deinde *echini in Miseno: pectines in Tarentino præstant etiam alijs.*

12. Noster Catius, vt præcepta culinariæ iam tradita & sequentia magni & acuti ingenij esse ostentaret, instructorem conuiuij describit *experitiâ internoscendi* primùm *genera saporum alia ab alijs*: deinde *languentem conuiua appetentiam iucundo cibi apparatu, naturaq; ipsius conuenienre excitandi.*

13. Memorat deinceps aliquot ferinæ genera e subiectis & aduersis: ac primùm *sylueſtrem aprugnam, qualis capitur in Vmbria optima est: palustris, qualis est in agro Laurenti, mala.* Quàm autem rectè, viderint Itali Physici.

14. Præceptum de *capreis* diuersè enunciatur, si hoc modo perficias: *Illæ bestiæ, quamdiu pampini vigent in vineta, & illis vescuntur, vtiles quidem sunt ad esum: sed alio tempore minimè sunt tales.* Idem Galenus in 4. de victus rat. in morbis acut. comment. & 3. de aliment. facult. quod est admiratione magis dignum, scribit auctumni tempore carnes vulpium, quam diu vuis vescuntur, gratissimas esse, & ob id a venatoribus Græcis tum esitari solitas.

15. Hic delectus *leporina* non placet hodie subtilibus palatis, sed lumbus leporis, quem nos Galli *rable* vocamus, in pretio est.

16. Vide quantum sibi hic gloriosus coquus sumat spiritus ex hac culinaria: *dum se primum deligendi delicatos cibos auctorem & apparandi artificem iactat: vt reliquis superioris ætatis Catillonibus, liguritoribus, popinonibus palatum præ suo planè obstupuerit.* Constat hoc enunciatum e genere efficientium, vbi tamen quædam latet vis collationis.

17. Exemplo singulari Catius reprehendit quosdam opsonatores: quod enthymematicōs & contractè sic potest iudicari: *Nullus condiendi cibos peritus in vno illorum genere solùm versatur, vt qui novit tantùm pisces bono vino & oleo perfundere.*

18. Aliud traditur præceptum *de ratione crassum & asperum vinum extenuandi* ex aduersis: *qui sub dio noctes & dies aliquot vinum crassum & neruis infectum relinquit; illud extenuat & corpori reddit salubre: qui contrà illud per linteum exprimit & transfundit, vel alio modo; illius vires frangit ac debilitat.* Quàm autem rectè hic conuiuij exstructor, sublatâ & abrogatâ lege τὸ σπουδάζειν οἶνον, quâ veteres vtebantur, suam sanciat, οἰνοφλυγοῦσι δὲ οἰνόπληθες πόσιν.

19. Aliud est præceptum, *quo præscribitur ratio medicandi vino turbido ac debili* ex efficientibus. *Id autem fiet, si commiscueris facem vini austeri & robusti cum Surrentino vino tenui: deinde si vitellum oui columbini infuderis & baccillo diligenter agitaueris. Vis enim illius vitelli detrudet, quicquid est fæculentum in fundum dolij, atq; ita vinum & liquidius & melius fiet tali commixtione.* Apertè Poeta superbiam huius coqui illudit, quum experientiâ quotidianâ œnopolarum comperiatur, id fieri ex aliquot albuminibus ouorum in dolium iniectis, virgâque confusis & agitatis.

20. De roborando potoris stomacho & cibos fastidiente iam suprà institutū hæc ad verba, *& quibus assis*, &c. sed nunc resumtum enunciare προκαταλαμβανῶς videt ex aduersis: *stomacho nimiâ potione & crapulâ grauato: orexis edendi & bibendi facilè de integro excitatur squillis & cochleis Africanis, pernâ, intestinisq; assis & fartis* quæ potius sunt φάρμακα ἀπράκτα, *crapulam, ebrietatēq; arcentia, quàm alimenta. Contrà lactucis idem stomachus obtunditur & debilitatur: quia hæ post immodicam vini potionem & dapes ventriculo innatant, nec subsistere possunt ad concoctionis facilitatem*: vnde cruditas, mille morborum mater, existit.

21. Approbatio est præcepti e maiorum collatione: *quòd stomachus sic languens & nauseans ad cibos magis recreetur malis immundè paratis, quàm bonis & lautè instructis.*

22. Redit ad *conditionem iuris*, quam attigerat etiam antè ad hunc locum, *quibus est ius aptius, &c.* & nunc explicat distributione è causis: *quòd vnum sit simplex ex oleo solo: alterum compositum ex vino, myrrhâ, herbis, croco & oleo Venafreno.*

23. Hoc genus edulij, quod alieno loco instituitur ad irritandam gulam, non ad ornatum mensæ secundæ, declaratur primùm alternâ cōparatione imparium: *quòd poma Tyburtia bonitate saporis cedant Picenis: atq; hæc vicissim ab illis conformatione &*, tanquam diceres, pulcrâ facturâ *superentur.*

24. Discrimen *racemi Venusini & Albani* eodem comparationis genere pronunciatur, quo poma antè: *vua*, inquit, *Venusina meliùs conseruatur in ollis testaceis condita. Vua autem Albana meliùs appenditur in tigillis ædium, & fumo induratur: ita diutiùs vua passa permanet.*

25. Κονδυλοφίαν nostri coqui arguitur maximè hac insolenti prædicatione: *quum ille sibi attribuit inuentionem condiendi Albanam vuam cum alijs Picenis, & face, piperq; album purgatum per incerniculum cum nigro sale.* Deinde quoque arrogat *inuentionem apponendi singulis conuiuis*

tale

tale conditum: hoc autem est depromptum e topico efficientium per se.

26. Commendatio est superioris inuenti & conditionis e disparatis: *quòd tantus sumtus sit valdè inutilis, appositioq; maiorum ferculorum in angustis catinis inepta, quum paruo languens appetentia excitari, & tales missus vasis decentibus circumponi possent.* Et certè hoc præceptum frugalitatis est vtilissimum longeque verissimum, licet ad ostentationem superioris inuēti videatur comparatum.

27. Postremum est præceptum *de immunditia fœtoréque supellectilis accuratè vitando, quibus afferuntur magna stomachis conuiuarum fastidia*: sed quæ caussâ remotâ facilè cauebuntur, *si minister manibus vnctis ac immundis calices, vel lutulenta vasa ijsdem lautis non tractet.*

28. Facilitas seruandæ munditiei in triclinio & supellectile demonstratur adiunctâ sumtus dignitate, & ex eodem loco etiam turpitudo declaratur, *si solum triclinij vario marmore distinctum lutulentis scopis verrituri si purpureæ quoq; vestes inuolucris tororum illotis imponuntur.*

29. Talis negligentiæ reprehensio enunciatur comparatè, *quod hæc sit tantò iustior, quantò cura horum & sumtus minor videatur.* Confirmatur autem æquitas reprehensionis e dissentaneis, *quòd hæc non possit cadere in tenues, sed in diuites, qui summâ curâ maximoq; sumtu sibi parant omnia.*

30. Ad extremum Poeta rogat Catium facetosâ vrbanitate, *vt se deducat ad ipsius magistrum, qui fuit*, vt quidam suspicantur, *Nasidienus*: cuius postulati ratio prior est e diuersis: *Licet mihi memores fideliter, quæ tu acceperis a tuo magistro; ego tamen non multùm proficio istâ commemoratione.* Altera est ex adiuncta *viuæ vocis virtute actionisq; dignitate, quæ negligitur iam spectata, sed magni fit ac desideratur nondum conspecta.* Id ferè est ingenium hominum, vt præsentia parui pendant, absentia summè desiderent.

31. Idem postulatum postremò declaratur ex fine, *quòd tantopere cupiat audire talem magistrum, vt ex eo diuina benè viuendi præcepta haurire possit.*

Enarratio Grammatica.

Vnde & quò.] Vsitata est occurrentibus huiusmodi percontatio, sed tamen in principio Protagoræ aditus quæritur prior, deinde reditus: ὦ φίλε Φαῖδρε, ποῖ δὴ καὶ πόθεν; *ô amice Phædre, quò tandem & vnde?* nempe tendis & venis, vel inuersè ad interrogationem nostri Poetæ, vndè Catius venit, & quò se hinc agit? Horum verborum ellipsis arguit vtriusque festinationem & rogantis & rogati, vt ex altera ellipsi perspicitur, tibi respondendi non est mihi tempus, nec vacat audire te, nedum tibi respondere.

Catius.] Huius Catij Insubris Epicurei fit mentio lib. 15. ad Fam. Catium. Ab hoc etiam Catio Insubre, vel more Græcanico, Insubro (Græcè enim Straboni dicuntur Ἰνσοῦβροι) Virgilius creditur habuisse gustum doctrinæ Epicureæ, sicut a Scirone Mediolani: quod solum fuit natale illi Catio Insubri.

Auenti ponere.] Οὗτος δὲ Κάτιος ἤδη πολλάκις συνεδείξατο πολλὴν ἐπιστήμην τῶν πεμμάτων, ἐμπειρίαν καὶ ὀψοποιικὴν πρὸς τὴν σώματος σύνεξιν, ideoque dicitur libros quatuor scripsisse de rebus Physicis, atque de summo bono. Itaque *auenti ponere* valet, qui aueo & cupio mandare scripto & literis consignare nouam doctrinam & artem præceptis institutisque Pythagoræ, Socratis, & Platonis longè antecellentem. Verùm de Pythagora Samio lege lib. 8. Diogenis Laertij & de Socrate lib. eiusdem 2. & Apologiam Xenophontis contra ipsius accusatores Anytum & Melitum. Postremò de Platone eiusdem Diogenis l. 3. vel potiùs opera ipsius, & Seruium in Aeneid. 6. vers.

Musæum ante omnes: medium nam plurima turba
Hunc habet, atq; humeris exstantem suspicit alto.

Hic annotat interpres, Platonem ab humerorum latitudine dictum. Athleta enim fuit, qui post omnium victoriam se Philosophiæ dedit.

Tempore lauo.] Læuum tempus dicitur intempestiuum, inopportunum & incommodum.

Des veniam bonis.] Est antimeria, pro benignè ignoscas, vel pro tua bonitate & facilitate.

Si intercideritis.] Pro hoc Cicero dicit, si quid tibi exciderit 2. de leg. vt alij, excidit mihi nomen illius, vel beneficium, & Virgilius labi ex pectore, pro obliuisci. Notandum hic est præterea, *nunc* de præterito dici, pro *modò*, vt *mox* de futuro.

Siue hoc.] Quidam putant pronomine *hoc*, recordationem præceptæ doctrinę demonstrari, & memoriam illius, siue naturalem, siue artificialem significari: alij verò scientiam rerum naturalium vel popinalis artis præceptionem indicari.

Mirus vtrò ij.] Hic ablatiuus est caussæ, pro, non solùm mihi propter excellentem tuam naturam, sed etiam propter peritiam rerum videris mirabilis.

Quin id.] Hæc particula, *quin*, ferè habet in affirmatione sibi annexa, *pol & hercle* apud Plautum: *hercle, quin tu recte dicis*, item, *pol, quin certa res est.*

Erat curæ.] Nempe mihi Catio. Hoc autem Græci efferunt τοῦτο μοι ἐπιμελὲς ἦν, ἢ ἐποιούμην ἐπιμέλειαν τούτου, *curabam, hoc agebam, vel in hoc ipsum certe curâ & cogitatione totus incumbebā*, quomodo præcepta retinerem animo omnia subtiliter & acutè priùs a doctore disputata.

Vtpote res.] Διαλεκτικῶς ἢ ἑρμηνευτικῶς intelligenda est hæc vox, vt sit, curabam id, quo pacto cuncta tenerem, id est, res subtilis difficilisque perceptionis ac comprehensionis, quæ oratione tenui & exigua fuerant priùs explicatæ. Eiusdem facultatis sunt hæ voces Græcè, ἤγουν, ἤτοι, δῆλον ὅτι, pro, id est, nempe, nimirum, quibus rarò vtitur Cicero, & sæpiùs in affirmatione aut caussæ redditione, vt 2. ad Attic. Epist. 39 *Ea nos non pertimescamus, vtpote qui nihil contemnere solemus*, id est, quia, vel propterea quod. Similis fuit admonitio de *nempe* Satyra proximâ.

Ede nomen.] id est, profer in medium nomen doctoris & patriæ, vel appella vtrumque nominatim. Edere autem nomen interdum Liuio est imponere nomen, quod videtur hîc reticeri propter odium, quo secta Epicurea vbiq; flagrabat.

Longa quibus.] Non conuenit inter auctores, vtra oui forma, oblongáne, an rotunda præstet saporis gratiâ succiq; facultate ad mares excludendos. Hæc autem de re Aristotelis sententia est lib. 6. de hist. animal. ἐστὶ δὲ τὰ μὲν μακρὰ καὶ ὀξέα τῶν ὠῶν θηλέα. Τούτοις γὰρ γλυκὺ καὶ περιφέρειαν ἔχουσι κατὰ τὸ ὀξὺ ἄρρενα. *Ex ouis quidem, quæ sunt longa & acuta, fœmellæ excludunturi, sed ex rotundis & orbiculatis ad partem acui solitam masculi.* Plinius contra citans hunc locum l. 10. c. 52. *Quæ oblonga sunt ouia, gratioris saporis* σύχνωτέρας ὡς putat Horatius Flaccus: *fœminam edunt, quæ rotundiora gignuntur, reliqua marem.* Cum auctore benè conuenit Colum. l. 9. c. 5 *Quam volet quis quã plurimos mares excludi, longissima quæq; & acutissima oua subijciet; & rursus, quum fœminas, quàm rotundissima.* Quidam putant *callosa*, de putamine oui duro, quod Græcè dicitur ἐλυθρον ἢ ἔλυφος intelligi debere, vt Poeta consentiat cum Aristotele: alij interpretantur de albumine oui, quod Græci dicunt τὸ λευκὸν, quod facile ob-

ducit callum coquendo, vt vitellus *τὸ ὠχρὸν τοῦ ὠοῦ ἢ τὸ ξανθὸν ὠοῦ, a colore flauo vel aureo.* Hic equidem existimo potiùs ornithotrophis & auiarijs quàm Philosophis & alijs scriptoribus fidem habendam esse, qui longo huius rei vsu & experientiâ confirment, hanc vim excludendi vel marem vel fœminam pendere e seminis conditione, non e figura quum pro certo constet, hanc naturâ esse rotundam ex ipso vitello: albumen verò esse magis ductile in ipso enixu, ideoque mutari in aliam *ἐξ ἕδους τῆς ὠοτοκίας ἢ ἀνειάς ἢ ἀφιχθάσης,* e genere pariendi ouum vel laxo vel stricto pro habitu gallinæ, situ, & facilitate pariendi. *Callosa cohibent marem vitellum,* Acron interpretatur, fortem & durum vitellum oua rotunda constringunt, vt quæ sint longis duriora.

Caule Suburbano.] Merus est Poetæ mycterismus in hunc Epicureum tam insulsa docentem: quò enim brassica in siccioribus agris nascitur, eò magis nidorulenta & nitrosa solet esse. Itaque insuauior est palato: de quo monent Columel. lib. 11. cap. 3. & Palladius: Eamque ob rem in solo pingui & irriguo serendam, vt dulcior sit.

Elutius.] Id est, brassica suburbana sit, ex opinione huius imperiti olitoris, nimiâ irrigatione & ablutione insipidior. Est autem eluere lauando aliquid purgare & dissoluere.

Vespertinus.] De hoc Hellenismo dictum est copiosè Ode 2. l. 1. & Epod. 16.

Subitò oppresserit.] Pro subitò Cic. adnectere solet *τὰ ἀνέλπιστα, improuisè & improuisò,* incautos, oscitantes, imprudentes, nec cogitantes, nec opinantes opprimere. Terent. interdum sine his, vt Adel. Act. 4. Sc. 1. *Et illud vis nullâ aliâ caussâ tam malè odi, nisi quia propè est: quod si abesset longiùs, priùs nox oppressisset illic, quàm huc reuerti posset iterum.* Valet igitur *τὸ si oppresserit,* si tibi ex improuiso & insperatò superuenerit hospes. In his tamẽ nulla verbi vis significatur, sed in hoc lib. 2. de diuinat. Ciceronis significatio vehementior & acerbior ostenditur, *quomodo terrâ oppressus potuit viuere.*

Mersare Faler.] Id est macerare vino austero aquâ diluto, vt tenerior ac mollior fiat, quomodo salsamenta macerantur aquâ.

Responset.] Antimeria est pro malè responset, id est, resistat, & difficilè mandatur & comminuatur duritiâ resistente. Hic fortassis *τὸ malum* non incommodè interpreteris per parenthesin & interiectionem indignationis: quomodo Donatus explicat in Eunuch. Act. 4. Sc. 7. v. 10. qui, malum! alij? & in Phor. Act. 4. Sc. 5. v. 11. *Quid tua, malum, interest?* itaque locus nostri Poetæ potest Gallicè reddi. *Tu feras bien aduertis de lui attendrir & mortifier vne poulle toute viue dedans vn gros & fort vin meslé, de peur, qu'a la malencontre elle ne resiste aux dents en la machant.* Sed super hoc Hippocrates diuinus videtur cupiditatem tenerarum carnium hominibus reprimere lib. 2. de Diæta: vbi teneritudinem carniũ existimat esse gradum ad putredinem: quæ quamuis dentibus mansu faciliores & gratiores videantur, & Galenus dicat *τὸ ἕωλον σύνεπτότερον τῶ προσφάτῳ, repositum concoctu facilius, quàm quod est recens iugulatum,* malus tamen inde succus in venas receptus est auctor prauarum affectionum. Locus autẽ est ad hæc verba: *Τὰ πρόσφατα πάντα ἰσχὺν πλείονα παρέχεται τῶν ἄλλων· διὰ τὸ δὲ, ὅτι ἔγγιον τοῦ ζῶντός ἐστι· τὰ δὲ ἕωλα καὶ σαπρὰ διαχωρεῖ μᾶλλον τῶν προσφάτων, διὸτι ἔγγιον τοῦ σωτιδόνος ἐστί·* id est, *Plus roboris afferunt corporibus omnia recentia, quam alia: quia propiùs absunt a viuente. Pridiana verò & vieta faciliùs egeruntur, quàm recentia: propterea quòd ad putredinem accedunt propiùs. Τὰ δὲ πρέα μίαν ἡμέραν ἢ δύο τιθέμενα μετὰ τὸ σφαγιάσαι τὸ ζῶον, ἕωλα καλεῖται· carnes vnum aut alterũ diem seruatæ post animal iugulatũ dicuntur hesternæ & pridianæ.*

Fungis.] *Ἐπιστόμαχον τὸν ἔπιμυκητον,* qui, quòd præferat fungum pratensem alijs, id est, syluestribus, mirum se præstat fungum: id est, faturum & insipidum. Solum enim prati est vliginosum, frigidum, quod nihil potest nisi subnigrum & graueolens exsudare. Itaque fungi pratenses sunt de genere *τῶν μυκήτων φθαρτικῶν.* Qui verò nascuntur in montibus inter iuniperos, præstant alijs, & sunt *ἀβλαβῆς καὶ βρώσιμοι,* innoxij & edules: de quibus lege Ruellium lib. 3. c. 114. Diosc. lib. 4. c. 83. Galenum de facultat. aliment. l. 2. c. 69. Plinium l. 22. c. 23. quicquid tamen hi dicant, malo assentiri Nicandro in Alexi. qui scribit *μύκητας ἢ μύκητοφύμωμα λυκὸν χθονὸς· fungos esse malum terræ fermentum.* Apud tamen veteres fungi bene conditi inter epulas exquisitas numerabantur, de quibus Cic. Epist. 15. lib. 9. *Quum verò præfectus aberit, ad fungos me tuos conferam.* Idem Epist. 25. lib. 7. ad verba: *Lex sumtuaria.*

Moris.] Simili superioribus insulsitate (a qua tamen eum liberabit interpretatio *τῶν prandiũ* per antecœnam, initium cœnæ siue primum missum, vt mox dicetur: quod videtur innuere *τὸ πρόλιον,* vnde *τὸ prandium* creditur deflecti, sicut ex Eustathio patefiet pòst.) Catius notatur, quum inducitur præcipiens de prandio moris claudendo, quum axioma sit Catholicum in arte sanitatis tuendæ *ἄυφθαρτα πάντα* in ieiunis stomachis subijcienda cibis alijs, & protinus intumescere, nisi ingeras cibum alium: de quo lege Plin. l. 23. c. 7. Galen. lib. de aliment. boni & mali succi. *Καρπὸς δὲ ἡ μορέας λυπηρὸς ἡ λιπόλιας ἄυφθαρτος, λιπεστόμαχος· aluum subducit, si maturus fuerit satis, corruptu facilis, stomachum debilitat,* nisi paulò ante cæteros cibos sumatur, moxque deambuletur. Dioscor. l. 1. c. 181. Præterea *τὸ moron* a Græco inclinant, *μαῦρον,* quod est Hesychio & Suidę *τὸ ἀμαυρὸν,* obscurum & nigrum per aphæresin *τοῦ α,* qui fructus ab alijs meliùs *ἄβρυον καὶ συκάμινον,* vt pro arbore, *μορέα καὶ συκάμινος,* quàm *μόρος* dicitur, estq; Theophrasto *τὸ ἀλοῦδιον φρόνιμον,* quòd tardissimè germinet ad euitãdam aeris inclementiam, & per antiphrasin disticho videtur dici ab Alciato:

Serior at morus nunquam nisi frigore lapso
Germinat: & sapiens nomine stulta gerit.

Quidam *τὸ finiet prandiũ moris,* interpretantur nullis alijs cibis vesci æstate in prandio, nisi moris nigris: qd interpretationis genus non equidem sequi velim, & qui huius auctores fuerunt, non legerunt l. 3. Iusti Lipsij antiq. lectio. vbi pereruditè, meo iudicio, interpretatur *τὸ prandiũ* per antecœnam & promulsidem: facit enim ibidem tres cœnæ partes, id est, missus: *quorum primum antiqui dixerunt antecœnam siue gustationem, siue gustum: secundum, in quo præcipui & lautissimi cibi, cœnam: tertium, in quo bellaria, mensam pomorum, siue mensas secundas:* deinde subijcit: *Catium voluisse initio cœnæ ponendæ mora esse,* sed tunc non erit locus ironiæ in rectè præcipiendo: moribus tamen Gallorum mora non solent apponi mensis vespertinis. Cibi autem, qui statis diei horis olim sumebantur, Græcis nominibus ex Eustathio statim initiò Odyss. sic possunt distingui. *τὸ πρωϊνὸν ἐμβρωμα καλεῖται ἀκρᾶτισμος, διὰ τὸ οὐ ἀκρᾶτον βρέχειν καὶ προσιέσθαι ψωμός: matutinus cibus vocatur teniaculum: quia buccea in vinum puruki intingebantur & admittebantur.* Solet etiam dici *διανυστισμὸς* vt sequens cibus, *ἄριστον, prandium, δειλινὸν καὶ μεσημβρινὸν βρῶμα, merenda:* deinde *δεῖπνον, cœna:* postremò *δόρπον, concessatio* a cœna: vide rationem singulorum ibidem. *Τὸ δὲ* prandiũ Plutarchus deflectit a *πρόλιον, paulò antè,* sed Isidorus ex eo, quod ad edendum sit paratum.

Aufidius.]

Aufidius.] Quamuis hydromeliti & œnomeliti sua cuique sit laus, suaque vtilitas, tamen dum Catius anteponit dulcem aquam mulso, non potest non videri gloriosus ostentator & ridiculus de œnomelite, quòd hîc fit minoris. Talis est prædicatio apud Plinium lib. 22. cap. 24. *Mulsum ex vetere vino vtilissimum, facillimeque cum melle concorporatur, quod in dulci nunquam evenit. Ex austero factum non implet stomachum, neque ex decocto melle, &c.*

Mulso.] Id est, vinum melle conditum concorporatur, nec implet stomachum, appetendi reuocat auiditatem cibi, aluum mollit, corpora auget: quæ sumta sunt e lib. 5. cap. 16. Diosc, οἰνομέλι διαφέρει τὸ ἐπὶ τῶ παλαίῳ οἴνῳ καὶ αὐστηρῶ καὶ μέλιτος καλῶ γινόμενον. reliqua lege ibidem, *præstat mulsum e vetere vino austero & bono melle confectum.* Commendatur tamen mulsum e Massico & melle Attico hoc Martial. disticho:

Tam bene rara suo miscentur Cinnama nardo:
Massica Thesaeis tam bene vina fauis.

Pertinet ad hunc locum quæstio quarta cap. 12. lib. 7. Saturnal. Macrob. *Cur, Disari, ita mel & vinum diuersis ætatibus habentur optima? mel, quod recentissimum: vinum quod vetustissimum? vnde est illud prouerbium, quo vtuntur gulones. Mulsum, quod probè temperes, miscendum esse nouo Hymettio & Falerno vetulo. Propterea, ille inquit, quia inter se sunt ingenio diuersa. Vini enim natura humida est, mellis arida. Nam quæ vdanda sunt corporis, vino fouentur: quæ siccanda, melle deterguntur. Igitur longinquitate temporis de vtroque aliquid exsorbetur, vinum meracius fit, vel aridius & ita mel succo priuatur, vinum aquâ liberatur.* De hydromelite vide cap. sequens lib. eiusdem, ac de variis eius condiendi rationibus. Gorræum in defunct. Palladium & Conlumel. lib. 12. cap. 22. Hoc autem tanti fit a Catio διὰ τὸ εὐπόριστον αὐτὸ εἶναι, *quia est facilè paratu,* εἰ μὲν λιθιᾶν ξηρὰν καὶ σκληρὰν ἔχεις, *si es aluo astrictâ.* De qua sic Hippocrates ὁ λιθοῦσι νέοισιν ἐοῦσιν αἱ λοιλιαὶ ὑγραί εἰσι, τοῦτοισιν ἀπογηράσασι ξηραίνονται. ὁκόσοισι δὲ νεοῖσιν ἐοῦσιν αἱ λοιλιαὶ ξηραί εἰσι, τοῦτοισι πρεσβυτέροισι γινομένοισιν, ὑγραίνονται, quod Cellus ita vertit: *quibus iuuenibus fluxit aluus, plerunq; his in senectute contrahitur: quibuscunq; autem in adolescentia fuit adstricta sæpè in senectute soluitur:* vnde perspicis τὸ ὑγρὸν opponi τοῖς ξηρῷ καὶ σκληρῷ. Ego, qui hos scripsi commentarios, in hac nona ætatis decade, nondum sensi talem alui vicissitudinem, omnes iam prætergressus sic ætates, vt postremam attigerim aluo semper astrictissima: vnde tandem incidi in bubonocelen inguinis sinistri ex summo egerēdi & perpetuo conatu & contentione, quam auxit anno 1585 mihi Metas proficiscenti equitatio in mulo succuturæ durissimæ: præsertim quum is vrgeretur ad præeuntes assequendos passu illius consueto & vi fracto.

Mitulus.] Inter pisces aluum mouentes numerantur quidem a Celso libro secundo cap. 7. cochleæ, garum saltamenta, ostrea, pelorides, echini, musculi, & omnes ferè conchulæ, maximeque ius ipsarum, quæ propterea dicuntur ab Athenæo lib. 3. σύμοιλια, *demulcentia aluum & molliter ducentia:* quod fit, dum illic morantia expellunt: sed hîc mitulus non memoratur: quem quidam putant Græcè dici μύακα ἢ μῦν, qui, vt pecten nascitur in arenosis. De his testaceis lege Plin. 32. cap. 9. Variè autem inscribitur, interdum enim *mytitus*, interdum *mytilus.* Ita varia est scriptura in mytilus, pro, curtatus in illo versu Idyl. *ι.* Theocriti.

Αἰ ἤ τι λῆς με ἢ αὐτὸν ἁμ' ἀιπολέοντα διδάξαι,
Τλύαν τὰν μιτύλαν δωσῶ τὰ διδακτρά τοι ἀίγα.

Quòd si quid me vnà & ipsum caprarium velu docere,
Illam cornibus mutilam capram tibi dabo pro Mercuriali.

Vbi quidam putant scribendum μυτίλαν, vnde vox Latina manauit, mutilus, a, um: ita Scholiastes interpretatur κερῶν, cornua non habentem.

Lapathi.] Dictum est Epod. 2. ad hæc verba *Aut herba lapathi est,* quid sit hæc herba, & vnde dicatur? Vox autem est Græca, pro qua Latini dicunt *rumex,* cuius omnia genera vim habent ventris soluendi: de quibus vide Plinium, l. 20. c. 21. & Galenum: ac præsertim illorum decoctum *in albo Coo,* subintellige *vino,* vt hîc passim in Massico, Cæcubo, Falerno, Chio, Sabino, &c. Epitheton *breuis* adsignificat ὀξὺ λαπαθὸν ab acumine foliorum sic nominatum. Præterea distinguit hoc ab hippolapatho, maiori lapatho satiuo. De conchyliis quoque dictum est in Gramm. 2. Epod. Addam tantùm e 2. de Diuinatione Ciceronis ostreis & conchyliis omnibus contingere, vt cum Luna pariter crescant, pariterque decrescant. Item e lib. 20. c. 7. Agellij, ostrea, vt alia quædam tenuia, ex succa esse Lunâ senescente. De murice diximus Ode decimâ sextâ libri 2.

Peloris.] Peloris ponitur a quibusdam inter ostreas, sed Plinius lib. 32. adscribit in genera cancrorum pelorida & champelorida, & Aristoteles εὐ ἄμμῳ γίνεσθαι, *in arena nasci* dixit. Nomen verò inuenit ab ingenti & inusitata magnitudine, & quasi monstrosa: τὸ γὰρ πέλωρ δεινὸν est Iliad. β. *draco immanis*: quod tribuitur Giganti, & Iliad. γ. vocat πελώριον ἄνδρα *virum admirandum.* Martialis cōtra opinionem Iul. Pollucis videtur dicere l. 6.

Tu Lucrina voras, me pascit aquosa Peloris,
Non minùs ingenua est & mihi, Marce, gula.

Ille enim ponit *Peloria* inter edulia piscis probata. Quum autem Martialis pelorida vocat aquosam, videtur illius carnem, vt nimis flaccidam notare, firmitateque reliquorum conchyliorum carentem: quod sanè scripsit quorundam opinione, non satis expertus.

Ostrea Circeis Misenorum.] Seruius in hunc Geor. 1. v. *Pontus & ostriferi, &c.* citat hūc locum, & annotat: sanè secundùm artem hæc ostrea, ostreæ dicimus: nullum enim habet Latinitas nomen animalis, quod neutrius sit generis, sicut Græcè τὸ λεπὸς ἢ τὰ λεπέα, licet Horatius dixerit *Ostrea Circeis, &c.* & Iuuenal.

Grandia quæ mediis iam noctibus ostrea mordet.

quos tamen possimus Græcè loquutos accipere. Ita enim dicunt τὸ ὄστρεον, ἢ τὰ ὄστρεα, de cuius vocis etymologia notas in Gram. Od. 29. l. 3. de ostro sub initium.

Echini.] De hoc genere cancri satis dictum est in Gramm. 5. Epod.

Pectinibus.] Hi pisces sunt de genere τῶν ὀστρακοδέρμων ζώων, testaceorum, & Græcè dicuntur κτένες θαλάσσιοι, quos Plin. l. 9. c. 29. vocat pectunculos. *Loligo,* inquit, *etiam volitat extra aquam se efferens,* cuius in Saty. 4. l. 1. meminimus ex alio loco Plinij: idem & pectunculi faciunt sagittæ modo, ita dicti, quod conchas habeant pectinatim striatas. De his vide Arist. de hist. Anim. l. 4. c. 4. & Athenæum l. 3.

Patulis.] Hoc epithetum interpretatur Græcum ἀνάπτυχοις, quo ibidem Aristoteles vtitur, τῶν δὲ διθύρων τὰ μὲν ἐστιν ἀνάπτυχα, *ostreorum biualuium quædam sunt aperta & explicata,* vt pectines & musculi. Locorum autem, vbi fit piscatus talium conchyliorum, vide descriptionem apud Topographos, Strab. Mesam, & Plinium.

Molle Tarentum.] De hoc repete, quod dictum est Od. 28. lib. 1. Referendum est tamen hoc *molle* ad delicias & luxuriem loci, vt inde cognoscetur, & ex Epistola.

Ciceronis 12. l. 7. ad Famil. Trebatium: *Mirabar, quid esset, quòd tu mihi literas mittere intermisisses: indicauit mihi Pansa meus, Epicureum te esse factum. O castra praclara! quid tu fecisses, si te Tarentum, & non Samarobrinam misissem?* Gall, *vide de Sainquentin, ou de Cambres.*

Artem cœnarum.] Quam Græci vocant coniunctè λαχανοποιικὴν, cuius nemo debet sibi sumere scientiam, nisi plenissimè tenuerit saporum discrimina, & subtilitate palati distinxerit, ac præterea illud Plutarchi e Sympos. 1. problem. 2. *τοῖς μὲν ὀψοποιοῖς καὶ τραπεζοποιοῖς σφόδρα μέλει, τί πρῶτον, ἢ τί δεύτερον, ἢ μέσον, ἢ τελευταῖον ἐπάξουσι. conditoribus opsoniorum & mensarum instructoribus magnæ curæ debet esse, quid primum, vel quid secundum, vel quid medium, vel quid postremũ appositurì sint.* Hoc autem indicant verba, *tenui ratione & exactâ*, pro ratione bene subtiliterque initâ & subductâ: vnde quę dapes elixæ soleant esse suauiores, quàm assæ, intelligetur. Sic enim poterit ex Ichthyopolio pisces importare domum, & scienter parare: vt conuiuæ ad intermissam vel satietate, vel fastidio comesturam, tali condimentorum varietate invitati, sese referant, in cubitumque puluino & cubitali suffultum reponant. De hoc autem situ accumbentium dictũ est in Gram. Od. 27. lib. 1. Præterea quæ præcesserunt opsonia, videntur quibusdam τὰ προδεῖπνα, quasi diceres, anticænia, sicut quæ sequuntur, τὰ ἐπίδειπνα, postcænia, vel secundariæ cænæ.

Vmber.] De Vmbria lege Plin. l. 3. c. 14. quam Grammatici notat παρὰ τὸν ὄμβρον, *ab imbre*, alij verò ab vmbra montium.

Iligna.] Ab ilice deflectuntur iliceus, ilígneus & ilignus. Glandis autem ilignæ meminit Plinius lib. 16. cap. 5. quomodo Agellius iligneas coronas dicit lib. 5. cap. 6. vnde perspicies, cibum & victũ antiquissimum fuisse querceum & ilígneum, non apris solùm, verùm etiam hominibus. Ex hoc victu corpus reddirur torosius ac solidius, caroque gratioris saporis: quam iuuat plurimùm assiduus aprorum sylueſtrium motus in locis siccis: contrarium accidit palustribus qui ex aquatilibus herbis victitant, & in otio & volutabro versantur: vnde caro horum est quasi fungosa, iners & insipida: de quo lege Columellam lib. 7. cap. 9. Illa verò sylueſtris aprorum adeò firma & solida est, vt suo pondere curuet catinos conuiuatoris, qui solet præhumidam & inertem carnem vitare, qualis est apri Laurentis. Syntaxis autem verborum est, Aper Vmber, & nutritus glande ilignâ curuet lances illius, qui vitat & fastidit carnem apri pinguefacti in otio & inertia.

Carnem, &c.] Hanc vocem notat Donat. in Hecyr. Act. 3. Sc. 4. bifariam, eò primùm, quòd careat animâ, & propriè est mortuorum: vnde carnifices dicti, quòd carnes exhomine faciãt: deinde potest in hac voce r p d poni, vt caro sit dicta, quasi cado, vt Virg. *belloq; caduci Dardanidæ*, quòd iam scilicet sine anima sit & cadat. Longè aliter Isidorus sentit, cuum velit appellatam carnem a creando, & eam intelligi solùm, quæ viuit. Probabilior mihi videtur illa Donati sententia: inde cadauer & cadauerosa facies, p funesta, fœda & auersanda: vnde fuit Gallis illa conuitia in obscœnas mulieres, *vieille charongne, ceste voirie*: & Germanis inexsecrabiles homines, *schelmen*, vt Epist. 1. l. 1. ostendetur, Deo fauente. Fuit autem Laurentum Latii oppidum Lauinio & Ostiæ conterminum.

Vluæ.] Vlua ponitur a Virgilio Geor. 3. quum iubet pastum copiosum obijci iuvencis, inter vescas & edules herbas:

Intereà pubi indomitæ non graminea tantùm,
Nec vescas salicum frondes, vluamq; palustrem,
Sed frumenta manu carpes sata ——

Quidam existimant hanc herbam esse τὸν φακὸν Dioscoridis τὸν ἐπὶ τῶν τελμάτων, συλλεγόμενον ἢ ἐπὶ τῶν γαλίμνων ὑδάτων, *lentem palustrem, & inuenirì in stagnantibus aquis.* Præterea describi βρῦον ὂν ὅμοιον τῷ φακῷ, *muscum esse similem lenti*: qualem equidẽ vidi præberi aliquando domesticis porcis, sed aquâ coctũ & furfure mistum quam Galli quibusdam in locis vocant *uentille*, quasi *lentille*. Alij tamen putant esse maiusculam herbam e loco Virgilij 2 Aeneid.

Lim osq; lacu per noctem obscurus in vlua
Delitui.

quod verisimile est ex hoc versu Ouidij:

——*in medio torus est de mollibus vluis.*

De arundine verò nequeo quicquam tale proferre, nisi ex ea Dioscoridis coniectura, qui vnum arundinis genus πολύσαρκον καὶ ποτάμιον, id est, *multicarne & fluuiatile* facit, illud esse dixerimus vescum & edule.

Vinea.] Triplex hìc potest amphibolia notari, vt primùm vinea de vineto, non de ipsa vite: deinde capreæ de hœdis, non de capreolis & clauiculis vitium intelligatur: postremò particula negandi construatur cum verbo, *non submittit*, minimè verò cum epitheto, *edules*. Itaque dicemus, vineta non subministrant hyeme pingues hœdos: quia tum sunt macilenti, sed quum pãpinosæ sunt vites. Capreas edules Græcè interpreteris λοπαδίας ἐδεσμοὺς, τρωξίμους καὶ βρωσίμους, id est, *Capreas vescas & aptas esui.* Gall. *Cheureus bous a manger.* Præterea edulis deflectitur ab edo, es, pro quo etiam Grammatici notant aliquando μᾶλλον κατ' ἀνάλογον dici edilis in eodem significatu.

Fœcundi.] Aptissimum epithetum: hanc enim feram reperias ferè prægnantem, ac sæpiùs quotannis fœtificantem: de cari fœcunditate lege Herodot. in Thalia, & Physicos de promiscuo sexu ac de suauiori parte illius in esum, Terentij pulpamentum Act. 3. Sc. 1. Eunuchi, contra præceptum huius Catij coqui parùm hìc sapientis. Repete ex Epod. 2. rationem vocis, λαγωὸς ab Eustathio prolatam & reliqua de hoc animali, & quam de huius carne Cato maior habuerit opinionem, lege Plutarch. in vita ipsius. Sed locum tibi, vt te hoc leuem labore, referam, qui est sub finem: *αὐτῷ δὲ γεγραμμένον ἐστὸμνημα εἶναι, καὶ τοῖς πρὸς τοῦτο θεραπεύειν, καὶ διαιτᾶν τοὺς νοσοῦντας οἴνοι· νῦξιν μὲν ὀλίγοτε διατηρῶν ὀλίγα, τρέφων δὲ λαχάνοις, καὶ σαρκιδίοις νεοσσῶν ἢ φάσσης, ἢ λαγῷ, καὶ γὰρ τοῦτο κοῦφον εἶναι καὶ πρόσφορον κάμνουσι, πλὴν ὅτι πολλὰ συμβαίνει τοῖς φαγοῦσιν ὀνειρώττεσθαι. τοιαύτῃ δὲ θεραπείᾳ καὶ διαίτῃ χρώμενος, ὑγιαίνειν μὲν αὐτὸς, ὑγιαίνοντας δὲ τοὺς ἑαυτοῦ διεφυλάττειν. Cato Maior admonebat filium, vt sibi caueret a medicis omnibus, a se conscriptum cõmentariũ, quo familiã agrotantẽ curaret, & rationẽ victus prascriberet, nullã quemquam inediã conseruando, sed oleribus & carnunculis anatis, aut palumbis, aut leporis nutriendo: hoc enim esse leue & salubre agrotãtibus, praterquàm, quòd his vescentes vexantur insomniis: tali medicinâ, victusq; ratione vtentem ipsum rectè valere, ac suorum valetudinem tueri.* Cato inter olera primum commendationis locum brassicæ dabat, vt Plinius scribit lib. 20. cap, 9. & nos iam citauimus in Gram. Satyr. 2. huius lib. Eódem nos vocat Epigramma Martialis lib. 3.

Inter aues turdus, si quis me iudice certet,
Inter quadrupedes gloria prima lepus.

Eódem denique Galenus invitat lib. 3. de aliment. facult. scribens sanguinem leporis omnium suauissimum

vissimum. Quod quùm ita sit, & carnem ipsius inde prorsus omnino constantem, existere talem necesse est: qualem certè suauitatem videtur mihi versus Aristoph. in Vespis Comœd. confirmare: *δύο μυριάδες τῶν δημοτικῶν ἴσων σὺν πᾶσι λαγῴοις*: id est, 20000. *plebeiorum viuerent in omnibus leporibus*, id est Scholiastæ, *σὺν ἀγαθοῖς πᾶσιν, ἢ αὐτὶ τοῦ σὺν τροφῇ*, id est, *in deliciis*. Hic *τὸ Sapiens* non est intelligendum de familia Stoicorum, sed de illo, in quo eruditum ac subtile inest palatum ad delectum saporum, qualem se iactat in hac Satyra *Catius in subrio*. Itaque hunc quidem versum Gallicè interpretor, *vn bon friant & conguoßiant bien les saueurs des viandes cherchera le Rable dun bonlieurè ausourdhui, non parles espanlos.*

Piscibus.] Longè nobis admirabilior videretur hic sapiens coquus, si se primùm non gustando, sed percontando, vbi & quo pabulo hæc nutrita fuissent, eorumque habitus spectando, cognouisse naturam & ætatem ciborum prædicaret.

Sunt quorum.] De hoc locutionis genere monuimus in Gram. Od. 1. l. 1. sicut de crustulis Sat. 1. l. 1.

Maßica.] De hoc etiam vide quod dictũ est in Gram. Od. 1. lib. 1. De vinis autem cœlo sereno supponendis, maximeque Italicis, lege Plin. l. 14. & Athen. l. 1. Ac prætereà de consuetudine vini crassi & turbidi, quale diximus Od. 7. l. 1. Massicum fuisse, sacco lineo percolandi, vide problema Plut. ad id institutum. Plaut. in Pseud. vtitur hoc genere vini, non tamẽ transfusione attenuati ad immensam ipsius voraginem & gurgitem indicandum, qualis erat Pseud. stomachus. SI. *Credo equidem potesse te scelus Maßici montis vberrimos quatuor fructus ebibere in hora vna.* P S. *Hyberna, addito.*

Lino.] Intellige colum lineum & saccum vinarium, per quem vinum transfunditur, vt liquidius ac purius fiat, quod Catius damnat. Si verò malis legere *limo*, hanc sententiam habebis: mixtâ fæce vini Falerni vitiari austeritatem Massici, non corrigi, vt Catius docet a nonnullis falsò existimari. Prodest quidem fæx Falerni mixta vino Surrentino, vt ex tenui fiat robustius. Quod autem Surrentinum sit tenue, duo proximè citati auctores ostendunt. Sed de Surrẽto Campaniæ oppido vide Plinium lib. 3. cap. 5. Mela tamen lib. 2. cap. 4. scribit: *Optima Lucania loca, sinus Puteolanus, Surrentum, &c.*

Quatinus] I. quia in fundũ descendet, & illic voluẽdo trahens secum fæcem & sordes confusas residebit.

Marcentem &c.] Pro hoc & altero, quod præcessit modò *languidum recreare* Seneca in disputat. de prouidentia dicit, *pigritiam stomachi nauseantis erigere.* Sic Suetonius, vt noster Poeta, loquitur, *marcescentem adhuc stomachum pridiani cibi onere.* id est, Gallicè *pour auoir trop mangè le iour pracedant l'estomach en esto & tout lasche & defaillam.*

Squillis.] Squilla est piscis e genere *μαλακοστράκων*, id est, *molli crustâ tectorum*: de quo vide Atheneum lib. 3. vbi dicitur *Caris*, & hoc nomen videtur inuenisse *παρὰ τὸ κάρα, ὅτι τὸ πλεῖστον μέρος τοῦ σώματος ἡ κεφαλὴ ἀπολυέγκατο, a capite, quòd maximam corporis partem caput obtineat* Alii putant a Caribus populis nominari. Sed de squilla & pinna vide Plin. lib. 9. c. 42. & 51. Oppianum l. 2. Tullium 2. de nat. Deorum. Sed vt te hoc leuem labore, verba huius subscribam: *Pinna verò (sic enim Græcè dicitur) duabus grandibus patula conchis, cum parua squilla quasi societatem coit comparandi cibi. Itaque quum pisciculi parui in concham hiantem innatauerint, tum admonita a squilla pinna morsu, comprimit conchas. Sic dissimilimis bestiolis communiter cibus quæritur: in quo admirandum est, congressúne aliquo inter se, an iam inde ab ortu natura ipsa congregata sint.* De cochleis Dioscor. l. 2. c. 9. & Arist. l. 4. hist. anim. vbi genera cochlearum dicuntur *τρομβώδη*, & *turbinata* vertuntur a Gaza.

Nam lactuca.] De hac planta lege Diosc. l. 2. c. 166. & Plin. l. 19. c. 8. quæ ex hoc cognoscitur nacta nomen suum, ab vbertate soporiferi lactis. Græcè *θριδὰς ἢ θριδακίνη*, fortassis, si esset mihi coniecturæ locus & vires ipsius ferrent, *παρὰ τὸ τὰς τρίχας δάκνειν*. Ex hoc autem loco constat, lactucam postremis mensis apponere veteres consuêsse, vt soporiferam. Ideò Moretum Virg. hoc habet:

Gratáq; nobilium requies lactuca ciborum.

Idem quoque Martialis l. 13.

Claudere quæ cœnas lactuca solebat auorum,
Dic mihi cur nostras inchoat illa dapes?

Confirmat pentametrum Martial. Plutar. 8. Symp. quæst. 9. ad verba *αἱ γὰρ κολούμεναι ψυχραὶ τραπέζαι*, &c. quas enim vocant frigidas mensas, ante ostrea crudam lactucam, vt concoctu facilem, pro vltimis apponunt. Primas autem mensas Latini hodie acetaria vocant. Floruerunt hi auctores, Martial. sub Domitiano, Plut. sub Traiano ferè æquales.

Pernâ.] Perna propriè dicitur de pedib' porcorum, vt petaso de coxis eorundem: quæ partes Gallice nominantur, *les pieds de pourceau & iambons.* Prætereà ex Nonio intestina olim dicebantur hillæ, & hoc deflectitur Festo, ab hira, quod erat veteribus intestinum ieiunum: alij ab hillo re minima, quale dicitur Hir, quod est cauum mediæ volæ monstrari solitum ad indicium nihili, vnde prouerbium, *ne hillum quidem.* Quidam putant hilla esse intestina farta, & salsica dici, Gallicè, *saulsices.*

In morsus.] Id est, in minuta frustula concidebantur, & sic apparabantur vel cum pipere, vel aceto, vel sinapi assa vel elixa ad exercitandam omnibus crudis appetentiam, ingluuie hesternæ cœnæ, vel præsentis vsu immodico deiectam.

Popinis.] Quidam legunt in popinis mundis disiunctim, & tum interpretantur de popinis nobilium diuitum, quæ solent nitidiores & mundiores esse, quàm publicæ. Caussam verò hui' lectionis accipiunt ex hoc versu, *Magna mouent*, &c. Sed prior lectio magis probanda est, tùm ꝓpter vim argumenti antè notatã, tùm propter figuram mox notandam. Definiunt autem Gramm. popinam, locum, in quo publicè & delicatè parantur & venduntur opsonia Gall. *Cabaret*, Græcè, *τὰ ὀπτανεῖα, ἢ μαγειρεῖα*, culinæ: atque iidem notant dici a popa, qui est victimarius & cultrarius, qualem Suet. scribit Caligulam se præstitisse per sæuitiã extremam c. 32. in ipsius vita, *Admotâ altaribus victimâ, succinctus poparum habitu, elato altè malleo, cultrarium mactauit.* Sic Propertius lib. 4.

Succinctiq; calent ad noua sacra popæ.

Quod pingui mero.] Inepta quibusdam videt' interpretatio huius secundi iuris condiendi ex permutatis epithetis pingue & dulce: quòd semper pingue attribuatur oleo, nunquam vino nisi vitiato. Ideoque sæpè in Plinio hæc, pingue oleosum & oleaceum reperiunt' geminata. Quidã putant, hanc ineptam verborũ permutationem a Poeta facetè & consultò inductã, vt imperitia Catij & obliuio ꝓponeretur omnib' irridẽda. Potest tamen ferri hæc dulcedo tributa oleo, & explicari de integritate & bonitate olei, quali suprà Sat. 3. suadebat caules vngi, non eo oleo, cuius odorem nequeas perferre. Non minùs tolerabile videbat' pingue vino attributũ, si illud interpreteris vel de mulso, vel *περὶ τοῦ οἴνου τοῦ ἐπιτρόπου, de vino nõ mutato*, nec quod in vappã degenerauit, & qd docebit tẽperare oleo, vel cõtrà.

Muriâque.] Hæc vox, vt Græca ἁλμὴ, mihi videtur deflecti a mari, & ἀπὸ τῆς ἁλὸς, & definiri ab Hesychio ὁ τῶν ἰχθύων ζωμὸς, *ius piscium & liquamen*, & aqua salsa, cuius est triplex distributio apud Iul. Scaligerum virum doctissimum exercitatione 303. Prima conflatur e sale & intestinis, & *garum* dicitur, quod generatim Dioscorides sumit lib. 2. cap. 34. de quo liquamine & ipsius pisce lege Plin. lib. 31. c. 7. & 8. Altera est muria e sale & viru piscium maceratorum. Tertia est nõ exquisita, sed ex fæce muriæ, quæ Plinio dicitur alex: Horatio alec liquamẽ piscium, quod nomen legit per aspirationem. Plures vide differentias gari in definitionibus Medicis Gorrei.

Quâ Byzantia putruit orca.] Longè hîc præstat orcam interpretari de fictili vase angusto ore & amplo vẽtre, quàm de pisce Balænis infesto, vt scribit Plin. l. 9. c. 6. cuius tam densa, tamque dura est caro, vt impatiens sit macerationis & liquoris. Sententia igitur erit: Requiritur hæc muria, vel hoc garum, quod fluxit & liquefactum est e thynno, ac multò magis e scombro, quos pisces Byzantii Constantinopolitani macerant & condiunt, ac putere faciunt in testa marina: quomodo loquitur Nasidienus Sat. 8. huius libri.

Hoc vbi.] Intellige vinum pingue mistum muriâ Byzantia, & erucâ, inulâ & croco confusum, vt præscribitur Sat. huius l. 8. Rectè ædhibetur crocus huic compositioni: πρόπος γὰρ κατὰ τὸν Διοσκορίδην ἀκροαίπαλός ἐστι μετὰ γλύκεος πινόμενος, *crocus enim e Dioscoridis sententia, arcet crapulam cum passo & vino dulci sumtus*, quod legere possis l. 1. c. 25. vbi reperies Κοΐνεος scriptum per ει in penultima deflexum a *Coricus* promontorio & antro Cilicię, croci nomine celebrato, non procul a Crambusa insula: de quo vide Strab. lib. 14. Nõ autem solùm crocus vino dulci miscebatur ad tale ius condiendum, sed ad theatrum etiam illâ misturâ spargendum, vt Domitius annotauit in hunc versum Epigram. l. 8. ad Paulum de Phiala apud Martial. *Pallida, quam rubri diluit vnda croci.* Vbi hic locus citatur.

Venafrenæ.] De Venafro dictum fuit Od. 6. l. 2. cuius oleum vult compositioni præterea immisceri: quod etiam Sat. 8. præscribitur:

His mistum ius est, quod prima Venafri
Pressit cella.

Bacca oliuæ.] Gaza in Cat. Maiore ad hæc verba, *tanquam in arborum baccis*, ὥσπερ ἐπὶ τῶν ἀκροδρύων, quo nomine intelliguntur, quæcunque habent in ambitu lignosum putamen.

Picenii.] Picenum est regio Italiæ, hodie dicta *Marcia Anconitana*, de qua Strabo l. 5.

Vennucula.] Hæc vox inclinatur a Venusia, ideoque reperitur scripta *Venucula* lib. 3. cap. 2. Columellæ, vbi est simile huic documentum: *Item* inquit, *quarum vuæ temporibus hyemis durabiles vasis conduntur, vt Venucula.* Similiter quoque Plin. lib. 14. cap. 2. *vuam Venuculam oliis aptissimam.* Sed gemino *n* scribit hic εἰς τὴν ἔκτασιν *ad extensionem.* Hunc autem locum citat Hieronymus Mercurialis lib. 4. cap. 11. de vuis palearibus & fabrilibus: *Vt dolia vinorum ad fumum ponebant antiqui, præsertim Massilienses, quo citiùs vetustescerent, ac innoxia magis redderentur, ita verisimile est, illos vuas fumo exsiccatas conseruare potuisse, atq; ob id fabriles nuncupasse*: quam rem videtur Plinius l. 14. c. 1. non obscurè expressisse. Locum leges.

Hæc ego.] Hi tres versus clariùs resoluendi sunt: *ego primus inueniar hanc vuam cum malis, & fæcem, alec, piper album cum sale nigro incretum circum posuisse puris catillis, vt cultq; conuiuæ suus apponeretur catillus mundus & tali iure onustus.* De alec, vt, de pipere & sale vide Plin. l. 31. c. 8. Horatius & Plautus vsurpãt τὸ *alec* genere neutro, sed Plin. fæm. Quod autem ad eiusdem significationem attinet, probo illorum opinionẽ, qui cum Prisciano cẽsent piscem esse: sed fæcem & alec dicit, pro piscem fæcatum, id est, fæce conditum & liquefactum, & in liquamen salsum conuersum, ὡς ἐν ἀλὶ δυοῖν, *tanquam vnum per duo.* De pipere albo vide Dioscoridem l. 2. c. 18. & Mathiolum in eundem.

Incretum.] Id est, purgatum, & a suo furfure separatum incerniculo. Flex a autẽ hæc vox est ab incerno, expurgo & separo.

Dare millia.] Ellipsis est substantiui sestertiũm vel nummorum.

Pisces vrgere.] Apponere magnos & latos pisces in angustis catinis, Gallicè, *de seruir de grands poissons en de petits & estroicts plats, il fait aussi grand mal au cœur de boire en des coupes sales.* Pro cratere quidam legunt cretere, & interpretantur cretereim e Nonio, situlam, quæ vetustate sæpiùs est putris, ruinosa & limosa, & ita polluit manus puerorum tangentium. De verbo, *liguriit*, aliàs dictum est. Scobes autem, vel hic scobis est minutissimum quodque ramentum, vel quod facit serra vel terebra, vel quodlibet aliud instrumentum, vel secando, vel atterendo ad exsiccandos soli humores effusos, vel ad explicandas eiusdem pauimenti lacunas. Alij putant esse ferreum instrumentum ad eradendas & tergendas sordes e pauimento marmoreo.

Quantus.] Id est, quantulus sit sumtus, & quàm exiguus in his emendis, quæ quum negliguntur, ingens est dedecus?

Tén' lapides.] Est ellipsis verbi, decẽtne conuiuatorem immundis scopis e palma verrere, & purgare marmoreum pauimentum, & emblematis distinctum, & sordidis toralibus imponere splendidas vestes? Sic veteres vel cænaturi, vel dormituri sua cubilia stragulis textilibus, vel purpureis insternebant, vt constat e Tuscul. item e Catullo de Pelei & Thetidis nuptiis:

Purpureâue tuum consternens veste cubile.

Lapides varios.] Quidam putant legendum *Parios*, id est, marmoreos: alij, lapides pretiosos catinis infertos, & ita palmam interpretantur manum: sed potiùs ad tropos, vt dicemus mox, referri debet: vt hic locus Petronij:

——Et dum varius lapis inuenit vsum,
Inferni manes cælum sperare iubentur.

Toralia sunt stragula ex herbis intortis, vluis, paleis illotis, quæ purpureis vestibus tegebantur, quomodo ex his versibus Ouidii apparet:

——in medio torus est de mollibus vluis,
Impositus lecto, spondâ pedibusq; saligna.
Vestibus hunc velant, quas non, nisi tempore sacro,
Sternere consuêrant.——

Oblitum.] Pendet a suppleto, *tén' oblitum decet*, id est, immemorem, quantò minùs curæ & impensæ requirant hæc vtensilia memorata, tantò iustiorem fore tui reprehensionẽ, quàm si illa desiderarentur, nempe cari pisces & vina generosa, quæ non nisi diuites solent habere: quæ si non comparent, avaritiæ vitio illis vertitur. Pro *memori pectore* dicet Sat. 6. seq. propriè, *memori mente.*

Adde vultum.] Poeta respicit vel ad illud vulgò notatum, ἡσσονες φωνῆς μείζω ἐνεργείαν εἶναι, *viua vocu efficientiam maiorẽ esse*, vel ad illud Aeschinis de Demost. τί δὲ εἰ καὶ τὴν θυρίδα ἠκούσατε· *quid verò si belluam audisset?*

Expli-

Explicatio Rhetorica.

Dialogismus est interrogantis Poetæ & respondentis Catii, quâuis hic, vt tertia persona, compelletur initiò.

b Hic agnosco synecdochen membri pro integro enunciaro, & ratione singulorum præceptorum, quæ tradentur posteà de arte culinaria: atq;, vt mea confirmetur opinio, citabo versum Virgil. e 3. Georg.

Morborum quoque te caussas & signa docebo.

Vbi caussæ adiungitur significatio suæ qualitatis perpetua comes. Ita caussa primùm cur pecus corrumpatur, est illic vipera vel coluber latens in ovili, & virus aspergens pecori: deinde signum veneni est pestis & scabies: est denique febris. Sic præceptorum signa non sunt in literis, nec in characteribus, nec in verbis singulis, quamuis hæc dicantur σημεῖα καὶ μνήματα in definitione nominis apud Platonem in Cratylo, simulacra, notæ rerum & signa: sed in pronunciatis & axiomatis præcipuè dicuntur versari hæc signa. Ex quibus Catius studet nunc culinariam artem conscribere & explicare. Non desunt tamẽ, qui signa sumant pro vocabulis Latinis, quæ Græcam Epicuri doctrinam interpretantur: quomodo loquitur Cic. lib. 1. de natura Deorum, agens περὶ τῆς κατὰ τὸν Ἐπίκουρον περιλήψεως, *sunt enim nouis rebus noua ponenda nomina*: sed potior est tropi ratio.

c Allegoria est e metonymia efficientium pro effectis, atque inuentis a Pythagora, Socrate & Platone scientiis: sed est præterea in *Anyti reum*, periphrastica synecdoche generis pro Socrate accusato ab Anyto.

d Metaphora ab auspicibus pro intempestiuo & importuno, vt dextro pro contrario.

e Ironia est, quâ intelligit, Catium nihil aut parùm naturæ & ingenij bonitate & arte valere.

f Polyptoton est, ac præterea quædam ironia. Ex rebus enim contemplationis altæ, subtilis & raræ (quales ridiculè Poeta videtur affingere huic Epicureo Catio, quæ curam exactam & Philosophi subtilitatem requirant) vulgares, & cuique facilè occurrentes intelliguntur.

g Est hîc quædam generis synecdoche, pro magistro & præceptore.

h Hoc sumtum est ab homine pro forma & figura, ex Plinij auctoritate, qui l. 11. c. 37. scribit, faciem hominis esse propriam.

i Metaphora est quoque a participe rationis ad eiusdem expers, pro repugnet & resistat palato, insipidâ duritiâ hoc lædat: quomodo Sat. post 7. dicet. *Cupidinibus responsare*, pro aduersari.

k Metonymia est efficientis pro vehementi æstu caloris, & periphrasis temporis matutini & antemeridiani.

l Hoc videtur translatum e scriptis & libris: in quæ dicitur propriè mendum vel menda incidere: vnde illa, *mendosus librarius, mendosa historia, mendosè scribuntur*, ad significationem aliorum vitiorum, vt hîc ad vitiosam τοῦ δινομένου, id est, mulsi conficiendi rationem. Ita dicuntur conchylia *lubrica* μετωνυμικῶς, quòd soluât aluum & fluere faciant, sic est loquutus Ode. 19. lib. 1. de vultu Glyceræ lubrico: vbi possunt consuli nostræ notæ.

m Periphrastica est synecdoche generis ἀντὶ τῆς ἀπαντοποιητικῆς, ἢ μαγειρικῆς διδασκαλίας. Est præterea προκατάληψις opinionis eorum, qui facilem instruendæ cænæ rationem existimarent.

n Sumtum quoque hoc est a piscatoribus, qui sagenâ & e verriculo pisces capiunt aquam verrendo.

o Metonymia est subiecti, nempe mensæ & macelli pro piscibus ibi carè venalibus.

p Ex vno genere puto hîc varias operis dulciarij species contectas crustis significari, vt pemmata, tragemata, placentas, reliquumque opus pistorium & lactarium: de quibus lege Ioannem Bruerinum lib. 6. c. 7. de re cibaria,

q Metonymia est materiæ pro sacco & colo inde facto ad transfundendum vinum.

r Hoc sumtum est a rebus detritis & accisis, quæ reparari & redintegrari solent, vt annotatũ est in Rhetor. Odes 4. l. 1. de Musis recreantibus Cæsarem & ipsius copias.

s Procatalepsis est, atque vnà epanorthosis quędam, ne quis fortè putaret superiora edulia tantùm valere ad tollenda compotorum fastidia: ad quæ valent etiam sæpè vilissima quæque & immundissima.

t Videtur ab antistitibus, qui principatum tenent ordinis in stratione, vel in incessu, vel in consessu, sumtũ, qualia sunt hæc, *præstare alteri suauitate dicendi, virtute, ingenio & alijs dotibus mentis & corporis.*

u Synecdoche est generis pro carnibus, piscibus, alijsque opsoniis clanculùm sublatis ab operis & ministris.

x Idem est tropus pro pauimento strato versicolori marmore: de quo lapidem varium hîc intelligendum esse monet locus Senecæ Epist. 8. lib. 1. *Hanc ergo sanam & salubrem formam vitæ teneto, vt corpori tantum indulgeas, quantum bonæ valetudini satis est. Duriùs tractandum est, ne animo malè pareat: cibus famem sedet, potio sitim exsinguat: vestis arceat frigus: domus munimentum sit aduersus infesta corpori. Hanc vtrùm cespes exstruxerit, an varius lapis gentis alienæ, nihil interest: scito te hominem tam bene culmo, quàm auro tegi.*

y Metonymia est materiæ pro scopis ex ea contextis.

z Iocosa est ironia, quâ quum videatur ipsius doctrinam probare maximè, valdè tamen improbare intelligitur.

**a* Alia est procatalepsis eius, quod Catius opponere potuisset, se viâ ac ratione tradidisse artem opsonandi Poetæ, vt nihil superfit, quod ipse desiderare possit.

**b* Donatus in Heaut. Act. 1. Scen. 1. ad vers. *Tu illum nunquam ostendisti, quanti penderes*, propriè sic interpretatur, quanti illum faceres, deinde addit, tractum ab antiquis, qui ante signatam pecuniam, æs & argentum pendebant: vnde factum est, vt pro æstimare vsurpetur.

**c* Allegoria est vt bona e metaphoris notis, ad auctorem & inuentorem tantæ doctrinæ indicandum.

SATYRA QVINTA.

Hic iniquæ veterum Romanorum artes, ex alienis incommodis sua comparandi commoda, valdè aptâ personarum fictione reprehenduntur à Poeta.

Hoc quoq, Tiresia, præter narrata petenti
Responde: quibus amissas reparare queam res
Artibus atq, modis: quid rides? iámne doloso
Non satis est Ithacam reuehi, patriosq, b *Penates*
Aspicere? 2. c *O nulli quicquam mentite, vides, vt*
Nudus, inopsq, domum redeam, te vate: neq, illic
Aut apotheca procis intacta est, aut pecus: atqui
Et d *genus, & virtus, nisi cum re, vilior algâ est.*
3. Quando pauperiem, missis ambagibus, horres;
Accipe, quâ ratione ꝗ e.is ditescere. Turdus,
Siue aliquid priuum dabitur tibi, e *deuolet illuc,*
Res vbi magna nitet domino sene: dulcia poma,
Et quoscunq, feret cultus tibi fundus f *honores,*
Ante g *Larem gustet venerabilior Lare diues:*
4. h *Qui quamuis periurus erit, sine gente, cruentus*
Sanguine fraterno fugitiuus: ne tamen illi
Tu comes exterior, si postulet, ire recuses.
5. Vtne tegam spurco i *Damæ latus? haud ita* k *Troiæ*
Me gessi certans semper melioribus. 6. Ergo
Pauper eris. 7. Fortem hoc l *animum tolerare iubebo:*
Et quondam maiora tuli. 8. Tu protinus vnde
Diuitias, m *eriq, ruam, dic, augur, aceruos.*
Dixi equidem, & dico: captes astutus vbiq,
n *Testamenta senum: neu si* o *vafer vnus & alter*
Insidiatorem præroso fugerit hamo;
Aut spem deponas, aut artem illusus omittas.
9. Magna, minórue foro si res certabitur olim,
Viuet vter locuples sine natis, improbus, vltrò
Qui meliorem audax vocet in ius: illius esto
Defensor: famâ ciuem caussâq, priorem
Sperne, domi si natus erit, fœcundáue coniux.
10. Quinte puta: aut Publi (gaudent prænomine molles
p *Auriculæ) tibi me virtus tua fecit amicum:*
Ius anceps noui: caussas defendere possum:
Eripiet quiuis oculos citiùs mihi, quàm te
Contemtum q *cassâ nuce pauperet: hæc mea cura est,*
Nequid tu perdas, neu sis iocus. Ire domum, atq,
r *Pellicula m curare iube. Fi cognitor ipse:*
11. Persta atq, obdura: s *seu rubra canicula findet*
t *Infantes statuas: seu pingui tentus omaso*
Furius hybernas cana niue u *conspuet Alpes.*
Nonne vides (aliquis x *cubito stantem propè tangens*
Inquiet) vt patiens? vt amicis aptus? vt acer?
Plures y *annabunt Thynni, & cetaria crescent.*
12. Si cui præterea validus malè filius in re
Præclara sublatus aletur: ne manifestum
Cælibis obsequium z *nudet te, leniter in spem*
aa *Arrepe officiosus, vt & scribare secundus*
Heres: & si quis casus puerum egerit Orco,
In vacuum venias. Perrarò hæc bb *alea fallit.*
13. Qui testamentum tradet tibi cunq, legendum,
Abnuere, & tabulas a te remouere memento:
Sic tamen, vt limis rapias, quid prima secundo
Cera velit versu, solus, multisne coheres,
Veloci percurre oculo. 14. Plerunq, recoctus
Scriba ex Quinqueviro cc *coruum deludet hiantem:*
Captatorq, dabit risus Nasica Corano.
15. Num furis? an prudens ludis me obscura canendo?
10 *O Laertiade, quicquid dicam, aut erit, aut non:*
Diuinare etenim magnus mihi donat Apollo.
16. Quid tamen ista velit sibi fabula, scilicet, edo.
Tempore, quo dd *iuuenis Parthis horrendus ab alto*
Demissum genus Aenea, tellure; mariq,
Magnus erit; forti nubet procera Corano
Filia Nasicæ metuentis reddere ee *soldum:*
Tum gener hoc faciet: tabulas socero dabit: atq,
20 *Vt legat, orabit: multùm Nasica negatas*
Accipiet tandem, & tacitus leget, inuenietq,
Nil sibi legatum, præter plorare, suisq,.
17. Illud ad hæc iubeo: mulier si fortè dolosa,
Libertúsue senem delirum temperet; illis
Accedas socius: ff *laudes, lauderis vt absens.*
Adiuuat hoc quoq, 18. sed vincit longè priùs ipsum
gg *Expugnare caput. Scribet mala carmina vecors?*
Laudato: scortator erit? caue te roget: vltrò
30 *Penelopen facilis potiori trade. 19. Putásne,*
Perduci poterit tam frugi, tamq, pudica?
Quam nequiére proci recto depellere hh *cursu?*
20. Venit enim magnum donandi parca iuuentus,
Nec tantum ii *Veneris, quantum studiosa culinæ:*
Sic tibi Penelope frugi est: quæ si semel vno
De kk *sene gustárit, tecum partita lucellum,*
Vt canis, a corio nunquam absterrebitur vncto.
40 *21. Me sene, quod dicam, factum est: anus improba Thebis*
Ex ll *testamento sic est elata: cadauer*
Vnctum oleo largo: nudis humeris tulit heres:
mm *Scilicet elabi si posset mortua, credo,*
Quòd nimiùm institerat viuenti. Cautus adito:
Ne desis operæ, néue immoderatus abundes.
Difficilem & morosum offendet garrulus: vltrò
Non etiam sileas. Dauus sis Comicus atq,
50 *Stes capite obstipo, multùm similis metuenti.*
Obsequio grassare: mone, si increbruit aura
Cautus vti velet carum caput: extrahe turbâ,
Oppositis humeris: aurem substringe loquaci.
Importunus amat laudari? donec, nn *ohe, iam*
Ad cælum manibus sublatis dixerit; vrge, &
Crescentem oo *tumidis infla sermonibus vtrem.*
22. Quum te seruitio longo curâq, leuârit:
Et certum vigilans, quartæ sit partis Vlysses,
Audieris, heres: ergo nunc Dama sodalis

Nusquam

Nusquam est? pp *vnde mihi tam fortē, tamq; fidelē?*
qq *Sparge subinde: & si paulùm potes, illacrymare, est*
Gaudia prodentem vultum celare sepulcrum
Permissum arbitrio sine sordibus exstrue, funus
Egregiè factum laudet vicinia. 23. *Si quis*
Fortè coheredum senior rr *malè tussiet, huic tu*
Dic, ex parte tua seu fundi, siue domus sit
Emtor, gaudentem nummo te addicere. Sed me
Imperiosa trahit Proserpina: viue, valeq;.

Analysis Dialectica.

QVemadmodum duæ personæ inducuntur inter se colloquentes, de via & ratione conficiendæ pecuniæ noscenda, καὶ ἀδιαλείπτως καὶ ἀναιχώτως eadem amissæ reparandæ tenenda: ita duæ artes, Μαντική τε καὶ χρηματιστική notatur, vel potiùs earum abusus in Romanis maximè reprehenduntur. Chilon enim vnus e septem docet, μαντικὴν μὴ ἔχθαιρε, cui prouerbium senarium conuenit:

Μάντις δ' ἄριστος, ὅστις εἰκάζει καλῶς,

quòd interpretatur Cic.

Bene qui coniciet, vatem hunc perhibeto optimum.

de quo optimo vaticinandi genere vide l. 1. Cic. de divin. Ars autem quæstuaria ijs rebus exercenda est maximè, a quibus quærendis abesse omnino videtur turpitudo: sed de ratione ex legibus & contra leges diuitias parandi audiatur Theognis:

Χρήματα δ' ᾧ διόθεν καὶ σὺν δίκῃ αὐξεῖ γένηται,
Καὶ καθαρῶς, ἀεὶ καὶ μονιμὸν τελέθει.
Εἰ δ' ἀδίκως παρὰ καιρὸν ἀνὴρ φιλοπέρδελος θυμῷ
Κτήσεται, ἐξ' ὄρνυ πάρ τὸ δίκαιον ἑλών,
Αὐτίκα, μὲν τὶ φέρειν κέρδος δοκεῖ· εἰς ὃ τελεύτην,
Αὖθις ἔγεντο κακόν. Θεῶν δ' ἐπέρτερε νόος.
Cui diuinitus, iustè candideq; opes contingunt,
Illæ semper constanterq; permanent.
Quòd si quis iniustè alieno tempore & animo questus auido
Eas parârit: siue iurando contra iustum & æquum ceperit,
Statim quidem initio videntur prodesse, sed tamen
Nocent: mens enim Deorum est his superior.

Hæc autem consultatio Vlyssis & Tiresiæ περὶ τῶν χρηματίζεσθαι, tragicum quoddam argumentum sapit hac vaticinij specie, atque videtur breui exordio, præparanti vatem ad prædicendum, & narratione præceptorum constare. Sed initiò Vlysses proponit *quæ via sit rei amissæ reparandæ*: quam Tiresias initiò recusat docere e factis Vlyssis diuersis: *Qui consilium petit, nec illud posteà sequitur, apertè ludit consulentem, & impudens est, si ad eundem redit consilij caussâ: Vlysses igitur est irrisor impudens.*

2 Vlysses omnem consilij iterum dandi recusationem Tiresiæ adimit ex adiunctis, quæ a priore vaticinatione ipsi acciderant, & ita possunt iudicari: *Quicquid Vlysses priùs habebat & iure belli peperierat, naufragio periit: quicquid etiam reliquerat domi vxori ac liberis, consumtum est a procis. Itaq; Vlyssi ineunda est omnis ratio tāta damna resarciendi*: complexio approbatur minorum collatione, *quòd vir inops, genere & virtute quàmlibet clarus, habeatur vbique contemtior abiectiorq; vilissimâ quæque re: Quare priuata sunt illi quærendæ opes.*

3 Iam Tiresias inopiam Vlyssis miseratus nouoque illius casu persuasus, aggreditur ad præcipiendum, quâ ratione factam bonorum iacturam feliciori nauigatione ille posit recuperare: *ac primùm* inquit, *hoc tuum erit studium atque delectus, vt ditissimi cuiusq; senis domum obserues, & in ipsius familiaritatem te minutis munusculis insinues.* Hoc consilium petitum est e Categoria subiectorum, vnde sequentia etiam præcepta ferè sumentur. Nam in talem domū sic Vlyssem collimare iubet, vt nusquam aliò dimoueat oculos: sed imitetur apes & formicas οἷς ἐστι ἑτέρη τοχασμὸς ὀλέης, ὀλὲ φρονεῖς, πλὴν ὅτι ἐπιχείρησαν ἅπαξ ἔργῳ. *Quæ nusquam aliò collimāt, nihilq; aliud curant, nisi opus semel susceptum.* Quàm autem studiosè in hanc debeat incumbere curam, primùm declarat minorum collatione: *quòd ille senex maiori obseruantiâ & studio sit ab eo colendus, quàm Lares ipsi atque Penates, quibus solent primitiæ frugum consecrari.*

10 4 Eódem consultor vocatur e loco diuersorum, *vt nunquam se honoris gratiâ abstrahat a comitatu diuitis senis, qualiscunq; ille fuerit, vir bonus vel malus, clarus vel obscurus, liber vel seruus, sanguinis purus vel homicida, sed illi semper adsit παραστάτης, tanquam alarius miles, modò talibus officiis spes sit augendæ rei familiaris.*

5 Ratio huius consilij displicet Vlyssi, quo iubetur hominem impuræ & seruilis conditionis honorificè domum vel deducere, vel reducere, vel, quocunque ire velit, diligenter sequi: cui officij generi demon-
20 strat turpitudinem esse coniunctam ex adversis & paribus: *semper*, inquit, *mihi vsus fuit & consuetudo cum optimis & præstantissimis quibusque viris, & cum his virtute certaui, quos tamen colui & amaui: itaque nec honestè in congressus improborum & obscuriorum venire, nec eos non malè odisse ac fugere possum.*

6 Magni quidem certè excelsique animi, æqui ac moderati illa fuit recusatio: sed quia obiecto paupertatis metu cœpit Vlysses statim labare, magis indicat inanem eius ostentationem, quàm veram ipsius for-
30 titudinem: atque adeò hinc facilè constat, nihil tum Romæ honestas rei faciendæ artes valuisse. In priori certe sententia permansisset Vlysses, si Chilonem audire voluisset: Ζημίαν αἱρῆ μᾶλλον, ἢ κέρδος ἀκαρὲς· ἢ μὲν καὶ ἅπαξ ἐλύπησε· τόδε δὲ διὰ παντός. *malis damnum, quàm turpe lucrum: illud enim semel parit dolorem: hoc verò semper.*

7 Magnitudo periculi indicatur his verbis, in quo versatur is, qui ab honestate deficit ad talem vtilitatem: quod tamen e maiorum collatione confidit se fortiter subiturum:

40 8 Iteratur superius consilium *de captandu cautè testamentis senum* ex adiuncto perseuerandi studio in proposito.

9 Instruitur alterum præceptum & techna ex eadem Categoria subiectorum, diuersè tamen tractandorum: *vt e duobus opulentis litigatoribus defendendam eius caussam suscipiat, qui fuerit sine liberis, temerarius, scelere ac flagitij contaminatus: Caussam autem alterius defendat, qui vir bonus fuerit, iustus litigator, ornatus vxore legitimâ, fœcundâ & masculâ prole.*

50 10 Ratio conueniendi huius senis & forma instituitur primùm ex adiuncta *honorij præfatione*, deinde ex efficiente: tum variis adiunctis & effectis defensoris futuri: postremò minorum contentione: *allectus sum*, inquit, *& attractatus in tuam amicitiam vt eximiæ virtutis tuæ, atque talem iuris ambigui intelligentiam habeo, vt illud trahere possim in vtrámque partem: & exercitatus quoque ita sum in caussis fideliter agendis, vt effodiantur oculi priùs mihi, quàm te finam vel tantillū detrimentum vel ludibrium*

accipere ex hac lite. Hic captator pollicetur captando studium & operam suam per id velut iurans, quo nihil est hominibus cariùs, vt canit Catull. ad Quinct.

Eripere ei noli, multò quod carius illi est oculis.

idem in Caluum.

Ni te plus oculis meis amarem iucundissime Calue:

vnde summa significatur captatoris diligentia & sollicitudo, qui ob id sic infert: *itaque illam crede mihi vni: cætera quietus & securus esto, me cognitore, rerumq; tuarum procuratore.*

11 Admonitio est Tiresiæ ex adiunctis, *vt neglectâ qualibet cæli inclementiâ, permaneat Vlysses in susceptæ diuitis senis defensione obfirmato animo: ex qua toleratione frigoris & æstus sibi mox colliget incredibilem calliditatis & solertiæ famam a cæteris litigatoribus, qui posteà certatim patrocinium ipsius expetent, suaq; negotia non sine magna re ipsi credent omnia.*

12. Tertium est Tiresiæ præceptum & techna ex eodem topico, *vt e diuitibus deligat eum ad chrematisticen, cui vnicus sit filius, isque valetudinarius & moribundus, quem manet opima, præclaraq; hereditas*: quod consilium duplici fine illustratur: *non te oportet in amicitiam huius calibis senis aperto cultu manifestáque obseruantiâ statim adrepere, ne, quâ mente, quo consilio, quáque spe istud officij præstes et, animaduertatur & inuideatur: sed id tibi dissimulanter faciendum est, vt tu in tabulis tua scribaris heres secundus & hereditatem filij mortui facilè cernas, de cuius spe perrarò quisquam deijcitur, qui his vestigiis insistit.*

13. Dissimulationis forma præscribitur e diuersis: *quamuis testator tradiderit tibi suum testamentum, vbi te scripsit heredem, legendum: noli tamen vel rogatus illud, nisi furtim, legere, quid in secundo versu tabulæ ceratæ scriptum sit & remoueas a te tabulas. Ita minùs ille te suspicabitur captatorem esse sui.*

14. Superior dissimulandi forma confirmatur exemplo, quo suadet Vlyssi *diligenter prouidendum & cauendum, ne dum studet captare senem, a sene testatore ipse capiatur, vt captator Nasica socero accidit a Cerano genero suo vafro & astuto cum maximo ludibrio.*

15. Ex obscuritate proximi exempli Vlysses facetè conijcit, *Tiresiam aut numine fanatico & fatidico corripi, aut cauillari*: quâ tam sinistrâ opinione leuatur ex efficiente talis exempli & præcepti, *quum illud acceperit ab Apolline: qui quod prædixit, vel futurum vel non futurum, id nunquam aliter euenire potest, atque prospexit.*

16. Quia Vlysses pro fabula commentitia illud exemplum ac vaticinium ducebat, Tiresias cogitur id narrare, tanquam longè futurum: vbi Augustus primùm e procreante caussa prædicatur non sine occulta animaduersione: deinde gener & socer e factis describuntur.

17. Quartum est præceptum & techna ex eodẽ fonte deducta, quo tamen præter scopum principem, *qui est opulentus senex & delirus*, accedunt alii duo *mulier dolosa & libertus præcipui huius senis ministri, quos quidem omnes laudare præsentes decet, atq; absentes*: cuiusmodi consilium Isocrates dedit Demonico: Οὓς ἂν βούλῃ ποιήσασθαι φίλους, ἀγαθόν τι λέγε περὶ αὐτῶν πρὸς τοὺς ἐπαγγέλλοντας· ἀρχὴ γὰρ φιλίας ἔπαινος, ἔχθρας δὲ ψόγος. *quos vis tibi parare amicos, bene & honorifice de iis apud eos dicas, qui sunt ipsis renunciaturi. Principium enim amicitiæ est laudatio, inimicitiæ verò vituperatio.* Confirmatur hoc præceptum fine, *vt ipse vicissim ab illis laudetur.*

18. Idem illustratur collatione maiorum: *Conciliandæ quidem tibi est amicitia domesticorũ, qui & plus aliis possunt, sed multò magis illa Domini, quod fit, si omni ratione & obsequio ipsius libidini satisfacias: vel tuam ipsius vxorem illi dabis minimè rogatus.*

19. Vlysses reiicit consilium, ὡς ἀδιάφορον, ὅτι καλὴν, collatione maiorum: *quòd Penelope tam studiosa pudicitiæ adhuc fuerit, vt iuuenibus integra, amantibusq; formosis nunquam sui copiam fecerit, quamuis ipse domo abfuit: multò igitur minùs decrepito seni faciet.*

20 Tiresias refellit, vel certè multùm extenuat argumentum Vlyssis de tam constanti & diuturna vxoris castitate: primùm ex aduersis *procorum nimiâ & illiberali parsimoniâ: pro qua si contrà largitate in vxorem vsi fuissent, & tanquam ariete duro murum illius aheneum percussissent, non dubium erat, quin facilè illum subruissent, locosq; mulieris statim expugnassent*, vt Medici loquuntur: deinde maiorum collatione confirmat, *quòd procos ambitiosiùs mensam Penelopes consectarentur, potioremque ducebant, quàm ipsius venustatem*: tum idem refutat experientiâ, argumento aliunde sumto, *is est*, inquit, *certus tibi sensus de continentia vxoris, qui solet esse optimo cuique marito*: ex hoc Phocylidis consilio, μὴ προαγωγεύσῃς ἄλοχον σὴν τέκνα μιαίνων, *ne perducas vxorem tuam liberis tuis notam inurens: Sed si illa oppugnaretur amplissimis muneribus senis, longè aliter sentires*: quod postremum similibus illustratur: *vt canis, vbi ad lanienam accessit, intestinaque semel illic gustauit, vix, ac ne vix quidem, inde potest abigi: sic vxor tua opibus senis semel capta, & illas secum partita, ab illo, tantisper dum viuet, vix poterit auelli.*

21. Aliud & postremum est præceptum *de cauta capiãdi senis ratione, ne idem ex ea, si importuna odiosáque fuerit, accideret Vlyssi, quod cuidam nimis officioso heredipetæ meminit Tiresias, quum in vita esset, ab anu astuta euenisse: vt lege & conditione testamenti magis videretur captus & illusus ab ea captator, quam contrà hac ab illo.* Ad hanc equidem parium comparationem arbitror varis cohortationem pertinere: quæ e disparatis primùm instituitur: *Senex & anus diuites, neque nimiâ obseruantiâ officióque molesto colendi sunt, neque captatores iisdem oportet deesse vllo studio, operâ & obsequio. Itaque vt gratiam vtriusq; aucupentur, seruandus illis modus in factis dictisque omnibus, quæ in vtrúmque ab illis conferentur.* Deinde eadem admonitio illustratur similitudine: *Vlysses partes callidi & astuti captatoris acturus est, si quemadmodum Dauus ille Comicus se gerere erga suum herum insuetus, dum nihil, nisi ad arbitrium & nutum ipsius, obsequio seruili & timido hypocriticoq; gestu facit: nihil, nisi ad interrogata respondet, nihil denique ab eo percontari audet: Sic Vlysses in præstando seni officio & opera, dandóque consilio & laudando ostendat se moderatum, & laudationem persequatur, donec senex signum dederit percepta lætitiæ ex ipsius laudatione.*

22. Ad extremum vates consulit Vlyssi ex factis & fine *vt si anteà probè functus sit assentatoris & captatoris munere, non minùs solertem se dedat ad simulandum testatori desiderium suum, ad illum mortuum lacrymis decorandum, ad funus egregiè faciendum, ad exequias denique omni ratione cohonestandas, vt ex officio tam pio & grato colligat sibi totius vicinitæ commendationem: ostendat se velle illum viuum & saluum, quem, si optata euenirent, non reuiuiscere optaret.* Hoc certe consilium grauissimum difficilimumque videtur obseruatu ei, cui magnum contigerit bonum: e quo nulla fere capitur voluptas aut vtilitas, nisi cum aliquo amico communicetur: quomodo Cicero in Lælio refert dictum ab Archyta Tarentino: *si quis cælum ascendisset, naturamq; mundi, pulcritudinemq; siderum perspexisset; insuauem illam admirationẽ ei fore, nisi aliquem, cui narraret, habuisset.* Itaque Pamphilus in Andr. Act.

5. Sc.

5. Sc. 5. exoptat sibi dari aliquem, cui impertiat sua gaudia. Idem facit Chærea in Eunucho Act. 3. Sc. 5.

23. Hoc quoque est hominis ad dissimulationē longè eruditissimi, *proponere coheredibus suis sortem, quæ ipsi cessit testamento, quàm minimo venalem, vel, si velint, etiam donandam.*

24. Tiresias fingit se reuocari a Proserpina imperatrice mortuorum, quorum vmbras illa non sinit, nisi in caliginosa nocte, quicquam effari: vnde coniectandum est, diluculum in propinquo tum fuisse. Quare vaticinandi finis sic factus est.

Enarratio Grammatica

Tiresia.] De hoc Tiresia vate & Vlyssis descensu ad ipsum apud inferos consulendum, lege librū Odyss. κ. sub finem, & lib. χ. initiò vnde disces prædictionem caussæ, cur ad tantam inopiam adactus sit Vlysses: quod in præsentia satis mihi est tibi indicasse: sed tamen aliquid de nomine & fabula Tiresię paucis perstringam ex Eustathio in locum priorem: vbi ita legitur: Οτι δὲ Θηβαῖος ὁ Τειρεσίας, καὶ ὡς παρὰ τὸ εἴρειν ἐτυμολογεῖται· ἢ παρὰ τὰ τείρεια, ὅ ἐστιν ἄστρα, καὶ ὡς τύφλος ἦν, λέγουσιν οἱ παλαιοί. Veteres memorāt Tiresiam Thebanum fuisse, & a vaticiniis dicendis & a nunciis perferendis veritatem nominis, (vt Irin) vel ab astris invenisse, atque cæcum fuisse. Φέρεται δὲ περὶ αὐτῆς μυθικὸς λόγος, ὅτι δρακόντας σὺν Κιθαιρῶνι μιγνυμένους εἶδεν, καὶ τὴν θηλειαν ἀνεῖλεν μετέπεσεν εἰς γυναῖκα. εἶτα συγκατευνηθεὶς μετὰ καιρὸν καὶ τὸν ἄρρενα, τὴν οἰκείαν φύσιν ἀπέλαβε. τοῦτον Ζεὺς καὶ Ηρα διαφερόμενοι περὶ τῆς ἥδονται, οἷα πεπειραμένον ἑκατέρας φύσεως, εἰ ἄρα μᾶλλον τὸ ἄρρεν ἢ τὸ θηλυ συνεργοῦσα γένοιτο. ὁδ' ἐγνωμάτευσε πῶς ἐμμέτρως, ὡς εἴπερ σὺν δέκα μοιρᾶν εἶη τὰ τῆς τερπωλῆς, τὰς ἐννέα ἐμνῆσε γυνὴ τέρπεσα νόημα. ἐφ' ᾧ ὥρα μὲν ὀργισθεῖσα ἐκτυφλοῖ αὐτόν. Ζεὺς δὲ δωρεῖται τὴν μαντικήν, ὡς ἔχειν ἄτω καὶ αὐτὸν ἀγαθόν τε καὶ κακόν τε, τὸ μὲν τὴν μαντοσύνην, τὸ δὲ τὴν ἀλαωτόν. id est, *Narratur de eo fabula, quòd, quum in Cytharone dracones vidisset commixtos & femellam occidisset, mutatus est in mulierem. Deinde aliquo post tempore delapsus & incidens in masculum, propriam naturam recuperauit. Iupiter & Iuno in contentione hunc delegerunt iudicem, tanquam vtriusque naturæ peritum, ex vtro maiorem cepisset voluptatem, e sexúne virili suo, an muliebri. Hoc igitur ille cepit consilium pro modo vtriusq; iudicandi, vt rei voluptariæ in decem partes distributæ mulier animum oblectando nouem expleret: quâ re Iuno grauiter offensa illum occæcauit* (vnde σωφοκλοχιῶς pro quovis cæco posteà citatus est, vt Iuuenalis versu postremo Satyræ 13.

——*Fallere lætus*
Nec surdum, nec Tiresiam quenquam esse Deorum)

Iupiter autem artem diuinandi donauit, vt hoc modo ipse & bono & malo afficeretur, diuinatione & cæcitate. Cicero l. 2. de natura Deorum annumerat huic Tiresię quattuor augures alios scientiâ res futuras prædicendi ac præsentiendi insignes, Mopsum, Amphiaraum, Calchantem, Helenum. Quantum autem ille primus valuerit vaticinandi arte, ostendit Sophocles in Οἰδιπ. Τυραν:

Τ' ἀληθὲς ἐμπέφυκεν ἀνθρώπων μόνῳ,
Ω παντα νωμῶν Τειρεσία δεδάκατε,
Αρρητά τ' ὀρανιά τε, ἠ χθονοστιβῆ:

Tiresia inter homines soli est innata rerum verarum scientia,

O Tiresia, qui indicas & docenda & tacenda, & cælestia & subterranea spectas omnia &c: Iupiter tamen sibi diuinationem arrogat in fine Amphitruonis Plautini, quum monet, *mittendos esse omnes Ariolos, Aruspices, se, quæ futura & quæ facta sint, eloquturum*: quo suasu Amphitruo posteà dicit, *missum faciam Tiresiam senem*, de quo citat Donatus hos versus Lucillij Act. 2. Sc. 3. in descriptione senis cuiusdam, maximeque ad verbum, *gemens*, quod annotat fieri ob continuam tussim: sic, inquit Lucillius, *Perditus ante fores autem & triclinij limina quidam Perditus Tiresia tussi grandæuus gemebat.* Plura in Eustathio lege de Tiresia ex Callimacho & Sostrato. De Vlysse autem quid amplius exspectas, quàm quod passim narratur ab Homero in vtroq; opere? nisi velis Charites Theocriti audire de ipso:

Εἰ μὴ φυλοπίδας προτέρων ὕμνησαν ἀοιδοί.
Οὐδ' Οδυσσεὺς ἑκατόν τε καὶ ἑπτά τε μεῦας ἀλαθεὶς
Γαῖαν ἐπ' ἀνθρώπους. ἄιδαν τ' εἰς ἔσχατον ἐλθὼν
Ζωός, καὶ ασπήλυγγα φυγὼν ὀλοοῖο Κύκλωπος,
Δυναιὸν κλέος ἔχεν ——

Si prœlia maiorum non cecinissent Poetæ;
Neq; Vlysses, qui centum & viginti menses
Errauit per omnes gentes, & ad extremum
Descendit ad Orcum ipsum, euitato sæui
Cyclopis antro, tam diuturnam obtinuisset gloriæ famam.

Hæc quoque responde.] Hoc genus compellandi vatis est παθητικὸν & concitatum: ideoque validè accōmodatum homini paupertatis metu cruciato & properanti ad liberationem illius quærendam per terram & per mare simul: sic enim affici hominem diuescendi cupidum docet Theognis:

Σπεύδει ἀνὴρ κέρδος δίζημενος, ὄντινα δαίμων
Γρόφρων εἰς μεγάλην ἀμπλακίην παράγει.
Καὶ οἱ ἔθηκε δοκεῖν τὰ μὴ ἢ κακά, ταῦτ' ἀγαθ' εἶναι
Εὐμαρέως· ἀεὶ δ' αὖ ἢ χρήσιμα, ταῦτα κακά.

Qui festinat lucrum facere, propensa est fortuna
Ad eum inducendum in grauissimum errorem:
Illúmque eò adducit, vt facilè putet alia quidem esse bona,
Quæ sunt mala: alia verò mala, quæ sunt vtilia & bona.

Hanc quoque sententiam videtur Cicero expressisse 3. de Officijs ad hæc verba *Periclitemur, si placet, & in his quidem exemplis, in quibus peccari vulgus hominum fortasse non putat: quorum hoc vnum est de falso testamento L. Minutij Basilij locupletis hominis: vbi censet veras hereditates non sibi honestas videri, si sunt malis ipsis blanditiis officiorum; non veritate, sed simulatione quæsita. Itaque Solon illarum donationes nolebat suis legibus esse ratas*: de quo vide Plutarchum in ipsius vita. Hæc sunt præcipua vitia, quę Horatius facetè studet in Vlysse, id est, in hominibus Romanis sui temporis, notare.

Præter narrata.] Præter illam prædictionem mei reditus in patriam, quæ longè ante præsentem mihi a te narrata fuerat.

Quibus artibus:] Εξ οἵων τρόπων καὶ τέχνων, ἢ κατὰ τρόπους καὶ τέχνας τινάς, quod e litera videtur intelligendum, tanquam diceretur, quo iure, quâque iniuriâ illa hereditas amissa reparetur, aliaúe bonorum adeptio cernatur. Hîc res amissæ dicuntur, quæ consumtæ sint ac perditæ frequentibus Procorum & assiduis epulationibus & naufragiis. Aliter in iure *amittere res de manibus* significat vacuare manus Gallicè, *desesir.*

Dolosa.] Quàm insignis fuerit olim artifex dolorum Vlysses, dictum est Od. 6. l. 1. vbi vir duplex vocatur, ideoque satis cautus Tiresiæ videbatur in periculis omnibus declinandis, nisi patriæ posthabuisset immortalitatem.

Ithacam.] Cuius tanto desiderio visendæ tenebatur, vt sapientissimus ille vir dicatur immortalitatem repudiasse e lib.2. de legib. Ciceronis, & ex Odysseæ α desumto:

Αἰεὶ δὲ μαλακοῖσι καὶ αἱμυλίοισι λόγοισι
Θέλγε, ὅπως Ἰθάκης ἐπιλήσεται, αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς
Ἱέμενος καὶ κατνὸν ἀποθρώσκοιεν ἰδέσθαι
Ἣ γαίης θανέειν ἱμείρεται.
Semper blandis & captiosis verbis Calypso
Demulcebat Vlyssem, vt Ithacam obliuione deleret: 10
Contrà ille exoptans videre fumum e patria exsilientẽ
Deliget mortem.---

Hæc dicuntur a Minerua precanti reditum Vlyssi in in patriam a Ioue, qui detinebatur a Calypsone Atlantis filia in Ogygia insula mari cincta Idem ipse Cicero lib.1.de Orat. describit hũc virum & ipsius patriam: *cuius rei tanta vis ac natura est, vt Ithacam illam in asperrimis saxulis, tanquam nidulum, affixam sapientissimus vir immortalitati anteponeret.*

Reuehi.] Ellipsis est præpositionis præponi solitæ 20 nominibus proprijs maiorum locorum.

Penates.] Hos Græci dicunt θεὸς πατρῴους, vt Ode 12. lib.1.de Laribus ostendimus etiam ex Virgilio Deos patrios nominari. Erant autem olim sui cuique penates domi: quorum etymon huiusmodi est Ciceroni lib.2.de nat. Deor. *Penates a penu dicti sunt. Est enim omne, quo vescuntur homines penus: aut ab eo, quòd penitus insident*, vnde & penarij & penetrales Di dicti sunt

O nulli mentite.] Qui nunquam dolosè & improbè 30 quenquam fefellisti, id enim valet τὸ mentiri, vt Agellius e Nigidio notauit lib.11 cap.11. Profitetur Vlysses veritatem prioris vaticinationis sibi tum exstitisse, quum contra prædictionem tanta & rerum & hominum iactura facta est. Ita Chorus senum Thebanorũ in Oedipo Tyranno Sophoclis nunquam animum Tiresiæ frustra præsagisse casus futuros prædicat, & diuinâ præsagitione cum Apolline exæquare eum non veretur:

Ἀναξ ἄναξι ταῦθ' ὁρῶν ἐπίσταμαι
Μάλιστα Φοίβῳ Τειρεσίαν. παρ' ὃ τις αὖ
Σκοπῶν τάδ' ὦ ναὲ ἐκμαθοι σαφέστατα.
Noui optimè Tiresiam regem eadem præsagire,
Quæ rex Apollo solet: ex quo quis possit
Cogitando hæc verissimè discere.

Hic scholiastes monet Apollinem naturâ quidem & Deum & regem esse: Tiresiam verò vtriusque nominis honore ab hominibus exornari propter veras ipsius prædictiones.

Aut apotheca.] Hæc vox e Græco fonte emanauit, & ex ea verbi ἀποτίθεσθαι notione, quæ valet fructus condere & recondere, & quâ Cicero in Vatinium vtitur, *quum omnium domos, apothecas, naues furacissimè scrutaueris*: ex eo autem Columellæ loco lib.1.cap.6. videtur aliquid interesse inter apothecam & cellam. Pars fructuaria diuiditur in cellam oleariam, torcularium, vinariam & defrutariam, fœnilia, palearia, & in apothecas & horrea.

Nisi cum re.] Cicero ita loquitur in præfatione de senectute, *quibus affatur Flaminium ille vir haud magna cũ re, sed fidei plenus*, quanquam Erasmus hic ex auctoritate huius Poetæ putat legendum in re: sed locum istum nondum comperi: parum tamen refert vtrum legas, quum vtrobique vis flexionis remaneat in voce re. Valet igitur quod Cicero 2. de Offic. dicit, *nisi rem magnam habeat.*

Algâ.] Od. 17. lib. 3. dicta est hæc herba inutilis & φῦκος θαλάσσιον; ideo vide plura ibidem & Od.5. eiusdem libri.

Quando.] Hæc vox est ἀντιλογικὸν μέρος: ὁ γὰρ ἐν ῥήματι, vt ibidem docui.

Accipe.] Valet hoc loco, quod Græci dicunt λάμβανε οὐ νόῳ, ἢ οὐ ταῖς γνώμαις, mente complectere, frequentius tamen εἰς νοῦν ἐμβάλλειν ἢ οὐ θύμῳ ἢ φρεσὶ τινα βάλλειν, mente concipere & reponere.

Turdus.] Quanti fecerint hanc auem opsodædali ostendimus Sat.5 lib.1.

Siue priuum.] Id est, rarum & singulare: quod puto aptè reddi posse Gallicè *si quelqu'un te donne quelque chosse de son propre & partilier par amitre, fai lui en vn present.* Nam quod sic aliunde nobis obuenit, potest etiam propriè dici priuatum. Præterea in *turdus*, desiderari videtur coniunctio altera disiunctiua, siue turdus siue aliud priuum tibi dabitur, ad senem diuitem statim cura perferendum, vbi res nitet, id est, est ampla, præclara, copiosa: vt loquutus est Sat.2.l.1.& hic mox loquetur.

Dulcia poma.] Quæ Græcè dicuntur γλυκέα μῆλα a Theocrito in Cyclope: ad hoc autem nomen aliter addidit Epod.2.

Vel quum decorum mitibus pomis caput
Auctumnus aruis exturit.

more Virgilij *Sunt nobis mitia poma.*

Fundus.] Fundus definitur a Festo ager planus ad similitudinem fundi vasorum: Varro tamen & Seruius in versum lib.2. Georg. *diues opum variarum, & latis otia fundis* deflectunt vel a fundendo, vel a fundamento, quòd res vel fundat & proferat, vel earum sit fundamentum. Eódem redit definitio Seruij ibidẽ, fundus est ager, qui quòd videbatur pecudum ac pecuniæ esse fundamentum, sic dictus est, aut quòd fundit quotannis multa.

Ante Larem.] De Lare dictum est Ode 12. lib.1.

Sine gente.] Hoc valet ignobilis & obscurus: quod Sat.6.lib.1. dixit, *nullis maioribus*: contrà gentilis est, vt Cicero in Topicis definitione declarat e Scæuola, qui communione nominis cum alijs continetur, ab ingenuis oriundus, cuius nemo maiorum seruitutem seruiuit, nec capite est diminutus.

Sanguine fraterno.] Id est, fratricida & sicarius: denique nulla tibi habenda est ratio, nec virtutis nec vitæ, apud quem vides tibi spem lucri refulgere, omnemq; viri iusti existimationem recusare, & te ad mores & normam quidlibet agentis effingere & conformare oportet, ex quo quæstum possis captare. Longè fuit aliud Hesiodi consilium ad Persam fratrem, imò verò multò sanctius ac verius:

Μὴ λαπὰ λοῤῥαίνειν· λαπὰ λέῤῥεια ἴσα ἄτησιν.
Ne captes mala lucra: hæc enim sunt paria damnis.

Tu comes.] Hoc quidem certè præceptum admodum est morale, vt senibus concedamus locum honoratiorem inter viam ponè sequentes vel ad latus illorum sinistrum incedentes, quomodo piè Phocylides tradidit:

Αἰδεῖσθαι δὲ πολιοκροτάφους, εἴκειν δὲ γέρουσιν
Ἑστῶς καὶ γράφων παντῶν· γονέων δ' ἀτάλαντον
Γηροβοῦ ὁμηλικα πάτρος ἴσοις τιμᾶσι γέραιρε.
Decet reuereri canos senes & loco & honoribus omnibus 60
Cedere senibus: ætate autem æqualem
Pari honore affice senem, quo patrem.

Sed hoc officij genus candido animo præstandum est, non doloso & insidioso, ne hac simulatione pietatis videaris hereditati illius inhiari.

Exterior.] Id est, sinisterior, vt in parte minùs honorata: sicut interior, qui tenet partem dextram, magis honoratam.

Vt ne tegam.] Ne, est hic interrogantis Vlyssis cum indignatione, non prohibentis: sed meliùs legeretur, *vísne*: vbi explenda est indignantis Vlyssis sententia: sic ne iubes, vt vili & abiecto homini & seruili latus stipem sinistrum in comitatu honoris gratiâ? huiuscemodi honorem dicitur tribuisse Claudius Cæsar c.24. in ipsius vita à Suetonio, *Aulo Plautio etiam orationem decreuit, ingressoq; Vrbem obuiam progressus, & in Capitolium eunti, & inde reuertenti latus texit*: pro quo Eutropius dicit, *lævus incessit*, & Iuuenalis, *claudit latus.*

Damæ.] Huius Damæ mentio fit Sat.6.l.1.qui libertinus factus est tandem valdè opulentus: fit etiam ibidem duorum aliorum seruili conditione.

Melioribus.] Alij principes Græcanici exercitus intelliguntur, Agamemnon, Menelaus, Aiax, Achilles.

Fortem.] Hoc sumtum est ex Ὀδυσσ.ν. sub initium τέτλαθι δὴ καρδίη καὶ κύντερον ἄλλο ποτ' ἔτλης verba sunt Vlyssis ita se consolantis, ac potiùs μεταβατικῶς animũ increpantis, *perfer, anime mi, grauius tulisti aliud quondam.* Hunc versum etiam vsurpauit Cicero lib 9.Ep. 18.ad Atticum consolandum dolore graui Cæsareorũ consiliorum cruciatum, τέτλαθι, κύντερον, &c. *ne illud quidem nostrum proprium.*

Protinus.] Valet, dic continuè & deinceps, Gallicè *poursuiués.*

Vnde ruam.] Sumendũ est pro coniuncto, eruam & effodiam ingentem pecuniam: sicut in illo Aeneid.11:

--- & confusa ruebant Ossa focis.

pro eruebant e focis. In hoc autem verbo est allusio quædam ad mores senum auarorum, qui suos nummos vel humi defodere vel in foraminibus parietum, vel in arcis & scrinijs recondere sine arbitro solent.

Astutus.] Ego hîc puto antimeriam esse pro eo, quod Plautus dicit in Mostell. Act.5.v 21. Doctè & astutè captes senem, vel sis doctus & astutus captator insidiatorque senilis hereditatis. Hoc genus captatorum est notatum Epist.1.lib.1.

--- Sunt, qui
Crustu & pomu viduas venentur auaras,
Excipiantq; senes, quos in viuaria mittant.

Hamo.] Grammatici putant, hanc vocem παρὰ τὸ ἅμμα, τος, id est nexus & vinculum flecti: Græcè tamẽ dicitur propriè ἄγκιστρον, & Odyss. ἁ. ἰχθυάσσουν γναμπτοῖς ἀγκίστροισι, *piscabantur hamis vncis.*

Spem deponas.] Pro quo Orator dicit, spem abijciat potiundi, vel depellaris de spe & conatu, nec desinas insidiari propter tuam captationem semel atque iterum elusam.

Improbus.] Improbus debet construi cum *defensor* pro laboris patientissimus.

Caussaq; priorem.] Id est, qui meliorẽ habet caussam.

Sperne, &c.] Quod Græcè dicitur, ἀπειροφᾶ τε καὶ καταφρονεῖ πρόσερχ τῇ δίκῃ καὶ τῇ δόξῃ, i. *noli suscipere litem eius, qui alteri præstet nominis existimatione ac caussæ bonitate.* Hîc *caussa* sumi debet pro omni negotio, quod sit alicuius proprium. Caussam autem quidam hoc a re differre putant, quòd hæc latiùs patere videatur ad totum aliquod negotium indicandum: illa tantùm ad aliquam negotij partem significandam. Hîc equidem nõ possum non dubitare de veritate huius distinctionis, presertim quum passim apud Cic. legam vtramq; vocem per affinitatem notionis geminari, vt Epist.9. lib.1.ad famil. *accepit, quibus rebus adductus quamq; rem caussamq; defenderim.* Item l.2.Epist.6. *nunc tibi totam rem atq; caussam commendo atq; trado.* Item lib.12. Epist.4. *scriberem plura, si rem, caussamq; nossem.*

Quinte puta.] Vt rectè hæc formula præfandi intelligatur, meminisse debes, veteribus Romanis tres fuisse appellationes: prænomen, quod erat commune, cuiusmodi fuerunt Caius, Cneus, Decius, Lucius, Marcus, Postumius, Publius, Seruius, Sextus, Spurius, Tiberius, Titus, Quintus & similia: deinde nomen gentis, postremò cognomen familiæ: de quibus vide Carolum Sigonium & Onofr. Panninum. Contrà tamen sentit Plutarchus in Coriolano: vbi primum nomen erat proprium, secundum familiæ, tertium ascititium, vt exemplis demonstratur. Sed Plutarchi verba præstat subijcere: ἐπὶ τούτῳ τρίτον εἶχον ὄνομα τὸ Κοριόλανον, ὃ καὶ μάλιστα δῆλόν ἐστιν, ὅτι τῶν ὀνομάτων ἴδιον μὲν ὁ Γάϊος, τὸδὲ δεύτερον οἰκίας ἢ γένους κοινὸν ὁ Μάρκος· τῷδε τρίτῳ ὕστερον ἐχρήσαντο πράξεώς τινος ἢ τύχης, ἢ ἰδέας, ἢ ἀρετῆς ἐπιτεθέτῳ: id est, *ex hoc, nempe ex hac expugnatione Coriolanorum, tertium reportauit nomen Coriolanus: ex quo clarissimè constat e nominibus primum fuisse proprium Caium: alterum verò commune familiæ vel generis Marcum: tertium posteà fuisse ex actione aliqua, vel casu, vel figura, vel virtute indutũ.* Hoc tamen controuersum facit in vita C. Marij sub finem. Docet igitur hîc Tiresias, compellandos esse honorificis prænominibus senes diuites, a quibus rem exspectes. Præterea notandum τὸ puta ipsum esse verbi imperantis esse ἐπίρρημα ἐξηγητικόν, pro videlicet, aut verbi gratiâ, tu, Quinte, vel tu Publi, tua virtus attraxit me in amicitiam: pro quo assentatores Galli dicunt, *Mon seigneur vostre vertu*, &c. Hoc vocabulo etiam Priscianus dicit Persium fuisse vsum 4. Satyrâ, &, a, corripuisse:

Hoc puta, non rectum est? Illud malè, rectiùs istud.

vbi tamen contra Priscianum alij legunt hoc *puto*, quod rectius est.

Molles auriculas.] Id est, blanditijs assuefactas & titulis honorificis gaudentes.

Ius anceps.] Hoc Cic. modò ius varium, modò controuersum, modò scriptum ambiguum appellat, quod variè dici & trahi potest διὰ τὴν ἀμφιβολίαν καὶ ἀντινομίαν. Hîc fingitur captator senum a Tiresia, vt describitur veterator a Budæo, quòd seruus sit, qui diuturna & multiplici seruitute astutus, & vafer euasit, Græcè dictus παλίμβολος καὶ παλίμβραστος. Inde transfertur ad liberos homines vt 2. de finibus: *acutum, versutum, vetera orem, facilè vt excogitet quomodo occultè sine vllo consilio fallat.* Sic aduocatus dicitur veterator, qui diu ac multùm in foro versatus omnes litium tranendarum anfractũ, omnes ambagiosas fugitandi iudificationes, omnes prehensiones, nexusque lubrici litium certaminis tenet, qui in ancipiti forensium salebrum arte belli sissimè insidias disponere, atque etiam prouidere nouit. Veterator denique in omni arte, institutoq; dicitur, qui eâ astutiâ, solertiaque vtitur subdolâ, quam lingua vernaculâ vocamus Rusam.

Eripiet quiuis.] Pro hoc Terent. in Phorm. Act.5. Sc.8. dicit: *vel oculum exsculpe*, quod Arist. l.9. c.1. hist. animal. de coruo scribit, qui ὄμματα κολάπτει τοῦς κατὰ ὄνυξ, *cauando eximit oculos tauri & asini*, & in Eun. Act.4. Sc.6. *oculi illicò effodiantur*, vt D. Paulus loquitur c.4. ad Galatas: τοὺς ὀφθαλμοὺς ὑμῶν ἐξορύξαντες ἂν ἐδώκατέ μοι, id est, *oculos vestros effossos dedissetis mihi*: vt Cic. item & Plautus in Pseudolo: *oculum excludito*: quod Græci ἐξομματοῦσθαι: quod aliter etiã dicitur ἐξορύττειν αὐτὸν, ἐκκόπτειν, αὐτὰ τὰ ὀφθαλμοὺς ἐκ τοῦ μυκτῆρος, *exscellere e fundo*, pro quo Sophocles in Oedip. Tyr. ἃ δὲ ἔπαισεν ἄρθρα τῶν αὐτοῦ λίνων, id est, ἐξεῤῥώγνυσεν αὐτοῦ λίθας· *feriendo solut ligamenta suum oculorũ & pupillas exclusit.* Aristoph. νεφ. εἰθ. ἐξεκόπτετον πρότερον τὸ ὀφθαλμὼ λίθῳ· id est, *vtinam oculus mihi prius fuisset erutus lapide.*

Cassâ nuce.] Deflectitur quibusdã *a careo*: pro vacua & inani, quomodo interpretatur Plaut. in Pseudolo, Act. 5. *Te amatorem inuentum esse inanem, quasi cassam nucem.* Nonius tamen deducit a cassibus aranearum, quòd leuis & nullius sint ponderis, & Seruius interpretatur priuatum & vacuum, in hunc 2. Aeneid. *lumine cassum*, id est, vitâ priuatum.

Pauperet.] Quod Græcè dicitur, ἵνα καὶ τὸ γοῦν τίνος ἄπορον καὶ σόδρα ποιῆται, *quàm vt re cuiusquam, ne minimi quidem, efficiat egentem.* Plautus ante Horatium verbo pauperandi vsus est in Milite glorioso, *pauperare dominum pretio*, & in Pseudolo, *boni viri me pauperant, improbi nolunt, augent rem meam mali.*

Neu sis locus.] Sic Laches in Hecyra 4. 3 dicit, *Postremò iam nos fabulæ sumus*, id est, iam in ore sumus vulgi: multa de nobis fiunt verba, multi etiam ioci, ludi & risus mouentur.

Pelliculam curare.] Pelliculam curare est genio indulgere, quo sensu dicit Epist. 2. & 4. lib. 1. *Cutem curare, vt caro sit leuis & polita*, id est, corpus nitidum, solidum & succi plenum appareat.

Ei.] Inopiâ veterum & multorum exemplarium neminã collatione & lectione, Grammatici putarunt *si* carere imperandi modo, ac pro eo sumendum esse *fiat*: repertum est tandem *si & sitote* in Amphitruone.

Cognitor.] De huius munere sic Ouidius:

Aptius hæ capiant vadimonia garrula cera,
Quas aliquis duro cognitor ore leget.

Quid autem sit cognitor, describitur ab Asconio Pædiano in diuinat. Ciceronis, qui caussam præsentis litigatoris nouit, & loquetur, vt suam, iusque illius alios docet, quorum videtur aliquid interesse, Gallicè *vn procureur, agent, cognoissant bien le merite dune caussa & la donne a entendre aux iuges & aux autres, a qui elle touche.* Hinc cognitura pro munere, quæstu, & lucro cognitoris, quàm vocem exemplar Turnebi habet in hunc locum Suetonii cap. 2. de Vitellio, *cuius filius sellarum & cognituræ vberius compendium nactus.* Differt tamen procurator a cognitore, vt apparet exorat. pro Cæcina: procurator dicitur omnium rerum eius, qui in Italia nõ sit, absque Reip. caussã, quasi quidam pene dominus, hoc est alieni vicarius, qui absentis negotium suscipit: cognitor autem e Sext. Pomp. qui litem alterius suscipit coram eo, cui datus est. Quid autem sit cognitor præter ante dicta Asconius ostendit ita: *qui defendit aliquem in iudicio, aut patronus dicitur, si orator est: aut aduocatus, si aut ius suggerit, aut suam præsentiam commodat amico: aut cognitor, si præsentis caussam nouit, & sic tuetur, vt suam.* Hæ autem notæ sunt in hunc primæ Verrinæ locum, *Me defensorem calamitatum suarum, me vindicem iniuriarum, me cognitorem iuris sui, me actorem caussæ totius esse voluerunt.* Sector autem ex Asconio dictus est, qui spe lucri bona damnatorum simul omnia emebat: deinde singula populo diuendebat. Valla lib. 1. c. 2. paulò aliter definit, sector significat eum accusatorem, qui e damnatione accusati dimidium bonorum exspectabat, vt Antonius Philip. 4. dicitur sector Pompeii, quia bona eius proscripta redemerat. Græcè, ὅτι τὴν αὐτῶν οὐσίαν ἠγόρασε, Cæs. lib. 2 de bello Gallico. *Sectionem capti oppidi vniuersam Cæsar vendidit*, id est, bona illius vendidit sub hasta. Gallicè, *alenchan.*

Persta.] Quidam putant legendum esse perfer & obdura, vt apud Ouidium.

Perfer & obdura; dolor hic tibi proderit olim.

quod mihi videtur ad vim verbi *durare* quadrare, explicatam e Donato in fine Saty. 6. l. 1. ad vers.

Ventre diem durare &c. & posteà repetetur Epist. 1. lib. 1. ad vers.

Idem eadem possunt horam durare probantes.

Hoc autem *persta* Galli interpretantur, *perseuere & vendur cia poursuiure en toute extremite ou de chaleur, ou de froideur.*

Rubra canicula.] Id est ardens, de qua dictum est Ode 17. lib. 1.

Insanies.] Αγλώσσους καὶ ἀφώνους εἰνέας. *elingues & mutas.*

Tentus.] Id est, distentus & obesus.

Omaso.] Definitur hæc vox, secundus animalium ruminantium ventriculus asper, cancellatus & crustatus, quæ definitio magis conuenit τῷ ἀντίτρῳ ἢ ἐχίνῳ, οὗ ὦ διαχύνεται καὶ πέπτεται ἡ τροφὴ, *in quo confunditur & concoquitur cibus*, ex Eustath. in Οδυσσ. Σ. sed talis ventriculus nõ ponitur a Galeno, nec a Rufo inter partes corporis humani. Meminit quidem scholiastes Aristoph. in hunc vers. comœd. ἱππεῖς, huius partis. Εγὼ δὲ ἄντρον βοος λιχὰ λοιλίαν ὑείαν λιπαρεχθίσας, *vbi ego deuorauì omasum bouis ventriculum suillum.* τὰ, inquit interpr. μυρυπάζοντα τῶν ζώων τρεῖς λοιλίας ἔχει, λιπαρύφαλον, ἄντρον, ἐχῖνον. μυρυπάζει δὲ ὅταν μὴ τροφῆς πολυπαμοσύνης ἀνάπλεω ᾖ τὴν οὖν τῆς λοιλίας τροφὴν, καὶ λινέται τὸ σῶμα, id est, *animalia ruminantia tres habent ventres, Celryphalum, Enystrum, Echinum. Ruminant autem, quum, nullo apposito pabulo, reuocant illud, quod iam erat in ventriculo, atque mouetur os*, vt capra, ouis & camelus: quod videtur sumtum e lib 2. de part. animal. Aristot. Omasum tamen cibis vilibus ac plebeis adscribitur Epist. 15. vbi memoratur edacitas Menii scurræ, qui

——Patinas canabat Omasi,
Vilis & agnini, tribus vrsis quod satis esset.

Ego tamen malo hic, vt illic, nomine Omasi τὸ ἐπίπλοον intelligi, membranam sevolam & adiposam, intestinis & aliquot visceribus circumtensam & supernatantem, quam puto Gallicè vocari *la coeffe. Tentus autem pingui omaso* dicitur Græcè verbo coniuncto ἐπιπλοπομίσιν.

Furius.] Hic Burius Bibaculus, vel, vt aliis placet, M. Furius Vivaculus Poeta fuit, cuius iambicos comprobat Diomedes & Fab. & aliquot horum recenset Macrob. l. 6. Satur. cap. 1. scribit Eusebius in Chro. illum vnà cum Cicerone vixisse, patriâ Cremonensem. Horatius tamẽ eum facete hîc notat propter duritiem translationis, de qua in Rhet. ὅτι δὲ πρὸς τὸν Φύσιον σπωπικῶς ἔχει, δῆλον μὲν ἐν τῷ αὐτὸν παρωδεῖν, ἐξ ἑθνῶν δὲ Ατικῶν, καθ' ὁ ψυχρὸς ποιητὴς ἐπονομάζεται χίων, ὡς Θέογνις τις ἐν Αχαρνῆσι τῷ Αριστοφ. id est, quòd autem Furium irrideat, perspicuum est e carmine partim ad similitudinem alterius concisè facto, & διὰ τὸ χλευασμῶ iterato, partim e consuetudine Atticorum, quâ frigidus Poeta cognominatur nix, vt Theognis quidam in comœdia Aristoph. Achar.

Thynni.] De hoc pisce vide Plin. l. 9. c. 15. Arist. l. 8. c. 19. hist. animal. ad quos aggregabo Eustathium in vers. Ιλιαδ. ξ. sub finem:

Οὐτ' αὔησις τόσσον γε ποτὶ Αρυσὶν ὑψιπόροισιν Ηπνεε.
Nec ventus tantus in altis quercubus sonat.

τὰς δὲ θαλασσίας ὁ Μεγαλοπολίτης ἱστορεῖ Πολύβιος λέγων, ὡς ἡ Αθηναῖος παρασημαίνεται περὶ τῶν τῆς Λυτιμῆς ἰβηρίας Αρῦς εἶναι κατὰ βάθους. ὧν τὸν μάρπον σιγμοῦσι τοὺς θυόνους πιάνεσθαι. διὸ ἐν, ἂν φησιν, ἁμαρτία τις λέγων, ὡς θαλατίας εἶναι τοὺς θυόνους κωξομένους ἀπὸ τῶν ῥηθέντων βαλάνων. ὁ δὲ ῥηθὲς Αθηναῖος θωνολογῶν ἀπὸ τῶ θύειν, ἢ θυόειν τὸ ὁρμᾶν ἐτυμολογεῖ. τὸν Αἰολικῶς τὸ νῦ ἀπαλλάξοντα θωνὸν, ἐπεὶ κατὰ τὴν ἐπιβολὴν τῶ κωνος ὁρμητικὸς ἐστι διὰ τὸ οἰστρηλατεῖσθαι.

Id est,

Id est, Marinas autem quercus narrat Polybius Megalopolites, & etiam Athenæus lib.7. esse in occidentali Iberia defixas altè, quarum fructus pascentes thynni pinguescunt. Quare si quis dixerit marinas sues esse thynnos, non errauerit, qui dictis glandibus nutriti augentur. Quum autem Athenæus loquitur de thynnis, veritatem nominis ducit ab eo, quòd impetu ferantur & properè concitentur, Aeolicâque Dialecto *n* geminat. Hic piscis excitatur œstri aculeo sub ortum Caniculæ. Plutarchus quoque in vita Luculli sub initium comparat conciratam ipsius eloquentiam cum impetu huius piscis: de eodem lege etiam hunc ipsum Scholiasten Odyss. *μ*. sub dimidium libri ad hunc versum:

Ος δ' ὅτ' ἐπὶ προβόλῳ ἁλιεὺς περιμήκεϊ ῥάβδῳ,
Vt quum piscator in scopulo longâ virgâ.

Cetaria crescent.] Duplici genere dicuntur cetariæ & cetaria pro locis stagnantibus & palustribus prope mare, vbi asseruantur salsamenta cetacea, & inde promuntur: quum res & vsus postulant, quæ Græcè dici possunt λιπόδροφεῖα. Cetaria sunt originis Græcæ τὸ γιγάντιον διορύξαι ὁ ἰχθὺς θαλάσσιος παμμεγέθης, id est, *piscis marinus ingentis magnitudinis*, vt Plinius lib.2.cap.1. dixerit cetos sexcentorum pedum longitudinis, qualis fertur Balæna, cuius plurale κῆτη Latini vsurparunt, Virg.

Cum variæ comitum facies immania cete.

qualia Lucretius fecit primum lib.2.

——— Et cycnea mele
Propter Atlanteum Littus pelagoq; seuera.

deinde lib.5.

Si cui prateréa.] At quantò salubrius est Theognidis consilium:

Βούλεο δ' εὐσεβέως ὀλίγοις σὺ χρήμασιν οἰκεῖν,
Η πλούτειν ἀδίκως χρήματα πασσάμενος.
Malis piè paucis cum diuitijs vitam traducere,
Quàm ditescere rebus iniustè possessis.

In re sublatus.] Ita Plautus in Truculento geminat hæc: *si quid peperissem, educarem, tollerem, donec adoleuissem.* Huic videtur opponi verbum exponendi: quòd olim liceret Ethnicis pueros sibi natos abijcere & viuos exportatos cuilibet fortunæ permittere in publico vico, vel in littore, vel necare: qui verò statuissent illos seruare, inde dicebantur tollere & alere. Vtriusque exemplum habemus Heaut. Act.4. Scen.1. *sustulisti, quam dedi exponendam:* Item Iuuenalis, *Tollere dulcem cogitat heredem:* sic Græcè dicitur ἐπὶ μεγάλῳ χρημάτῳ τρεφόμενος, id est, qui in opimam hereditatem alitur, vel, vt Cicero loquitur, in plenam & præclaram pecuniam.

Ne cælibis.] Id est, ne teipsum prodas insidiatorē hereditatisq; senilis captatorem nimis officioso cultu & obseruantiâ. Nomine autem cælibis intelligit senem ἄγαμον, qua de voce dictum est Ode 15. lib.2.

Secundus heres.] Is nominabatur & scribebatur a testatore loco secundo. Hic locus potest illustrari illo Suetonij in Iul. Cæs. cap.83. *vbi C. Iulius Cæsar dicitur instituisse Decium Brutum in secundis heredibus, qui, si primi occuparentur morte, ipse fieret heres & vacantem hereditatem morte primorum adiret illis substitutus.* Paulò autem secus τὸ *in vacuum* hîc accipitur, atque in D. Claudio cap.9. vbi Suetonius ita de ipso scribit: *Postremò etiam sestertia octogies*, id est, *ducenta millia aureorum, pro introitu noui sacerdotij coactus impendere, ad eas res familiaris angustias decidit, vt quum obligatam ærario fidem liberare non posset, in vacuum lege prædiatoriâ venalia pepēderit, iub edicto præfectorum.* Claudius autem venalis pendisse dicitur, pro ipsius bona proposita fuisse in publico a præfectis ærarij venalia: *quòd die constitutâ fidem obligatam pop. Rom. non liberasset: quòd si nullus præs pro eo se pop. obligasset intra certum diem, quo temporis spatio in vacuum obærati bona pendere ac suspendi in tabula*, id est, sine domino & possessore esse *dicebantur, in fiscum illa referebantur*: de quo vide Ciceronem pro Quinctio, & Senecam l.4. de beneficijs. Scriptus autem heres hoc differt a nuncupato, quod Iurisconsulti docent. *Iulianus in lege, si ita scriptum ff. de bonorum possess. secundum tabul.* & Vlpianus ff. Quid verò? *quod autem quis obscurius in testamento vel nuncupat vel scribit, an post solēnia explicari possit, quæritur. Ergo scriptus heres dicitur, quem testator manu suâ scripserit: nuncupatus, cuius nomen testator dictauerit scribæ excipienti*, vt constat e Trāquillo in vita Augusti, *Testamentum, quod is Romæ etiam de Cleopatræ liberis inter heredes nuncupatis reliquerat, aperiendum, recitandumq; pro concione curauit. Erant enim liberi Cleopatræ in testamento scripti heredes, sed ab Amanuensi, Antonio nuncupante, sed dictante:* vnde est Plinio l.14.c.22. *testamentum nuncupatiuum*, de priori sic Iuuenalis Satyrâ 3.

——— Quis pauper scribitur heres?
Non vnus tibi riualis dictabitur heres.

de posteriori Satyrâ 5.

Egerit Orco.] Ἀντίπλωσις est, quâ vtitur Virgilius, quum dicit, demittere Orco: pro quibus Orator diceret detrudere, vel demittere in, vel ad Orcum, vt Ode quarta, libri tertij, dixit missus ad Orcum, id est, interficere & necare: quod est Homero ποιάπτειν ἀΐδι, & oratori, εἰς ᾅδου πέμπειν, & Theocrito ποιεῖν κατελθεῖν εἰς ἀΐδαν ἔχαστον. Quomodo autem Orcus deriuetur, vide Ode 18. lib.2.

In vacuum venias.] In vacuum venire est, in locum demortui filij succedere, eiusque hereditatem cernere, de cuius spe rarò prudens & patiens captator decidit.

Qui tibi cunq;.] Tmesis est, sectio dictionis, πάθημα τῆς γραμματικῆς.

Abnuere.] Hoc genus dissimulatæ recusationis Lucianus appellat ἀγνισμὸν καὶ ἀγνίζεσθαι, *dissimulanter recusare, quæ maximè cupimus:* quo quidem posteriori Cic. vtitur ad Atticum Epist.19.l.2. *Certi sumus, perijsse omnia: Quid enim ἀγνιζόμεθα tamdiu*, id est, dissimulamus.

Vt limis.] Id est, raptim, celeriter, obliquè legas, quâ parte tabulæ scribaris heres secundus substitutus. Est autem hîc ellipsis substantiui, oculis & ita casus est sextus a limus, a, um: alij malunt esse αὐτιμεβίαν nominis pro aduerbio obliquè a recto, hic & hæc limis, & lime, quod est transuersum, cuiusmodi est limen ostij: vnde illud flectunt, quomodo videtur Donat. in Act. 3.Sc.5. Eunuchi explicare verba Chæreæ. *ego limis aspecto sic per flabellum clanculum:* Græcè dicitur παραβλώψ καὶ πλαγιόφθαλμος, προσβλέπω, καὶ παραβάλλω ὄμμα θυόνος δίκην, *intuens obliquo oculo more thynni piscis.*

Cera.] Hoc intelligendum est e consuetudine veterum Romanorum, qui in tabulis, vt iam alibi dictum est, ceratis scribere solebant. Itaq; prima cera, vt secūda & tertia & quarta, significat primam & secundam, & ita deinceps, partem testamēti, vel primam, secundam, tertiam ipsius tabulam, quod idem valet. Ex hoc loco & e plerisq; alijs constat, olim in tabulis ceratis potissimum scribi solitū. In prima autem tabula nomen testatoris erat solùm, cętera vacua: in secunda nomen heredis plerumq; scribebatur. Pro cerata tabula interdum chartæ & membranæ vsurpabantur.

Veloci percurre.] Idem sonat, quod modò dixit, limis rape, cursim perlege & tacitè celeriterq; nota.

Recoctus.] Hoc quoq; e moribus Romanorū cognoscendum est, qui e curia scribarū, quæ Romæ constabat ex infimo hominum genere, deligebant quinque

viros, quos cum proconsulibus in prouincias mittebant: vnde regressi pretio se mouebant tali de curia: Quod si posteà eundem magistratum vel gerere vel illius priuilegiis frui vellent, cocti dicebantur: Si verò hoc sæpiùs fecissent, iam inde recocti: quiá vsum multarum rerum percallebant: ex qua exercitatione & experientia vafri & astuti fiebant, multasque technas & strophas tenebant: de quo vide Helenium Acronem. Hoc etiam epithetum Seruius in vers. Aeneid. 11.

Bellator stolidum nodis & robore coctum.

sic explicat, & hunc locum citat: aut, inquit, antiquam hastam fuisse significat: nam multi temporis aliquid coctum vocamus, cuiusmodi Persius scribit Satyr. 1. fuisse carmen Virgil.

Vt ramale vetus vegrandi subere coctum maturè factum, non præcox, nec effusum: Sic Coranus è scriba factus fuerat Quinqueuir, posteà è Quinqueuiro scriba: vnde fuit ei perfacilè deludere Naficam socerum, qui quum hereditatem generi captaret, ab eo captus est, inanique ipe lactatus.

Coruum hiantem.] Quibusdam videtur allusio ad apologum corui & vulpis: sed non conuenit, cum hæc captatrix non sit ab illo captata: alij ramē putant recoctum potiùs sumi p̃ sene viridis senectæ, qui adhuc sit robustus, validus & vivax, cuius senect° producta longius opinione hominum, facilè arguit & nudat ingenia captatorum: hoc autem sumtum est e fabula Aesonis patris Iasonis, cuius rogatu Medea reddidit ipsi Aesoni iuuentā coquendo. De hoc vide 7. Metam. Simile memoratur de Pelia in Dialogo de senectute & in Pseudolo Plauti. De conditione autem scribæ repete, quod annotatum est in Sat. 5. l. 1.

Furu.] Id est, θεοφορῆ ἢ οἰνθιάσας, numine diuino ageris? vel afflaris instinctu phanatico, vel furis Deo recepto & ipsius impulsu loqueris hæc?

Laertiade.] Patronymicum est a Laerte Vlyssis patre, de quo sæpè loquitur Homerus honorificè sicut Theocritus Idyl. 15.

——Αὐτός τε περίφαλαγχνος Λαέρτης,
Εἰμὴ σφᾶς ὤνασαν Ἰαόνος ἀνδρὸς ἀοιδαί.

Ac ipse fortis & animosus Laertes
Silentio esset obrutus, nisi vertus viri Ionici opem tulissent.

Quicquid dicam, aut erit, aut non, &c.] Hanc loquendi formula fuisse diuinis futurorum familiarē testes sunt Homer° & Plato, quę sic enunciat, Σύμβολος ἀγαθὸς ἢ ἢ φαῦλος. Lomen *validum, aut certè inualidum* (erit.)

Diuinare.] Notateos (vel ipsum Apollinem) qui suâ ætate, se Romæ iactabant scientiam futurorum tenere, de quibus dictum est Od. 12. l. 1. & 17. l. 2. Valet autem *donat diuinare*, diuinandi arte me ornauit, ac præsensione, prædictioneque futurorum instruxit: Virg. similiter loquitur Aen. 5.

Magnum dat ferre talentum.

Ibidem proximè, *Trilicem loricam donat habere viro*: vbi Seruius scribit, Hellenismum esse Poetis concessum. Item Donatus Act. 3. Sc. 2. Heaut: *Da bibere*, ait *duo verba actiua nullam habere significationem sine coniunctione*: sic enim Græci dicunt, ἔδωκε μοὶ μαντεύεσθαι, Item δός μοὶ πιεῖν. Item ἐπαίνῳ τοῦτο φέρειν καὶ ἔχειν δίδωσι, pro *donauit me diuinatione, dedit mihi potionem, dedit hoc auferendum & possidendum.*

Ede.] Id est, declara & edissere, quid sibi velit istud *scriba coruum deludet hiantem*, sic Satyrâ proximè antecedenti dixit, *ede hominis nomen.*

Quo iuuenis.] Hic perstringitur vanitas diuinātium, quorum vaticinia appellantur fabulæ, & Augustus tacitâ etiam laudatione videtur notari.

Forti nubet.] Id est, diuiti. Propriè dicuntur virgines nubere, quum capite velato traduntur viris, vt mos fuit apud veteres: vnde nubes, quòd cælum obnubilent, id est, operiant, dici putantur.

Soldum.] In, *soldum* est syncope pro solidum & integrum, & hoc pro dotem cōstitutam fugientis & nolentis dissoluere genero. Solidum autem e Budæi opinione constat, nummum fuisse aureum ab integra & iusta ponderis æstimatione nominatum.

Prater plorare.] Antimeria est vsitata Græcis, qui dicunt πλὴν οἰμώζειν καὶ ὀλοφύρεσθαι, id est, nihil testamento reliquit præter ploratus & fletus.

Illud ad hæc.] Prætereà præcipio & te moneo, quod sequitur.

Senem delirum.] Quem Græci vocant ληρονόληρον, & Galli *vieit resueur.* λῆρος autem est Aetio quædam species delirij ex cerebri frigore, quo quis *affectus vnam sententiam non potest continuare.*

Temperet.] Id est, regat & gubernet senem, rem ipsius domesticam administret, curetque cum liberto: sic Od. 4. l. 3. *temperat mare ventosum.*

Adiurat &c.] Adiurare est velut συνεργεῖν Græcum, tradere mutuam operam ad agendum, & ferè locum habet in rebus secundis, vt auxiliari in aduersis succurrere afflicto: quomodo Tiresias hic dicitur propriè Vlyssi egenti auxiliari: sed mulier dolosa & libertus eundem adiuuare. Obserua autem hic præceptum huiusmodi tradi Vlyssi de concilianda sibi amicitia ministrorum senis opulenti vnico filio, eōque valetudinario dotati: cuiusmodi præcipitur Act. 2. Sc. 3. Heaut. *nam disciplina est, eisdem munerarier ancillas primum, ad dominas qui affectant viam.*

Vecors.] Definitur hæc vox a Festo, vt is sit vecors, qui est mali & turbati cordis. Cor autē ipsum, vt scribit Cic. 1. Tusc. quibusdam videtur animus, ex quo vecordes, excordes, concordesque dicuntur: vecors igitur e geminatione illa Ciceronis in Pisonē, O vecors & amens: item ex illa Liuii, Vox stolida & vecors intelligitur quid sit, atque Græcè potest dici ἀνόητος, παράφρων, νήπιος, ἄφρων.

Scortator.] In Grammaticis Odes. 11. l. 2. vnde scortum esset ortum, satis est explicatum: verbum autem *scortari*, indeflexum Donatus in Heaut. Act. 1. Sce. 2. scribit esse, quum quis frequenter siue per se, siue per alium scorta ductitat.

Caue.] E breuitate τῶ e cognoscitur verbi cōiugatio, vt obseruatum est Sat. 3.

Vltrò Penelopen.] Suetonius in C. Cæs. Caligula cap. 25. de matrimoniis & vxoribus ipsius sic vtitur verbo perducendi. *Lolliam Paulinam C. Mēmio consulari exercitus regenti nuptam factâ mentione auia eius, vt quondam pulcherrimæ, subitò ex prouincia evocauit, ac perductā a marito coniunxit sibi, breuiq; missam fecit, interdicto cuiusq; in perpetuum coitu.* Cognosce ἐκ τούτης προαγωγείας τῆς ἀλόχου ex hac vxoris prostitutione mores seculi Horatiani, & confer cum nostris: tum plures inuenies Poliagros, quàm ipsius ætate inter maritos & parentes, qui & vxores & filias perducunt: sed aduersus talem depravationem audiatur Phocylides, piè & honestè præcipiens,

Μὴ προαγωγεύσῃς ἄλοχον, σέο τέκνα μιαίνων.

Ne prostituas vxorem, notam infamiæ tuis liberis inurens. quos Græci dicunt προαγωγεῖς Latini vocant perductores, vt Cicero Verri. 3. *perductorum nulla mentio fiat*, quos Asconius descriptione declarat, *perductores dicuntur etiam inuitarum personarum*, vnde putat Hotomanus ductam appellationem, quòd suasionibus aut pollici-

pollicitationibus illas perducant, quò velint, quemadmodum Mima Tertia Isidori Mimi filia dolo atque insidiis dicitur ad Verrem per Rubriũ perducta: quam lectionem docti magis probant, quàm productores & produco: quanquam Donatus in Heautont. Act. 1. Sc. 1. ad uerba *produxi ac vendidi* annotat: *producere est foras ducere*, hinc productores dicuntur, qui virgines abducunt, & eas ad quæstum exponunt. Idem priùs dixerat in Eunucho. Act. 1. Sc. 2. *Ilico producit, vendit &c:* produci res venales dicuntur.

Parca iuventus.] Apparet tamen e lib. Odyss. 6. sub finem procos tentasse muneribus oppugnare Penelopen in oculis Vlyssis nondum cogniti & simulantis sibi talia esse grata, quò facilius donantes exciperet tandem dolo, vt scribit Plutarchus in libel. de modo audiendi poetas. εἰ μὲν ἐπὶ τῇ δωροδοκίᾳ καὶ πλεονεξίᾳ χαίρει, τὸν κωμῳδούμενον ὑπερβάλλει μαστροπείᾳ Πολιάγρον, Id est, *quòd si Vlysses voluptatem cepisset ex illa donatione & quæstu, superasset lenocinio Poliagrum morbis Comicorum valdè laceratum.* Sed hæc oblatio domi sub discessum non tam verè & ex animo fiebat, quàm impulsu Mineruæ sic rebus Penelopes consulenti. Neque mihi placet interpretatio τὸ venit venalis est. *Parca autem donandi* dicitur eâdem syntaxi, quâ Saty. 2. huius libri, *non parcus aceti veteris.* Cicero tamen pro Cornel. Balbo de Crasso vtitur, *Homo nimiùm parcus in largienda ciuitate.*

Vt canis.] Sumtum est hoc prouerbium ex Idyl. 1. ἢ τὸ ὀργατίνα: vbi Battus percontatur è Milone, num aliquando captus amore fuerit:

Βατ. Οὐδ' ἅμα νυῶ σωέβα τὸς ἀγρυπνῆσαι δι ἔ, ρωτας;

Μιλ. Μηδέ τι συμβαίη! χαλεπὸν χοέιων λιώα γεῦσαι:

Bat. Nunquámne tibi adhuc contigit nox insomnis propter amorem?

Mil. Vtinam non contingat! graue enim & periculosum est

Canem semel gustasse membranas animalium vterinas.

Χαλεπόν φασι μαθοῦσα νύων σωτοτεραγεῖν, res est periculosa canis assueta vncto corio dentibus terendo: & ita comparatè, vt in Dialecticis fecimus, enunciat: ὥσπερ φυσικὸν γυσάμενος χοέιος λιωῶν ἀνασπολίκητος ἐστιν, ὅτω καὶ ὁ ἀγροικὸς ἐρῶντος πάθους γευσάμενος. *Quemadmodum inquit, canis membranis animalis involuentibus fœtum gustatis, vix ac ne vix quidem potest abigi: sic etiam rusticus ab amatorio affectu semel gustato non potest auocari.*

Me sene.] Narratio est rei præteritæ, quam Tiresias apud inferos memorat Vlyssi tũ olim accidisse, quum inter viuos ageret vitam, de calliditate cuiusdam vetulæ, quæ hanc sic efferendi cadaueris sui rationẽ præscripsit, vt importunitatem captatoris mortua tali spectaculo vlciscereturr & ludificaretur, quam in vita nullo modo potuerat vitare.

Elata.] Hoc flexum est a verbo funebri efferor, quod est, ad sepulcrum, vel ad rogum exportor: estque bonis Latinitatis auctoribus valdè vsitatum & Græcis. Antipho, τῇ δὲ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἐξεφέρετο ὁ παῖς, *die tertiâ quâ puer efferebatur.* Item Plutarchus in Solone, νεανίσκου τινὸς ἐν ἐκφορᾷ, *quidam adolescentulus efferebatur.*

Cadauer vnctum.] Plinius scribit, ex antiquo more cadauera octo dies seruari & calidâ ablui & vngi & per intervalla conclamari: quia spiritus vitalis plerumque putatur exclusus & homines fallere: vt quum refert quendam pyræ suppositum adhibitis ignibus erectum esse, nec liberari potuisse. Huiusmodi ablutionis & vnctionis meminit Virg. Aeneid. 6.

Pars calidos calices & ahena vndantia flammis
Expediunt, corpusq; lauant frigentis & vngunt.

Abundes.] Hic exple, abundes operâ & obsequiis: Gall. *ne te monstre pas trop officieux enuers lui, & te porte comme ne pourchassans rien par aguet de flatterie.*

Garrulus.] Quo quo modo & legas & distinguas hunc locum, semper reprehenditur intempestiua vel garrulitas vel taciturnitas: si construxeris *vltrò* cum *garrulus*, augetur captator, quòd iniussus minimeque prouocatus immodicè loquatur: si cum *fleas* reprehensio erit intempestiui silentii, ac præ se ferentis contemtum: sin legeris, *vltrà*, aut potius interpretatus fueris, vt Seruius interpretatur vers. Aeneid. 2. *His lacrymis vitam damus & miserescimus vltrò*: vltrò, ait, non est sponte (nam iam rogauerat) sed insuper & venit ab eo, quod est vltra: quia plus, quàm Sinon rogauerat, Troiani præstiterant: si, inquam, interpreteris vltrà: intemperantia linguæ notabitur apertè. Itaque videtur Tiresias præcipere illud Solonis, Σφραγίζε τὸς μὲν λόγος σιγῇ τὸν δὲ σιγὸν καιρῷ: *obsigna verba silentio, silentium verò opportunitate*, vt Ode 2. lib. 3. monuimus. Verissimum quidem certè est hoc consilium, maximeque salutare, licet vates abutatur hic eo ad dolos & captiones: πᾶσα γὰρ ἀδολεσχία καὶ μακρολογία τὸ ψεκτὸν καὶ ἁμαρτυρόν ἐστι, *omnis enim garrulitas & immodica loquutio est vituperabilis & vitiosa*, nec vsquam alibi aptior nisi conuiuiis, vbi ferè immodicè fieri solent omnia, vt e Theognide docuimus Saty. 1. lib. 1. vnde iactatur hic senarius aduersus verbosos medicos.

Ἰατρὸς ἀδόλεσχος νοσοῦντι πάλιν νόσος.

Loquax medicus est agro secundus morbus.

Morosum.] Quid sit morosus, repete ex Ode. 9. lib. 1. quò accessit interpretatio Græca, ἀθελξίνοος & eódem nunc, tetricus, cuius animus non potest demulceri.

Stes capite.] Ex interpretatione Grammaticorum, obstipus est, qui in alterum humerum inclinat caput, qui Saty. 4. lib. 1. dictus est e Plutarcho λιπωφὼς, quo gestu animi demissio, non elatio quibusdam significatur: verùm huic expositioni locus, quem proferunt e Suetonio in Tiberio cap. 68, aduersari videtur: *incedebat ceruice rigidâ & obstipâ, adducto ferè vultu*: quod Græcè redderetur ἀκάμπτῳ καὶ λιτανεύφλῳ, *inflexibili & prædurâ*: sed illi viderint diligentiùs de hac voce. Probarem equidem *obstito* pro obliquo, nisi quantitas repugnaret.

Grassare.] Festus deflectit hoc verbum a gradior, quod est βαδίζω, aditum paro, viamque facio, quãobrem λιτάνευσιν ἢ ὁρμὴν σημαίνει τὸ ὠκέως πορεύεσθαι, quod vno verbo dici potest ὀξυποδεῖν, cum celeri impetu ire: addit tamen, idem verbum a veteribus sumtum pro adulari, quæ significandi ratio huic loco aptissima est: Captatores enim more grassatorum obsidet testamenta senum insidiosâ adulatione, vt hi peregrè proficiscentium vias: ob id λῃστὰ τοιοῦτοι καλοῦνται λωποδύται, *tales fures vocantur quasi vestimentorum ereptores*, quum tamen sæpiùs vitam eripiant: de quibus sic fecit Tibul. lib. 1. Eleg. 2.

Nec finit, occurrat quisquam, qui corpora ferro
Vulneret, aut raptâ præmia veste petat:

Quam perniciem Augustus repressit, vt Suetonius refert in Octauio cap. 32. Callistratus lib. 28. ff. de pœnis: *Grassatores, qui præda caussâ id faciunt, proximi latronibus habentur: & si cum ferro aggredi & spoliare instituerunt, capite puniuntur.*

Increbuit.] Sic loquitur Cæsar. 3. de bell. ciuili, *In-*

crebruit Auster, id est, vehementior factus est. Cicero autem 7. lib. ad Trebatium: ventus increbruit, quod Aratus dixit:

——Εἰ δὲ
Ὑψοθεν ἐμπλέξῃ λεπτὴ ἀνέμοιο θύελλα,

quod Cicero vertit:

Sin grauiù inciderit vehementi flamine ventus.

Cautus.] Id est, *prudenter caput tegat valetudinis tuendæ gratiâ*, quod Græcè dixeris, ἵνα τλὺ αὐτῶ φίλλυ λιφαλλὺν λοχύψῃ πόφρων & Gall *aduertisse-z le quil sera que sage de couurir sa teste pour sa santè*: hæc præcepta sunt assentationis.

Extrahe.] Quod Græcè dixeris, ἐξέλκε ἢ ἐξελῶ τ γέροντα τ πλήθυς ἢ ὄχλυ πεφαβλημθεὶς αὐτῷ τ ὠθισμῶ ὤμων σθ, *extrahe senem è turba & multitudine obiectu humerorũ tuorum cum ipsa dimicans*, quod videtur munus fuisse τ προπόμπων, quos dicas Latino anteambulones, q honoris caussâ principem & magistratum antecedẽt ad summovendam occurrentium turbam.

Substringe.] Variè hæc phrasis tractatur. Quidam enim exponunt, præbe autem seni loquaci: quòd factâ sibi audientiâ valdè delectentur senes: alij velle aurem seni, λόγων ἀπορρήτων ἐπφορὰν μὴ ποιείσθω, *ne tacenda proferat*, vt Periander monebat: alij, demulce aurem illius molliter & amatoriè contrectando, quod erat assentatoris indicium: alij denique legunt *destringe*, idque declarant, aufer ab auribus tuis impedimentum auditionis, quò faciliùs ac pleniùs verba balbutientis senis percipias. Omnes autem hæ interpretationes non sunt alienæ ab ingenio callidi captatoris.

Importunus.] Ἀστιμεία videtur pro importunè, & hoc pro impensè amat laudari? Quidam malunt construere cum *vrge importunus*, nec sensus malè quadraret, sed affectus interrogantis ita interciderẽtur.

Donec obe.] Dicere obe est hominis iam re aliquâ satiati ac ipsius continuationem recidentis, pro satis est. Præterea *tollere manus* est signum lætitiæ, vt Cic. lib. 7. ad famil. *sustulimus manus ego & Balbus.* Itaque non sequor hanc interpretationem, *donec animam efflauerit*: cuius quidem senis animam efflantis periphrasis est versus:

Quum te seruitio longo, curâq; leuârit:

per suam mortem.

Certum vigilans.] Id est, attentissimè audiens & est antimeria pro, certò vigilans, Græcè ὄντως ἐγρηγορὼς, cui opponitur λαθόνλων. Talis est narratio Penelopæi somni sub finem Ὀδυσσ. η. οὐκ ὄναρ, ἀλλ' ὕπαρ ἐσθλὸν, ὅτοι τετελεσμένον ἔται, *non somnium est, sed res vera, quæ perficietur.* Rationem vtriusque vocis ὄναρ ἢ ὕπαρ lege in annotationibus Eustathij ibidem: Sensus ergo huius vigilantiæ est huiusmodi: Quum tu, o Vlysses, certò vigilans audieris locum tabulæ sic scriptum: *Vlysses sit heres quartæ partis.*

Ergo nunc.] Tiresias erudit Vlyssem, ac velut illi præscribit formulam verborum post auditionem legatæ partis quartæ, ad simulationem lugubris conquæstionis de amisso tam forti sodali & amico fideli: & ad apparatum funebris pompæ fictæ sunt & simulatæ hæ lacrymæ: sed illæ Virgilij Ode 24. l. 1. de morte Quintilij Vari veræ & ex animo pro certo dolente expressæ & profectæ.

Ergo Quintilium perpetuus sopor vrget? vbi notatum est τὸ *ergo* addi ad hortandum tardè facientes aliquid, non ad inferendum.

Dama sodalis.] Inijcitur mihi scrupulus, vtrùm de nostro sene intelligendum, quum Satyr. 6. lib. 1. inter seruos numeratus Dama sit ad versum:

Túne Syri, Damæ, aut Dionys. & paulò antè recusârit huic seruire, ad hunc locum.

Vtne tegam spurco Damæ latus; quod si esset, magna vilisque indicaretur infractio ac demissio animi in Vlysse: an potiùs sit apostrophe ad aliquem domesticum huius nominis seruum. Potest quidem sententia Od. 14. l. 3.

Magnum pauperies opprobrium iubet
Quiduis & facere & pati.

confirmare hunc Damam fuisse libertum diuitem & senem, atque Vlyssem ipsi serviisse inopiâ pressum, vt Tiresias sic præmonuerat ipsum recusantem. *Ergo pauper eru.*

Nusquam est.] Pro, desijt esse in vita, obijt: minus tamen hoc valet, quàm *nullus sum*, Act. 5. Sc. 7. Eunuch. vt scribit Donatus: nam qui obijt ac perijt, reliquit cadauer: sed qui nullus est, status ipsius est, quasi non natus fuisset.

Vnde mihi.] Expleatur ellipsis verbi, τὸ *inueniam aut sumam*, aut quid simile.

Egregiè factum funus.] Pro quo Cic. lib. 4. Epist. 12. ad famil. *funus ei satis amplum faciendum curaui.* Sic Latini loquuntur *oppidũ egregiè munitum, classem egregiè instructam & armatam, virum egregiè carum.* Iidem *curare funus*, vt Act. 1. Sc. 1. And. Terent. *facere funus*, vt hic. Sic pro Cluentio Cic. & Epist. l. 15. ad famil. *dare operam funeri*: Funus autem definitur pompa exsequiarum & notatur a funalibus, noctu enim efferebantur ad faces propter sacrorũ celebrationem diurnam, vt alibi docuimus e Donato. Apparatus autem funebris erat ferè, vt quibusdam placet, in acerra incendenda, funalibus, lectulis insternendis, floribus, vnguentis, odoribus, sertis, frondibus ac similibus inspergendis: denique in lacrymis ac fletibus fundẽdis: quæ omnia sunt intelligenda ex his, *Sparge subinde.* Alij malunt intelligere querelas e iactura tanti amici identidem fundendas in vulgus.

Gaudia est.] Pro ἔξεστι, licet hilaritatem animi obtegere quibusdam frontis inuolucris.

Sepulcrum.] Tanquam diceret, si testator permisit, vt ferè mandatur heredibus ac legatarijs, tuæ voluntati potestatem sepulcri construendi, id magnificè, sumtuosèque curato, quod Græcè dicerẽs δημοσιᾳ ἢ σὺν τελῶς ποιῆσαι τλὺ τάφλυ: ἢ θάψον σὺν τελῶς, vel, vt Menander loquitur, περίστιλον οἰκείως τάφον, decora sepulcrum conuenienter.

Tussiet.] Malè laborare tussi dicitur, qui ὥσπερ ἀναβήττει ἐν θώρακος διὰ τ φάρυγγος τὸ αἷμα, i. velut e *thorace per asperam arteriam exspuit sanguinem purulentum*: i. si quem tussis periculosè vehementerq; exercebit, vel, vt quidam volunt, si quis grauiter ferat legatum tuum; dic illi te ex tua parte fundi pecuniam malle, quàm hereditatem retinere, &, quicquid obtigerit tibi ex testamento, venditurum. Hoc autem valet τὸ *siue sit emtor*, i. siue quis emere velit fundum vel agrum. Quidam τὸ *gaudentem nummo* construunt, alij cum verbo *addicere*: quod posterius certis quibusdam magis probatur: & addicere aliquid nummo est genus simulatæ emtionis in re testamento accepta, quam lex vetabat alteri donare: de quo vide L. 46 ff. *locati*, & L. 10. C. *de acquir. possess.* quid sit addicere nummo.

Sed me.] Sic Vlysses Odyss. λ. sub finem metuit, ne Proserpina ipsi obijciat Gorgonem, ni finiat suam indagationem. Sic quoq; Deiphobus 6. Aen. vers. 546. ad suos reuocatur a Sibilla sub auroram.

Viue valeq;] Ita Comici solent summam rei concludere: vt Plautus in Casina: *Tantum est, valete, rem bene*

bene gerite, & viuite. Idem in Trinummo: *Tantum est, valete, adeste cum silentio.* Terent. in Eun. Act. 5. Sc. 6. vbi senex quærit e Parmenone: *nunquid est aliud mali, damniue, quod non dixeris, reliquum?* Par. *tantum est*, id est, nihil præterea.

Explicatio Rhetorica.

DIalogismum de ratione res amissas reparandi Vlysses aggreditur: & hæc consultatio est quędam accessio ad alteram præcedentem.

b Arbitror hîc esse metonymiam adiunctorum idolorum pro ædibus, & rursus harum pro vxore, liberis, reliquâque familia, quos Dij permiserant Vlysi potestatem omnes videndi.

c Exclamatio est admirantis facto iam periculo veritatē Tiresianæ vaticinationis, quæ priùs edita fuerat.

d Idem est & alter metonymiæ modus, vnde intelligendi sunt viri genere clari & virtute insignes, qui sine re facilè in contemtionem adducuntur.

e Quamuis hoc verbum propriè turdo tribui videatur: non equidem tamen desinam translatum esse dicere ad indicandam mittentis alacritatem & celeritatem: neque enim vllæ aues minimè cicures illuc volare solent, quo quisque velit. Itaque sic explico: *quum primùm turdus tibi datus fuerit; aut alia quælibet altilis, gratiq, saporis alis, eamq, confestim trāsmittas diuiti seni.*

f Metaphora est ab hominibus ad præstantissimos quosq; fundi fructus & ornatus significandos & mittendos: qualis fuit Ode 17. lib. 1. *ruris honores:* qualis etiam 2. Georg.

Frigidus & syluis Aquilo decussit honorem.

licet Seruius dicat hunc versum esse Varronis.

g Polyptoton est, ac metonymia rei signatæ, pro simulacro Laris, cui primariæ fruges deferebantur.

h Procatalepsis est, vbi occupatur & diluitur obiectum Vlysi.

i Puto hîc subesse speciem quandam synecdoches pro sordidissimo ac vilissimo quoque diuite.

k Non dubitabo hoc metonymicōs sumere, & ex subiecta & continente regione adiunctum Ilium, vel bellum illic gestum significari, affirmare.

l Hîc puto e parte significari totum & integrum Vlyssem synecdochicōs, qui, vt dicit, assuefaciet se, non sine ingratijs tamen, præstando tali officio.

m Metonymia est primùm materiæ pro nummo inde facto: deinde synecdoche pro qualibet pecunia. Quomodo autem Romani primò vsi sint ære rudi, illudque Seruius Rex notâ pecudis signârit, lege Plin. lib. 18. cap. 3. & lib. 33. cap. 3.

n Equidem existimo ex effecto hîc efficientem significari, vt curet Vlysses pernoscere senem testatorē, & ita se ab eo scribi heredem.

o Illustris est allegoria e metaphoris subijciens quasi sub aspectum mores captatoris, qui, & ipsius senex captandus, comparātur cum piscatoribus & piscibus, in quorum vtroque requiritur perseuerantia laboris & tolerantia: alioqui meritò illud Terentij obijcietur: *nunquam rem facies: nescis inescare homines:* de quo sic fecit Martialis lib. 6.

Munera magna quidem misit, sed misit in hamo,
Et piscatorem piscis amare potest.

p Synecdoche est membri pro ipsis hominibus, qui facilè capiuntur blandis appellationibus & honorificis titulis & assentationibus.

q Alia est synecdoche speciei pro qualibet recula minuta & leuissima: quali tropo vsus est Plautus in Mil. Glorio. *Non ego nūc emam vitam tuam vitiosâ nuce*, id est, vno obulo: quali etiam Aristoph. Pace: ὃν οὐ περιαιμάν ὀδ' οὐ ἐχάδος μιᾶς, *non emerim nec vnica quidem nuce*, & alibi: non ego istud verbum emsirem titiuillitio.

r Similis tropus, sed partis, pro bene curare corpus, & animum oblectare.

s Allegoria est e perpetuis metonymicis periphrasticis, pro, siue torrida fuerit æstas, siue acris hyems, durandum tibi erit.

t Metaphora est ab homine ad sermonem nato pro stupidis & mutis statuis, quæ os habent, nec tamen loquuntur. Hoc quidam putant contumeliosè dictum in iudices & actores caussarum, qui sæpiùs sunt infacundi & indiserti. Sed hæc allegoria non potest quadrare ad consilium Tiresiæ. Huc accedit, quod Cicero scribit 3. de Orat. *infantiam eius qui rem nōrit, sed eam explicare dicendo non queat, laudandam esse.*

u Alia est metaphora ab animatis corporibus ad Iouem & aerem, & hoc trāslationis genus Fab. Quintilianus lib. 8. cap. 6. notat: *Sunt*, inquit, *& duræ translationes*, id est, *a longinqua similitudine ductæ, vt capitis niues, pro canitie & hic versus:*

Iuppiter hybernas canâ niue conspuit Alpes.

pro, *Siue aer teget montes albis niuibus.*

x Imperfecta est ac breuis prosopopœia laudantis diligentiam captatoris.

y Alia est allegoria e metaphoris, pro, plures litigatores ad te accurrent sua tibi negotia mandaturi, qui te quàm primùm locupletabunt.

z Sumtum quoque est a spoliatis vestibus, pro, indicet, prodat & patefaciat insidiosas captiones tuas immodico obsequendi studio.

aa Alia est metaphora a serpentibus, quorum lapsus plerumq; fugit sensum: ita præstandum est seni officium, vt quâ mente id fiat, minimè sentiatur.

bb Est hoc quoq; sumtum a lusoribus, pro, hic conatus & sors benè sæpiùs procedit.

cc Metaphora est ab aue crudiuora ad Nasicæ soceri captatoris pleonexiam indicandam.

dd Synecdoche est periphrastica Augusti.

ee Altera est synecdoche pro dote filiæ, quam nolebat persoluere.

ff In *laudes* & *lauderis* est polyptoton eiusdem verbi variè cadentis.

gg Nota est metaphora pro domino & principe familiæ, tanquam arce oppidi, in primis capiendo.

hh Alia est allegorica trāslatio a viatoribus peritis, qui nunquam a recto itinere aberrant, ad significandā fidei coniugalis constantiam ac pudicitiæ integritatē.

ii Metonymia est efficientis pro amore, & subiecta ipsi pulcritudine.

kk Alia est metonymia, sed subiecti pro opibus senis ac fortunis, in quibus tanta vis inest expugnandæ castitatis & virtutis, vt de illis iactetur:

Muneribus capitur Iuppiter ipse datis.

Simili tropo D. Paulus dicit 2. ad Corinth. cap. 11. eos a pseudoapostolis exedi, pro ipsorum pecunias & opes ab his consumi.

ll Videtur hoc quoque metonymicōs dictum pro extrema testatoris voluntate & iussu in tabulis notato.

mm Libenter hîc agnosco ironiam: tropum certè & facetè iocandum accommodatissimum: vt iam alibi, & maximè initiò Rhetor. Sat 2. lib. 1. admonui.

nn Exclamatio est gaudio exultantis, simulq; reticentia illius: *iam satis est, totus triumpho gaudeo.*

oo In *tumidis* metonymia est effecti pro efficiente elatos ac superbos: ac præterea totus versus est allegoricus e metaphoris, vbi homo philautus & stultus comparatur cum vtre flatibus repleto, & sermones

tumidi, id est inanes laudationes cum leuibus ventis: quales sunt: *euge, fastiuè, o grande sophos, bellè* & similes.

pp Altera est ἀποσιώπησις ad tegendam simulationē doloris valdè apta.

qq Quædam est metaphora a feminibus & liquoribus ad verba, quâ Virgilius vsus est 2. Aeneid. *spargere voces ambiguas & famam in vulgus*, pro diuulgare. Itaque hîc *sparge subinde* valet, dic frequenter hæc verba: *vnde mihi tam fortem inueniam?* Ex opinione tamen quorundam hæc *sparge, subinde*, ad veterem funeris instruendi rationem posse referri notant.

rr Hoc ego etiam puto translatum a corpore malè affecto ad animum ægerrimè legatum huiusmodi ferentem.

SATYRA SEXTA.

Cui largiuntur Dij plura optatis, huic nihil restat, nisi vt negotiosas & molestas vrbes relinquat, & serus tutò habitatum recipiat, Horatij exemplo ad vtramque hominis partem honestè, quietè & iustè colendam.

Hoc erat in votis: modus agri non ita magnus,
Hortus vbi, & tecto vicinus iugis aquæ fons,
Et paulum syluæ super his foret: auctius, atq;
Di melius fecêre: benè est: nihil ampliùs oro,
a *Maiâ nate, nisi vt propria hæc mihi munera faxis,*
b *Si neq; maiorem feci ratione malâ rem,*
Nec sum factarus vitio culpáue minorem:
Si veneror stultus nihil horum: c *ô si angulus ille*
Proximus accedat, qui nunc d *denormat agellum!*
O si vrnam argenti fors quæ mihi monstret! vt illi
Thesauro inuento, qui mercenarius agrum
Illum ipsum mercatus arauit, diues amico
e *Hercule! si quod adest, gratum iuuat, hac prece te oro,*
f *Pingue pecus domino facias & cætera, præter*
Ingenium: vtq; soles, custos mihi maximus adsis.
2. Ergo vbi me in g *mõtes, & in arcẽ ex Vrbe remoui,*
Quid h *prius illustrem Satyris Musâq; pedestri?*
i *Nec mala me ambitio perdit, nec* k *plũbeus Auster,*
Auctumnusq; grauis, Libitinæ quæstus acerbæ.
l *Matutine pater, seu Iane libentiùs audis,*
Vnde homines operum primos vitæq; labores
Instituunt (sic Dis placitum) tu carminis esto
Principium. 3. m *Romæ sponsorem me rapis:* n *eia*
Ne prior officio quisquam respondeat, vrge.
o *Siue Aquilo radit terras, seu bruma niualem*
Interiore diem gyro trahit: ire necesse est:
Post modò quod mi obsit clarè certumq; locuto,
Luctandum in turba: facienda iniuria tardis.
Quid vis insane, & quas res agis? improbus vrget
Iratis precibus, tu pulses omne, quod obstet,
Ad Mæcenatem memori si mente recurras.
Hoc iuuat & p *melli est: non mentiar: at simul atras*
Ventum est Esquilias: aliena q *negotia centum*
Per caput, & circa saliunt latus. Ante secundam
Roscius orabat, sibi adesses ad Puteal cras.
De re communi scribæ magna atq; noua te
Orabant hodie, meminisses, Quinte, reuerti:
Imprimat his, cura, Mæcenas signa tabellis.
r *Dixeris, experiar: si vis, potes, addit: & instat*
Septimus octauo propior iam fugerit annus:
Ex quo Mæcenas me cœpit habere suorum
In numero: duntaxat ad hoc, quem tollere rhedâ
Vellet, iter faciens: & cui concredere nugas (par?
Hoc genus: s hora quota est? Thrax, an Gallina Syro
Matutina parùm-cautos iam frigora t *mordent:*
Et quæ rimosa benè deponuntur in aure.
Per totum hoc tempus subiectior in diem & horam
Inuidiæ: u *noster ludos spectauerat vnà:*
Luserat in campo Fortunæ x *filius, omnes.*
y *Frigidus a rostris* z *manat per compita rumor:*
Quicunq; obuius est, me consulit: o bone (nam te
Scire, aa *Deos quoniam propiùs contingis, oportet)*
Nunquid de Dacis audisti? Nil equidem. Vt tu
Semper eris derisor ad omnes. bb *Dî exagitent me*
10 *Si quicquam. Quid? militibus promissa Triquetrâ*
Prædia cc *Cæsar, an est Italâ tellure daturus?*
Iurantem me scire nihil mirantur, at vnum,
Scilicet egregij mortalem, altiq; silenti.
Perditur hæc inter misero lux, non sine votis.
dd *O rus, quando ego te aspiciam? quandoq; licebit*
Nunc veterum libris, nunc somno & inertibus horis
Ducere sollicitæ iucunda obliuia vitæ?
O quando faba Pythagoræ ee *cognata, simulq;*
20 *Vncta satis pingui ponentur oluscula lardo?*
O noctes, cœnæq; Deûm, ff *quibus ipse, meiq;*
Ante Larem proprium vescor vernasq; procaces,
Pasco libatis dapibus, prout cuiq; libido est:
Siccat inæquales caliçes conuiua solutus
Legibus insanis: seu quis capit acria fortis
Pocula: seu modicis humescit lætiùs. Ergo
Sermo oritur non de villis, domibúsue alienis,
Nec malè, nécne Lepos saltet: sed quod magis ad nos
30 *Pertinet & nescire malum est, agitamus: vtrúmne*
Diuitijs homines, an sint virtute beati:
Quidue ad amicitias, vsus, rectúmne trahat nos:
Et quæ sit natura boni, summumq; quid eius.
Ceruius hoc inter vicinus garrit aniles
Ex re fabellas. Nam si quis laudat Arelli
Sollicitas ignarus opes: gg *Sic incipit: 4. Olim*
Rusticus vrbanum murem mus paupere fertur
Accepisse cauo, hh *veterem vetus hospes amicum:*
40 *Asper & attentus quæsitis; vt tamen arctum*
ii *Solueret hospitijs animum: quid multa? neq; illi*
Sepositi ciceris, neq; longæ inuidit auenæ:
Aridum & ore ferens kk *acinum semesaq; lardi*
Frusta dedit, cupiens variâ fastidia cœnâ
Vincere tangentis malè singula dente superbo:
Quum ll *pater ipse domus palea porrectus in horna*
Esset ador loliumq; dapis meliora relinquens.
50 *5.* mm *Tãdẽ vrbanus ad hũc, quid te iuuat, inquit, a-*
Prærupti nemoris patientem viuere nn *dorso? (mice*
Vin' tu homines vrbemq; feris præponere syluis?
Carpe viam (mihi crede) comes: terrestria quando

Morta-

Mortales animas viuunt sortita: neq; vlla est
Aut magno aut paruo lethi fuga: quo, bone, circa
Dum licet, in rebus iucundus viue beatus:
Viue, memor quàm sis æui breuis. Hæc vbi dicta
Agrestem pepulere, domo leuis exsilit: inde
Ambo propositum peragunt iter, vrbis auentes
Mœnia nocturni subrepere. Iamq; tenebat
Nox medium cæli spatium: quum ponit vterq;
In locuplete domo vestigia: rubro vbi cocco
Tincta super lectos canderet vestis eburnos,
Multaq; de magna superessent fercula cœna:
Quæ procul exstructis inerat hesterna canistris.
Ergo vbi purpurea porrectum in veste locauit
Agrestem veluti succinctus cursitat hospes:
Continuátq; dapes: nec non vernaliter ipsis
Fungitur officiis, prælambens omne, quod offert.
Ille cubans gaudet mutatâ sorte: bonisq;
Rebus agit lætum conuiuam: quum subitò ingens
Valuarum strepitus lectis excussit vtrúmq;.
Currere per totum pauidi conclaue magisq;
Exanimes trepidare: simul domus alta molossis
Personuit canibus. Tum rusticus. Haud mihi vitâ
Est opus hac, ait, & valeas: me sylua, cauúsq;
Tutus ab insidiis tenui solabitur eruo.

Analysis Dialectica.

NOn ex hoc sermone solùm, sed è multis etiam aliis cognosci potest, quàm studiosus fuerit Poeta rusticæ vitæ ac tranquillæ: cuius iucundo fructu quum diutiùs nequiret carere, pertæsus aulicæ & vrbanæ, postulauit facetè à Mæcenate iuuenalis ætatis redintegrationem, quâ tum florebat, quum in primam ipsius notitiam se venisse scribit Epist. 7. l. 1. vbi est hæc formula postulati:

Quòd si me noles vsquam discedere; reddes
Forte latus: nigros angustâ fronte capillos:
Reddes dulce loqui: reddes ridere decorum, &
Inter vina fugam Cynaræ mærere proteruæ.

Quin etiam tædio eiusdem aulicæ vitæ ductus, rusticam veris laudibus ornauit, atque Epod. 2. huc destinauit, quòd illam traduci quietè, & paruis naturæ bonis beari, putaret. Potest autem summa huius sermonis tribui *in commemorationem prædicationémq; benignitatis diuinæ erga Poetam, & in vtriusq; vitæ comparationem.* Itaque benignitas Deorum initiò maiorum collatione explicatur: *quòd Dii parua munera rogati longè maiora & meliora, quàm postulatum, vel potiùs, quam optatum fuerat, concesserunt largè & prolixè.* Sic Plato in Alcibiade sentit de Ioue, monitu cuiusdam Poetæ, *Iupiter rex, optima nobis & vouentibus & non vouentibus tribuito: mala autem poscentibus etiam abesse imperato.* Hîc tam luculenter videtur Plato expressisse illud Matthæi 20. v. 22. *Nescitis, quid petatis*: vt hinc depromtam sententiam diceres: quam Satyricus etiam graphicè imitatus est:

Permittes ipsis expendere Numinibus, quid
Conueniat nobis, rebúsq; sit vtile nostris.
Nam pro iucundis aptissima quæq; dabunt Dî.
Carior est illis homo, quàm sibi.

Huius autem collationis protasis constat distributione rei petitæ ex adiunctis *mediocribus agro, horto, domo, fonte perenni & nemore:* è quorum liberali donatione vt voluntas Deorum in homines propensa cognosci & spectari potuit, sic prouidentia eorundem in conseruatione, amplificationéque datorum animaduertitur manifestò: vndè dicit, *se nec thesauros, nec latifundia expetere, sed precibus Mercurium orare, vt rebus iam concessis det facunditatem, ac sibi ingenii bonitatem.* Hoc autem facit πιστεργασίᾳ τινὶ, *fiduciâ quadam* conditionalis & honestæ actionis, conscientiæque rectæ: quæ declaratur factis, id est, *declinatione vitiorum & dissimilitudine aliorum.* Ea quidem certè religio fuit Ethnicorum.

2. Ὁ μὲν Ποιητὴς περὶ τῆς τοῦ Θεοῦ χρηστότητος εἰς αὐτὸν πληροφορηθεὶς, οὐκ ἐβουλεύσατο πᾶσαν σχολὴν ἄγειν ἀπὸ παντὸς ἀγρυπνίας μετὰ πολλῆς ἀσφαλείας. *Poeta, vbi bonitatem Dei erga se exploratam habuit, non statuit omninò vacare ab omni opere, cum multa securitate ruri habitans:* sed parium collatione ostendit, *nihil sibi prius ac potius faciendum, quàm vt digno carmine celebraret Musas, Faunes, Panas, Syluanos, reliquósq; agrestes Deos, in quorum tutela & præsidio totaes rustica lateret.* Hoc autem institutum firmat adiunctis: *quòd nullâ ibi distingatur ambitione, nullâ iactetur ægrotatione: nullâ denique tentetur malâ cæli affectione.* Itaque illud sibi persequendum studium videtur: cuius initium ducit ab implorata Iani ope: *quod se facere exemplo reliquorum hominum & Deorum auctoritate, qui aggrediuntur aliquod opus & memorabile facinus,* profitetur.

3. Hactenus commemorata est Deorum benignitas erga Poetam: explicatur deinceps vrbanæ & rusticæ vitæ comparatio ex dissimilibus. *Nunquam,* inquit, *degentibus in Vrbe desunt, qui molestiam exhibeant. Rus autem incolentibus adsunt semper hilares rustici homines, iocosi: læta denique omnia. Quare huc inde est emigrandum.* Huius autem protasis est de vrbana, & ad hunc vsque versum: *O rus quando &c.* pertinere mihi videtur, quæ distributione hominum è vario fine & factis constat: *quorum alii ebriati solicitant illum, more hominum iratorum, auctoritate Mæcenatis ad spondendum pro ipsis: litigatores ad caussam iudici commendandam: Scribæ ad communicationem publicorum actorum & literarum & ad earundem obsignationem: primi pratereà quique sibi huic ad commemorandam publici consilii rationem, rerúmque nouarum nunciationem: Mæcenas ad quidum sibi respondendum:* vnde intolerabilis moles laboris & inuidiæ est ipsi sustinenda. Quare grauissimas profert querelas *de operosis molestisq; Vrbis negotiis, de mutua ciuium inuidia, de summis deniq; occupationibus,* à quibus quum se relaxare studet propositâ importunis hominibus caussâ, curà Mæcenate sit ad aulâ accersitus, nec proficere quicquam potest docendo, incredibili desiderio ruris flagrans ter exclamat vitæ rusticæ tranquillitatem & iucunditatem: *O rus quando &c*: vbi Poeta ostendit se non dissimili teneri desiderio ruris sui, atque ferunt Græci ex eleganti carmine Menandri quendam è longinqua & diuturna peregrinatione reuersum domum: qui, quod esset suo redditus agro, tantâ perfusus est lætitiâ, vt ipsum salutârit, Deúmque suum vocârit, afferens huius diuinæ appellationis rationem, se id meritò facere, quum inde pascatur optimè. *Neque enim,* ait, *omnem terram tali dignor honore sed eius solùm particulam, vnde tantum beneficii accipiam.* Versus Poetæ sunt:

Χαῖρ' ὦ φίλη γῆ, διὰ χρόνου πολλοῦ δ' ἰδοῦσ'
Ἀσπάζομαι· τοῦτο γὰρ οὐ πᾶσαν ποιῶ

Τὴν γαῖαν, ὅταν δὲ τὸν μὲν ἐσίδω χωρίον,
Τὸ γὰρ τρέφον με, τοῦτ' ἐγὼ κάλλω θεόν. i.
Salue cara tellus, per mutatum tempus te conſpicatus,
Saluto: neq; enim huius omnem facio
Terram, quum meum aſpicio agrum,
Nam quòd me alat, ego illum iudico Deum.

Vbi inquam ego ſtatuo antapodoſin noſtræ comparationis: quæ certè magis eluceret, ſi ſine figurata exornatione, i. Græcis ἀσχηματιστῶς pronunciaretur, vt pro, *o rus, o quando, o noctes*: dicamus, *non ſic ſollicita eſt vita ruſtica, non ſic turbatur in meo prædiolo Sabino.* Eodem prorſus comparationis genere per mutuam procreantium & procreatorum gradationem Cicero defendit Sext. Roſc. Ameri. contra C. Erutium: vnde perſpicimus Poetam & Oratorem mirè conſentire inter ſe de laudibus vitæ ruſticæ: *in Vrbe*, ait, *luxuries creatur: ex luxuria exiſtat auaritia, neceſſe eſt: ex auaritia erumpat audacia: inde omnia ſcelera & maleficia gignuntur. Vita autem ruſtica, quam tu agreſtem vocas, parſimoniæ, diligentiæ, iuſtitiæ magiſtra eſt*, quod dilatatur variis adiunctis: *Nam ibi licet amœniſſimo ruris aſpectu frui, liberâ veterum philoſophorum & Poetarum lectione inertibus horis delectari, ſomno molli & quieto, ſecuri frugalibuſq; cibis, cara ſodalitate domeſticorum & vernarum, liberâ compotatione: Philoſophi à diſputationes facetâ demq; confabulatione, quæ ſunt mira vitæ ruſticæ condimenta. Quod ſi quis forte incidere in laudationem opum, continuò reprehenditur à ſodalitio, maiorum illarum poſſeſſionum & inquietam docente.*

4. Poeta vtitur hic tanquam argumento aliunde ſumto, eleganti & valdè appoſito ad hanc contentionem apologo, de mure ruſtico & vrbano, quorum nominibus adumbratur vtriuſque vitæ ratio, de qua hic agitur: vel potiùs Horatius vitæ ruſticæ ſtudioſiſſimus, & Mæcenas vrbanæ appetentiſſimus κατὰ τὸ ἐπιμύθιον adſignificantur. Quò etiam nos ducit veluti manu topographia huius prærupti nemoris, ad ſitum Horatianæ villæ proximè accedentis. Itaque hic apologus, quanquam à Dialecticis in aſſumtis numeratus ſit; poteſt tamen modo ſimilium enunciari: *Vt mus ruſticus citò faſtidiuit cultum vrbanæ vitæ exploratum: ſic Horatius vitam Mæcenatis expertus, noluit ſequi.* Mures illi ſeſe mutuis hoſpitiis exceperunt, & facto vtriuſque vitæ periculo, mus ruſticus vitam ruſticam prætulit vrbanæ: vnde, quod volebat, Poeta prudenter effecit, *vitam ruſticam mediocri rerum ſtatu contentam vrbanæ longè anteponendam, quanquam hæc in ſumma earundem abundantia verſari videatur.* Mus ruſticus viſitatur ab vrbano & ei prior cænam parat, qui variis effectis deſcribitur, quibus inſeruntur hæc diuerſa: *Quanquam hic conuiuator parcè ac duriter viuere ſolitus eſſet: veteris tamen hoſpitiis cauſsâ omne ſuum penus & omnes cellulas & arculas perſcrutatus eſt, vt animo ſoluto & alacri hunc tractaret, & ſe viliorib us intereà illis cibis paſcebat.*

5. Cohortatio eſt vrbani muris ad ruſticum, de migrando in vrbem rure: cuius ratio prima eſt *ex incommoditate loci* & comparatione eiuſdem; *qui non eſt vrbi præferendus, nec illius feræ hominibus vrbis.* Altera eſt ex adiuncta *vitæ breuitate, quæ, dum licet, omni iucunditati danda ſit.* Eódem Euripides inuitat, quum Herculem inducit, iiſdem argumentis vtentem in Alceſtide ad hilaritatem vitæ ſuadendam:

Βροτοῖς ἅπασι κατθανεῖν ὀφείλεται·
Κ' οὐκ ἔστι θνητῶν ὅστις ἐξεπίστατο
Τὴν αὔριον μέλλουσαν εἰ βιώσεται.
Τὸ τῆς τύχης γὰρ ἀφανὲς οἱ προβήσεται,
Κἀστ' ὀ διδακτὸν, οὐδ' ἁλώσεται τέχνῃ.
Τοῦτ' οὖν ἀκούσας καὶ μαθὼν ἐμῇ πάρα,
Εὔφραινε σαυτὸν, πίνε· τὸν καθ' ἡμέραν
Βίον λογίζου σὸν, τὰ δ' ἄλλα τῆς τύχης.

Omnes homines morti debentur: neque quiſquam certè nouit an die craſtino victurus ſit. Nam cæcus rerum ſucceſſus ipſum antecedet, qui nec doctrinâ, neque arte comprehendi poteſt. Hæc vbi à me audieris & intellexeris; te ipſum belliſſimè oblecta, bibe: præſentem vitam deputa tuam, reliqua Fortunæ.

Reliquum Satyræ conſumitur in deſcribenda vtriuſque muris profectione & aduentu in magnificas vrbis ædes, variis adiunctis & euentis explicatas: quibus exterritus mus ruſticus ſubito rus voluit remigrare, & huic longè poſthabuit pingues vrbis reliquias è lautis cænis, ὡς ἐπιμυθούμενος, frugalis vitæ quietem curis ſumtuoſiſſimæ præferendam.

Enarratio Grammatica.

IN *votis.*] Perſius hoc imitatus eſt Sat. 3. *Quid dexter ſenio ferret Scire erat in voto* pro quo dicit Cicero lib. 2. ad Famil. Epiſt. 1. in omnibus tuis rebus meis optatis fortuna reſpondit. Item eiuſdem lib. Epiſt. 13 ad Cælium, *quid eſt cauſſæ, cur mihi non ſit in optatis complecti hominem?* Deflectitur autem ſic acceptum *votum* non ex hac notione verbi, quæ eſt in promittendo, ſed ex altera, quæ eſt in optando, quemadmodum hîc ipſe ſumit l. 1. Epiſt. 4.

Quid voueat dulci nutricula maius alumno,
Quàm ſapere? ----

Id eſt, quid magis optet & cupiat. Valet igitur, *hoc erat in votis*, hoc veniebat in votum, vt ipſe loquitur Epiſt. 11. id eſt, hoc vouebam & optabam, vbi explenda eſt ellipſis, vt modus agri eſſet mihi non ita magnus: vel diaſaphetica particula, *nempe*, *ſcilicet* ſubintelligenda, *hoc erat in votis, nempe modus agri non ita magnus*: quam tamen boni Latinitatis auctores non ſolent exprimere. Hæc autem phraſis Græcè pronunciatur, ἀπὸ τῆς τύχης ἦν μοι τοῦτο, ἢ εἰς ἐπιθυμίαν τοῦτο ἀφικόμην. hoc optabam, vel, vt locutus eſt Epodis 7. hoc ſecundùm mea vota erat.

Hortus.] Inclinatur hæc vox Feſto & Iſidoro ab *orior*, quamuis prior ſyllaba denſetur, quòd illic ſemper naſcatur aliquid, nec vnquam hortus ſit ſine fructu, vt alia terra ſemel quotannis ferax, & ob hanc commoditatem Cato in dialogo de ſenectute appellat hortum alteram villæ ſuccidiam optimam & maximam, Gallicè, *le ſecond lard tresbon.* Vox autem Græca κῆπος huic notione reſpondens ab Heſychio definitur, τόπος ὁ περιπνεόμενος καὶ σύνεμος καὶ τῶν δένδρων ἡμέρων καὶ τῶν λαχάνων, id eſt, *locus arboribus & oleribus conſitus, & ventu expoſitus ſecundu.* κῆπος γὰρ λέγεται πνεῦμα.

Iugis aquæ.] Ita Cicero dicit puteum & aquam iugem, quod Græci efferunt φρέαρ καὶ ὕδωρ καὶ πηγὴν ἀένναον: *quòd perpetuò fluant.* Ita τὸ διηνεκὲς τῆς πηγῆς, *perennis & perpetua fontis ſcaturigo*: quod poſterius rationem temporis & loci adſignificat & propriè ad res corporeas, continuas & fixas refertur quæ continuâ ſerie in longum tendunt, atque, vt hoc obiter dicam, τὸ διηνεκὲς ἐπὶ τῶν ἥνεκῶς, *protentus*, & hoc ab ἥνεκται fit ſublato ταν & αι in ῆν, à themate ἐνέχω. Vnde Homerus dicit Ἰλιαδ. μ. ῥίζῃσιν μεγάλῃσι διηνεκέεσ' ἀραρῦῖα, *Quercus magnis & porrectis radicibus nixæ*, id eſt Euſtathio, ῥίζαι διὰ πολλῶν τόπων συνιστάμεναι, *radices per diuerſa loca importatæ*: ſic ὁδὸς, ῥάβδος, νῶτα διηνεκῆ, *vias, virgas, terga* Græci dicunt *in longum producta*: de quibus non equidem legi

legi *τὸ iuge* posse pronunciari: rectè quidem translatè Plaut. in Pseud. dicit, *Nam is mihi thesaurus iugis in nostra est domo.* pro inexhausta copia.

Super his.] Pro hoc antè Sat. 5. dixit, *illud ad hæc iubeo.* Græci, *ἐπὶ τούτοις, πρὸς τούτοις*, quibus & accessio & superlatio quædam designatur, vt hîc vltra hortum & fontem perennem sylua etiam optatur, vt ad exiguum agri modulum accedere posset: itáque ad moderatum vitæ rusticæ vsum nihil desiderari videtur.

Di auctius.] Id est, Dii cumulârunt me pluribus atque melioribus bonis, quàm optâram & postulâram.

Bene est.] Quidam interpretantur, *καλῶς πάντα ἔχει, rectè habent omnia.* Quidam tamen putant posse sumi, vt illud Terentii in Heaut. 2. 1. *Tum quod dem et rectè est*, pro satis: in quo etiam nonnulli putant esse ironiam. Sensus igitur hic est: quod Dii mihi dederunt, bene est, i. satis est mihi. Alii deniq; accipiunt, *ὡς διὰ χαριστηρίου ὁμολογίας καὶ εὐχῆς, tanquam esset oratio, quâ gratia agerentur, beneficiáq; prædicarentur.*

Maiâ nate.] Iam antea dictum est de Mercurio Ode 2. l. 1. & 10. eiusdem & Sat. 3. huius libri.

Vt propria.] Breuiter hanc vocem notauimus in Rhetoricis Od. 2. l. 2. in fine, sed apertiùs vis eius demonstranda est ex aliis locis & scriptoribus: primum ex Epist. 2. l. 2. huius auctoris adhibetur quædam definitio proprii:

---Tanquam
Sit proprium quidquam, puncto quod mobilis hora
Permutet Dominos. ---

Quam quidem videtur Poeta mutuatus à Myside Terentiana Act. 4. Sc. 3. Andriæ, vbi illa queritur abalienatum esse Pamphilum, vndè conficit nihil esse cuiquam proprium, id est, firmum, stabile, certum, perpetuum ac semper propinquum, sed omnia esse mutua, quòd illa modò sint tua, modò mea, modò huius, modò illius, denique mutabilia, fluxa & caduca. Videtur Cicero epist. 30. ad famil. Curium l. 7. definire *τὸ proprium*, quùm ita scripsit, *Quando te Attici nostri proprium esse scribis mancipio & nexu, meum autem vsu & fructu, contentus isto sum. Id enim cuiusque est* proprium, quo quisquè fruitur atque vtitur: hæc autem est interpretatio eorum, quæ Curius epistol. præcedente scripserat ad Ciceronem. *Si vales, bene: sum enim χρήσει μὲν tuus, κτήσει δὲ Attici nostri: Ergo fructus est tuus, mancipium illius*, id est, *proprietas & dominium*, vitam autem hominum contrà, è lib. 5. Lucretii sic æstimamus,

Sic aliud de alio, numquam desistit oriri:
Vitaq; mancipio nulli datur, omnibus vsu.

hic intelligatur *τὸ nulli datur*, tanquam pro eo additum esset, propria & perpetua, sed solùm ad tempus vtenda illi conceditur: eam ob rem idem spiritum habet tantummodò precarium, quod est Vlpiano in *leg. 1. ff. de precario* quidquid precibus petenti vtendum conceditur tandiu, quamdiu is, qui concessit, patitur, quod Lucretius vocat vsum: Sed mancipium lib. 2. ff. de origine Iuris *est dominii comparatio* & ius proprium possidendi aut per alienationem, id est, per emtionem seruatâ mancipii lege, aut per donationem, aut per cessionem in iure: his enim modis rei cuiusque possunt domini fieri, eamque quasi manucapere. Itaque Pamphilus Act. 5. Sce. 5. Andriæ affirmat, proprium tantùm in Deos immortales cadere posse:

Ego vitam Deorum propterea sempiternam esse arbitror,
Quòd voluptates eorum propriæ sunt, id est, semper illis inhærent, nec indè recedunt vnquam: quò pertinent hæc duo iambica. Senecæ Epist. 8. *Non est tuum Fortuna quod fecit tuum. Dari bonum quod potuit auferri potest.* Quoniam verò *ἀθάνατός ἐστιν ἀρετή, virtus est immortalis*, è sententia sapientis Periandri, sola ex omnibus rebus solet propria esse hominum ipsâ præditorum, ideóque Cleobulus vnus è septem, *τῆς ἀρετῆς οἰκεῖόν ἐστι τὴν κακίαν μισεῖν.* Summi tamen beneficii loco pollicetur Iuno Aeolo Aeneid. 1. se facturam ipsius propriam Deiopeiam, quod interpretatur Seruius perpetuam, ac sine diuortio cum ipso semper victuram: vbi notes Poetam cognatis vocib. vsum fuisse, quùm propriam dicari & connubio stabili iungi ferè idem sonent. Similis interpretatio repetitur in hunc vers. 6. Æneid.

--- Nimium vobis Romana propago
Visa potens, Superi propria hæc si dona fuissent.

id est, perpetua. Similis est explicatio vers. Aeneid. 3. *hæ nobis propriæ sedes*, i. perpetuæ. Addam ad extremum Cic. locum è lib. 9. Epist. 18. ad Attic. *τέτλαθι, κύντερον, ne illud quidem nostrum proprium*: vbi Cicero verbis Vlyssis consolatur Atticum, consiliis Cæsaris, plenis suspicione tyrannidis, valdè territum. Hæc, inquit, perfer, qui tuleris gratius, quum indignissimè exsulâsti lege Clodiâ eiectus: quod enim nobis indè videtur imminere, non erit proprium, id est perpetuum, aut semper futurum, sed breui fiet eiusdem mutatio. Integer autem versus verborum Vlyssis citatus antè Satyr. 5. & est ab Horatio conuersus. Vtrum verò hæ voces Græcè *τὸ κύριον καὶ τὸ ἴδιον καὶ οἰκεῖον*, hanc significandi rationem possint subire, non planè mihi constat. Scio equidem *τῷ ἰδίῳ, ὡς ὁμογόνῳ τοῖς πράγμασι, ταῦτα ἀλλότριον, κοινὸν, δημόσιον, ἐναντιοῦσθαι*, & modò de tertia dictum est è Cleobulo. Itaq; doctioribus Hellenismi hæc consideranda relinquo.

Si neque maiorem.] Quidam volunt hîc *τὸ, si* ter positum *αἰτιολογικὸν, οὐκ ὑποθετικὸν* vel potius *σωκημένον εἶναι*. ego verò posterius malo retinere, vt ostentationis & arrogantiæ minoris, quàm prius. Valet igitur hoc loco, si non auxi fortunas meas artibus iniquis, nec luxu, nec inutili sumtu quidquam de illis diminui.

Nihil horum.] Hoc sonat, si à Diis immortalibus opto & precor, vt hæc mihi fiant & eueniant, quæ sequuntur. Cic. 1. de nat. Deo. congeminat hæc, vt cognata, colere, precari, & venerari: & certè hoc postremum *stultus veneror*, pro stultè appositissimum est ad vim auaritiæ notandam. Ita enim D. Paul. ad Ephes. c. 5. definit *τὸν πλεονέκτην, ὅς ἐστιν εἰδωλολάτρης τὴν δὲ πλεονεξίαν* ad Colos. 3. *ἥτις ἐστὶν εἰδωλολατρία*, id est, auarum, qui est idolorum cultor, auaritiam autem, quæ est idolorum cultus & radix omnium malorum, vt idem Apost. 1. ad Timot. 6. *ῥίζα γὰρ πάντων τῶν κακῶν ἐστιν ἡ φιλαργυρία, ἥτινες ὀρεγόμενοι ἀπεπλανήθησαν ἀπὸ τῆς πίστεως καὶ αὐτοὺς περιέπειραν ὀδύναις πολλαῖς*, id est, *auaritia enim est radix omnium malorum, ad quam multi nimis attenti aberrarunt à Christiana religione, & sese multis vndique doloribus confixerunt.* Meritò igitur Poeta, licet Ethnicus, talem diuitiarum venerationem damnat, & sic videtur omnes docere, vt idem faciant, quùm cernamus omnem non modò in Deum caritatem, verùm etiam in homines reliquos amorem & humanitatem exuere eum, quicúnque est pleonectes.

O si angulus.] Formula est optationis, qualis est Odyss. 7. Telemachi ad Nestorem.

Αἴ γὰρ ἐμοὶ τοσσόνδε θεοὶ δώσαιμεν πεφαθεῖν!
Vtinam dedissent Dii mihi tantum roboris!

Vbi Eustathius notat *σύχνη ἐπὶ ἀμυνόμενον τὸ αἴ γὰρ ἐμοὶ, ὀρεκτικὸν εἰς βοήθειαν ἀδικουμένου*. Particula autem

εἰ est loco τοῦ εἴθε, vt sæpè εἰ loco τοῦ εἴθε, qualis est optatio Oedipi Tyran. sub initium Tragœdiæ de ipsius nomine:

Ὦ ναξ Απολλον, εἰ γὰρ οὐ τύχη γέτῳ
Σωτῆρι βαίν, λαμπρὸς ὥσπερ ὄμματι.
O Rex Apollo, vtinam in fortuna salutari aliqua
Sic veniat (Creon) vt id vultu præ se fert!

Hæ sunt omnes optandi notæ. Hoc autem genus imitatus est Persius Sat.2. *o si ebullet*, id est, vtinam funus patrui euanescat more bullæ. Virg.6. Aeneid. seorsim dicit:

Si nunc se nobis ille aureus arbore ramus
Ostendat!

Interdum, vt hic, coniunctim:

O mihi præteritos referat si Iuppiter annos!

Præterea Etymon anguli est Varroni lib.1. de ling. Lat. ab angustia: sed Festo à voce Graeca ἄγκυλον, quod est curuum & aduncum, & attribui solitum arcui & vngulis aquilarum. Auarus optat hic, vt ad suũ addatur minuta portiuncula vicini agri, quæ inæqualitatem deformitatemque afferat agro suo.

Vtnam.] De Veriverbio huius vocis vide Grammatica Odes 3.l 2. Sensus autem est: vtinam fortuna ostendat mihi abditum in aliquo loco thesaurum, sicut ostendit illi quondam, qui mercenarius & mercatus emtum agrum ipse arauit, & diues factus est fauore Herculis.

Quà.] I. in aliqua parte. Eò retexui orationem, quò d viderem eam sub obscuram propter Ellipses & dissoluta verba: sed in, *qui mercenarius*, est hic Hellenismus ὤν μισθωτὸς, qui mercede est conductus. Quid autem sit Thesaurus vide lib.41.ff. Tit. de acquir. rer. dom. Paulò aliter tamen Agell. describit: *quos*, inquit, *Thesauros Græco nomine appellaremus, priscos Latinos dixisse fiaussas, quòd in eos non rude æs argentumq;, sed flaia signatáque pecunia conderetur*: quidam putant vocem esse coniunctam ἐν τῇς θήκης καὶ τοῦ ἄυρου, vt sit conditorium pecuniæ. Hoc enim nomine veteres Græci pecuniam vocabant: quâ qui abundabat, αὔρος dicebatur: alii tamen inde Thesaurum dici putant, quòd εἰς αὔριον, in crastinum sit repositus, vt sit θέσις εἰς αὔριον. Hebræi autem *otsar*, dicunt à recondendo *atsar*, quò videtur pertinere illud D. Pauli c.16. Epist.1. ad Corinth. ἕκαστος ὑμῶν παρ' ἑαυτῷ τιθέτω θησαυρίζων, ὅ, τι ἂν εὐοδῶται, i. e. *quisque vestrum apud sese ponat recondens*, quod primo quoq; die hebdomadis in collectam pauperum conferat *pro ratione benignitatis erga se diuinæ.*

Amico Hercule.] Auctor Adagiorum huius meminit: ac præterea Diodorus lib.5. memorat Herculem ab antiquitate habitum fuisse Deum lucri & diuitiarum, & harum decimam ipsi solutam à M. Crasso, Lucullo, & Sylla: in ara autem maxima colebatur, vbi bos mactabatur, cuius sacrificii descriptio est Aeneid.8 ad hæc verba, *dixerat Herculeâ bicolor &c.* Quidam referunt hunc locum ad fabulam rustici cuiusdam, cui Hercules inter somnum indicauit thesaurum.

Quod adest.] I. si sum contentus & delector eo, quod in præsenti habeo. Est quoque in *gratum iuuat*, Ellipsis & dissolutio, pro, si, quod mihi nunc adest, gratum est & iuuat.

Pingue pecus.] Conseruationem & amplificationem datorum postulat, boues, oues, sues, greges denique & armenta pinguefaciendo, & agros, vites, reliquásque arbores fœcundando, ac ingenium sibi exacuendo.

Et in arcem.] Id valet, postquam me recepero in meam villam, ante omnia versibus celebrabo Deos agrestes. Hic enim *Musa pedestris* sonat rustica & sylue-stris. Itaq; hoc sensu, *Satyris & Musa* pendent à comparatiuo *prius*. Quum autè interpretamur de argumento & re, quam priùs tractabit Satyrica compositione ad familiarem orationem & solutam accedente, tum eædem voces casus erunt modi. Prior tamen interpretatio videtur anteponenda.

Plumbeus Auster.] Hic ventus Græcè dicitur νότος, ἡ μὲν εἰς τὴν νέφος παραλαλεῖται· τοῦτο γὰρ διαπνοῦντος τὰς τῆς λεπτοψυχίας γίγνεται. *Huius enim perflatu defectio facultatis animosæ gignitur.* Eam ob rem diximus *ibum auudere ad morbum* vocis affinitate, de quo sæpè dictum fuit anteà, vt Ode 14. lib. 2. *nocentem corporibus metuemus Austrum.*

Ambitio.] Definitur hic affectus, immodica honoris cupiditas, quam vox Graeca φιλοτιμία præ se fert: de qua l, 4. Ethic.

Libitinæ quæstus.] Qui fit è venditione rerum ad funera magnifica necessariarum, quæ in æde Libitinæ curabantur à Libitinariis, pollinctoribus, præficis, Vespilonibus, sandapilariis, reliquisque designatoribus, & vt in æde Iunonis nomina nascentium, sic in illa Libitinæ morientium scribebantur: vnde Sueto. in Nerone cap.39. *triginta funerum millia in rationem Libitinæ venerunt.* Sed de Libitina vide Ode 30. lib.3.

Matutine.] Plutarchus in Numa dubitare videtur, vtrum Ianus fuerit rex, an heros, an semideus: narrat tamen quid in vita fecerit, & cur bifrons dictus sit. Idémq; scribit οὐ Ρωμαικοῖς principium diei & anni ab eo sumi. Itaq; quum antiquitas putaret per illum tanquam, per ianuam cæli, preces hominum & vota Diis facta ad eos perferri, primus omnium deuocabatur, præsésque operum, auctórque laborum, & vt sol alter, diespiter, tanquam diceres, diei pater, habebatur. Cicero lib.2. de nat. Deor. dicit Ianum, pro quo etiam Eanum, ab eundo duxisse nomen. Munsterus contrà à voce Hebræa *Iain*, de qua sic Salomon cap.20. vers.1. *Ietshaiain, vinum est scurrilis derisor*, scribit Ianum inclinari: quod primus crederetur inuenisse vinum, ideóque putat illum ab Ethnicis pro Noeo sumtum & cultum: de quo vide plura apud Macrob. lib.1. Satur. & Seruium lib.7. Aen. ad vers. *Sunt geminæ belli portæ:* & Athenæum lib. vltimo & Sat.3. huius lib.

Libentiùs audiu.] Sic Epist.7. l.1. loquitur:

Sæpè verecundum laudasti: séxq; patérq;

Audisti coram: vtrobique videtur significari, quod Græci dicunt ἀκούειν ἀρίστα παρά τινος, ἢ εὐδοκιμεῖν παρὰ τοῖς ἄλλοις, quod Terentius & Cic. per, *bene audire apud alios*, id est, bene dici & laudari ab illis, interpretantur.

Vnde homines.] A Iano incipiunt homines primos vitæ difficilis & actuosæ labores: qualis est vita vrbana. Hoc autem *labores operũ ac vitæ* dicitur ἓν διὰ δυοῖν, *vnum per duo, vita operosa, vt arma virúmq;*, pro virum armatum.

Placitum.] I. sic visum est, decretum & institutum à Diis. Hoc autem verbum non est oblectationis, sed censuræ, conclusæq; deliberationis, quod Græci reddunt, ὅτως ἔδοξε θεοῖς, ἢ οὕτω δέδοκται.

Romæ sponsorem.] Variè hic locus sumitur: quidam enim putant Horatium sic Vrbis incommoda recensere, vt initiò se dicat cogi à Iano ad officium spondendi pro aliis: & quasi hoc munus sibi pergratum Poeta ostenderet, precari Ianum, vt ad id maturè ab ipso impellatur, ne quis fortè aliis sponsor hanc liberalis & ingenui animi gloriam in spondendo ipsi

præripiat. Neutrum meo iudicio neq; Ianum, neque Poetam satis decet hæc interpretatio, præsertim quũ vtrique notum sit ἀπόφθεγμα τȣ̃ Πιτȣκȣ̃. ἐγγύη, παρὰ δ' ἄτη, *factæ sponsionis comes est noxa*: sponsor enim recipit in se rei ac consilii euentum, illique dependendum erit, quicquid pro alio spoponderit, & culpa, siqua commissa fuerit, præstanda. Præterea pugnat hæc expositio cum incommodorum vrbanorum commemoratione ac multò magis cum hac impia Poetæ responsione ad Ianum, *quid vis insane?* Alii sic interpretantur, vt de Iano tantum dicatur, tu Iane, impellis me ac vrges, vt præstem me officiosiorem aliis hoc munere fideiubẽdi. Non equidem improbo sententiam reliquorum, qui hîc agnoscunt orationem modificatam ad aliquem clientem, de qua suo loco.

Aquilo radit.] Sic Epo. 16. Eurus radit arua.

Interiore gyro.] I. sub terram. Hoc autem intelligendum est è Proclo de sphæra obliqua: vbi sic ille: *ἐπὶ δὲ χειμερινὸς τροπικὸς κύκλος ὑπὸ τȣ̃ ὁρίζοντος τέμνεται οὕτως, ὥστε τὸ μὲν ἔλασσον τμῆμα ὑπὲρ γῆς γίνεται, τὸ δὲ μεῖζον ὑπὸ γῆς. Itaq; Tropicus hybernus sic ab horizonte secatur, vt minor pars supra terram sit, vnde dies est breuior: maior verò sub terra, vnde illa dies est longior*: quod fit, quum Sol est in Capricorno: de quo Ode 6. lib. 2. Est autem in hoc disticho Ellipsis & Asyndetos discretiuarum cõiunctionum, quamuis dies sit breuissimus & frigidissimus, necessariò tamen eundum mihi est ad sponsionem.

Post modò.] I. posteà mihi, qui clarè & apertè promisi fideiussionem mihi nocituram, contendendum erit & elaborandum in turba, vt ante alios rem expediam & pro amico spondeam, caussam deniq; sponsionis disceptem: quod non fit sine iniuria alterius, qui me antecedebat, & hic à me retrusus posteà queritur, contumeliámq; in me iacit.

Quid vis.] Bifariam hoc exponitur. Quidam putant improbas esse querelas hominis pulsati: atque sequentia, *tu pulsas omne &c.* esse verba Poetæ seipsum alloquentis. Alii verò dicunt esse poscentis Horatium sponsorem, qui ipsum assiduis iratisque precibus fatigat, ne tantopere festinet ad Fabianum arcum, nec luctetur in turba quum possit omne obstaculum repellere ad Mæcenatem profectus. Ad eum igitur properè redeat rei benè memor: vbi facilè, quicquid videtur obesse, tolletur. Hic sensus præstat aliis.

Improbus.] Poeta loquitur de acerrimo studio improbissimóque labore clientis ad eum assiduè solicitandum.

Hoc iuuat.] Quibusdam placet pronomine *hoc*, luctam in turba demonstrari, quâ dicit se delectari: sed satius est intelligi de consilio & admonitione clientis, qui monet eundum esse ad Mæcenatem, ac illi rem verè explicandam: quod Horatius ironicõs respondet sibi valdè probari & esse cordi. A *mel* deflectitur *melli* casus dandi eiusdem syntaxeωs, atque illud Ciceronis ad Attic. lib. 13. *Ea res nobis fuit delectationi.*

At simul.] I. quum primùm ad ædes Mæcenatis veni, quæ erant in Esquiliis infelicibus, de quibus vide 5. Epod. & Satyr. 8. lib. 1. infinita alia negotia & curæ me circumpalârunt: ac primùm quidem nuncius significat Roscio esse opus meo patrocinio postridie horâ secundâ: sic Terent. in Eunuch. Act. 2. Sc. 3. *cras est mihi iudicium, quid tum? vt diligenter nuncies patri, aduocatus manè mihi esse vt meminerit.*

Puteal.] Quidam Puteal definiunt tribunali & subsellio Prætoris, quod tamen minimè Iosepho Scaligero probatur in castig. in Sext. Pomp. quem consules & inde in summa disces, tribunal Prætoris fuisse ad Puteal: non autem hoc fuisse tribunal: alii loco fœnoratorum: alii Basilicæ, vbi Scribonius Libo primum Tribunal collocauit propinquum foro Romano, Ianis duobus, arcuiq; Fabiano. Sed placet huc proferre verba Cælii Rodogini è lib. 10. cap. 27. explicantis alios locos huc pertinentes: vnum Persii Sat. 4. *Si puteal multâ cautus vibice flagellas.*

Id est, si tu creditor calli dus vexas tuos obæratos se-
10 veritate iudicii: ex hoc igitur loco ad Puteal exercebantur iudicia. Alterum huius Poetæ est ex Epist. 19.

— *Forum Putealq; Libonis. Mandabo siccis.*

Vbi in veteribus libris se comperisse scribit, in Comitii gradibus ipsis fuisse Attii Næuii statuam capite velato: quo in loco is cotem nouaculâ discidit, qui locus è Dionysio Halicarn. l. 4. puteus vocatur à Romanis, vbi erat ara subterranea. Cic. 1. de diuin. *Cotem, inquit, & illam defossam in Comitio, suprâq; impositum Puteal accepimus, ex eo euenit, vt & Tarquinius Priscus augure Attio Næuio, qui priùs subulcus propter paupertatem fuerat, vteretur, & populus de suis rebus ad eum referret.* Est autem Puteal e Pomponio. ff. de Act. em. & vend. quo putei operiuntur, velut vmbellâ vel petaso. Legitur quoq; in Græcorum Thesauris fuisse in Attica iuri dicendo
20 stationem siue iudiciale forum, quod diceretur οἱ φρέατι in puteo, vbi caussæ imprudentium interfectorum agitabantur.

De re communi.] Hunc locum quidam interpretan-
30 tur de negotio publico: alii de re ad Horatium & ad Scribas communiter attinente: vnde multi suspicantur Poetam fuisse de curia Scribarum, de qua Sat. 5. li 1. Valet autem, *de re communi*, pro re magna, vel propter rem. Ita boni Latinitatis auctores vsurpant *de*, vt Terentius 3. 2. Eunuch. *Ecquid nos amas de fidicina isthac?* Cicero quoq; 3. in Verrem. *Flebat vterq;, non de suo supplicio, sed pater de filii morte, de patris filius*, 1. proprer fidicinam & mortem: sic Sat. 5. l. 1.

Missi magnis de rebus vtrique legati.

40 *Imprimat.*] I. cura, vt Mæcenas obsignet has tabellas. In *dixeris* intellige *si dixeris, experiar* (pro hoc Terentius dicit, periculum faciam: Græci, διάπειραν λήψω ἢ πεῖραν ποιήσομαι, i. prætentabo Ciceroni) respondet statim supplex, *potes, si vis, efficere*, vt tabulæ obsignentur à Mæcenate.

Septimus.] Eleuat gratiam Poeta, quâ putabatur vulgò plurimùm valere apud Mæcenatem, vt se molestiis postulantium expediret, quum audiret Mæ-
50 cenati opus esse tantum opera Poetę ad res leues, minutas & iocosas, non ad graues & serias, quales memorantur hîc sermones.

Hoc genus.] I. leues & vulgares sermones eius generis, qualis est Antiptosis l. 6. Ep. ad Fam. Thoranium. *Ita viximus, & id ætatis iam sumus, vt omnia, quæ non nostrâ culpâ nobis accedant, fortiter ferre debeamus*: pro sumus iam eius ætatis.

Thrax.] E iocosis percontationibus Mæcenatis tres hîc enumerantur: prima est de notione temporis in-
60 stantis: hæc est altera de præstantia gladiatoris: sed hîc dubitatur vtrum Thrax Gallina faciat vnum par cum Syro commissum & compositum: vnde Cic. lib. 2. ad Fam. Epist. 8. compositiones gladiatorum ad certamen dicit: an Thrax vnus sit gladiator, & Gallina alter: ideóque legunt, an Gallina sit par Syro: quod posterius videtur magis probandum. Nam si Thrax est Gallina, id est, inualidus & parùm fortis gladiator, inconsideratè quæreretur, vtrùm æquiparandus esset Syro, siue superiori, siue inferiori. Itaq; placet

mihi lectio & interpretatio illa, quæ tres gladiatores diuersarum nationum agnoscit inter se comparari: sunt tamen, qui duo tantùm gladiatorum genera constituunt, vnum Thracum siue Threcum & Retiariorum: alterum Gallorum & Myrmillonum: qui duo sunt iidem: quales inter se sunt etiam priores tres: Gallina autem per iocum aut propter metrum dixisse Poetam, à quo petere solebat Mæcenas, vter gladiatorum, Thráxne, an Gallus esset par Syro. Hæc opinio non dissimilis est posteriori, vbi tres etiam apparent diuersæ gentis gladiatores. Verba tamen veteris interpretis *Threx Gallina fuit secutor, Syrus autem Retiarius*, videntur agnoscere tantum duos: cuius interpretationis causâ interpres ille fuit Iusto Lipsio ludus & iocus quòd sic Threcem confuderit cum Secutore: quos censet lib. 2. c. 9. Saturnal. armis & ratione pugnæ diuersos. Genus autem & discrimen Gladiatorum habes ibidem, sed cap. 7. in hac classe, *Secutores Retiarios, Threces, Myrmillones, Hoplomachos, Samnites, Essedarios, Andabatas, Dimacheros, Laquearios.* Quidam legunt Thræx admoniti à Festo, cui Thræces dicuntur gladiatores ratione parmularum Thraciarum. Quod ad Thrax & Thræx attinet, nomina sunt eiusdem gentis ταυτοδιώνυμα sub diuersa dialecto, prius communi, posterius Ionica, vt Ode 24. l. 1. attigimus: verum que scribitur integrè atque Græcè Θρᾷξ ἢ Θρῇξ item concisè Θρᾶξ ἢ Θρῆξ: quod factum creditur ἐκ τοῦ θορύβου ἢ δίσσου, id est, ex verbis concitatum sonantibus naturæ impetum, quali historiæ narrant Thracas præditos fuisse. De ratione autem huiusmodi nominũ lege parecbolas Eustathii in Ιλιαδ. α subinitium: verior est hæc etymologia, quàm illa in Gram. odes 16. lib. 1. notata. Idem auctor docet in duello alterum gladiatorum vocari Retiarum: cuius meminit Suetonius in Claudio cap. 34. *de ipsius crudelitate, quocũq; gladiatorio munere, vel suo vel alieno, etiam feriè proiapsis iugulari iubebat, maximè Retiarios, vt expirantium faciem videret.* alterum Secutorem & Myrmillonem, quo Cicero vtitur 5. & 6. Philip. & Iuuen. Sat. 6. a quodam armaturæ genere Myrmillonico, in cuius galeis effigies piscis insculpta erat, quo Galli vtebantur. Iustus Lipsius lib. 1. Saturnal. Serm. cap. 10. putat Gallos dictos Myrmillones, quod grauitate armaturæ viderentur repere, non incedere: vnde Crupellarii & Crupellares & Prorepi vocabantur, & ad hoc firmandum profert è lib. 23. Ammiani hoc de Persis, *Pedites in speciem Myrmillonum contecti iussa faciunt.* Tertia denique percontatio est vulgaris sermo de mutata cæli affectione.

Rimosa.] Repetatur à superiori, Mæcenas mihi tantùm concredebat ea, quæ possent cuiuis committi & diuulgari. Videretur hic taciturnitas commendari in Mæcenate, nisi de ipso scriptum reliquisset Sueto. in Oct. c. 66. *Diffidebant nonnunquam & M. Agrippa patientiam & Mæcenatis taciturnitatem: quod hi secretum de comperta Mutinæ coniuratione vxori Terentiæ prodidisset.*

Pertotum.] Ellipsis est verbi, fui magis obnoxius inuidiæ iam inde à principio familiaritatis, in quam veni cum Mæcenate. Notandum est hic ἐνικῶς in diem & horam dictum more Græcorum καθ' ἑκάστην ἡμέραν καὶ ὥραν pro in dies & horas: quod tempus perpetuum & inuidiæ incrementum comparatiuo videtur indicari.

Subrectior.] I. maiorem mihi collegi inuidiam multorum ex hac familiaritate.

Nostri ludus.] Varè exponitur hic locus: Quidam enim interpretantur quasi verba sint Poetæ, qui memorat sermonem maleuolorum, si Mæcenas interfuerat ludis publicis, & vnà cum eo adfuerat Horatius, aut in campo Martio vnà luserat, omnes dicere & laudare fortunas illius, qui tantum haberet amicum. Alii exponunt de populo sic loquente: Horatius homo plebeius & priuatus, vt nos, solebat vnà nobiscum de extrema caueà olim ludos spectare: iam nũc vtitur familiariter Mæcenate, nec ab eius latere comitatúque vnquam discedit. Triplex autem est hic ellipsis, primum connexiuæ si, deinde in *omnes*, substantiui, maleuoli vel inuidi homines: postremò verbi, *dicunt*. Sententia igitur est: si noster popularis Horatius vnà spectauerat ludos: si in campo luserat; omnes inuidi statim dicunt, quàm Horatius est fortunatus! Hinc liquet quàm ineptè nonnulli τὸ *Fortunæ filius*, intelligant de Mæcenate.

Frigidus.] Ellipsis est alia, pro, si quis nuncius horribilis affertur, protinus omnes, qui mihi occurrunt percontantur ex me, quid audierim de hostibus pop. Rom. Posset etiam *frigidus rumor* exponi, vt illud Sophoclis in Οἰδίπ. Τυράν. τὰ παρὰ πάλαι ἐμπαγῆ & *obsoleti rumores*, quos vetus interpres interpretatur, ψυχρὰ νῦν δὲ ταῦτ' ἔχοντα τὰ ψεύδη μόνα *frigidos nec certi quicquam nuntiantes, ac velut leues suspiratos.* Triclinius autem μάταια καὶ ἀσύστατα, *anos & inconstantes.* Opus ita dicitur frigere, quum intermittitur & desinit; contrà, feruere, quum celeratur & fit diligenter. Sed rumor definitur à Cic. in Orat. pro Plancio & 1. Epist. 8. ad Fam. *rumor est fama incerta sine capite, sine auctore*, ipse tantùm nuncius.

A rostris. &c.] Notatum fuit Epodis quartis adversum, *Quid attinet tot mauium grauis rostrata ducipondere*: quo tempore, ex qua materia, & quo in loco exstructa fuerunt rostra. Nũc autem ad id addam, in rostris leges ferri solitas, agi causas, ad populum haberi conciones: quæ duo Romæ fuisse memoriæ proditum est: quorum noua sita fuerunt ad radices Palatii: vetera apud Curiam in Comitio. T. Liuius, Plutarchus in vita Ciceronis, Dio lib. 47. scribunt Antonium curasse caput Ciceronis interfecti amputatum, & ipsi allatum in rostris inter duas manus collocandum.

Hic versus *Semper ego derisor ad omnes Di exagitent me*, mẽdosè est scriptus & distinctus, sic igitur restituatur,

Semper ego derisor, at omnes di exagitent me.

Militibus.] Altera percontatio, an Augustus daturus esset militibus præda ex Italo solo, an Siculo, vt pollicitus erat. Sicilia autem dicitur Triquetra à tribus promontoriis, Pachino, Lilybæo & Peloro, vt Græcè τριανάκρια & τριγλωχῖνα, *à tribus angulis*, & à totidem collis τρίκολπον.

Vnum mortalem.] I. mirantur me fidelem arcani custodem. In *silenti* apocope est metri causâ, ac præterea rectio, qualis est, *hospes multi loci, sed pauci cibi.*

Iurantem me.] Hoc Gallicè interpreteris, *quand ie leur affirme par iurement, que ie ne sçai rien de nouueau, ils m'estiment auec admiration que ie suis homme seul qui sçait bien taire vn secret*: vnde Ouid. *Est magna virtus præstare silentia reb.* qd Græcè dicit, παρέχειν τοῖς πράγμασι σιωπήν.

Perditur lux.] I. inutiliter percontando dies consumitur.

Quando licebit.] I. quando potero curas & molestias rei vrbanæ obliuione delere? Horas inertes appellat tempus, quod sibi vacuum solet dare ad animum iocis & ludis relaxandum, intermissis grauioribus negotiis.

Faba.] Hoc rusticæ vitæ desiderio irridet facetè ἀνυαμοφαγίαν Pythagoreorum, de qua lege Agellium l. 4. c. 11. & prouerb. *à fabu abstineto*, Laertiũ ex Aristotele;

tele: Cic. l. 1. de Diuinat. Faba verò νύαμος Græcè dicitur παρὰ τὸ νύειν τὸ αἷμα, *à concipiendo sanguine.* Agellius tamen ibidem ex Empedocle deflectit à profluuio rei Venereæ, & tum νύαμοι sunt ὄρχεις εἰς τὸ νύειν δεινοὶ, καὶ αὐτοὶ τὴν νύειν, id est, *ad mulierem grauidandam idonei*: atque tum videretur explicandum, *à venere abstineto.*

Lardo.] Macrobius putat lardum dici quasi largè aridum, de quo vide Plin. l. 8. c. 11.

Noctes.] I. o nocturnæ cænæ, νυκτερινὰ δεῖπνα Græcè, quæ nocte in summo silentio, maximâque quiete apparantur, dantárque Diis & hominibus iucundè sine luxu, & quas placidus somnus consequitur. De tali cæna lege lib. 7. Arnob. contra Gentes & Sueto. in August. cap. 77. tam gratâ & suaui cænâ Plautus in Pseud. dicit Iouem frui, *Eum in odorem cænat Iupiter quotidiè.*

Larem proprium.] Lares erant priuati & communes. Hîc intelligitur de domestico & familiari: de quo vide Ode 12. l. 1. in Rhet.

Vernas.] Festus deducit vocem hanc à vere & natus ex ancilla ciuis Romani, quòd ver sit fœturæ tempus naturale. Ille Græcè dicitur οἰκογενὴς ἢ οἰκοτραφὴς, ἢ οἰκότριψ. Procax hîc dicitur ab assiduitate poscendi, Epithetum procis & meretricibus tributum.

Libatis dapibus.] Religiosa fuit ratio cænandi veteribus, qui è cæna sumebant aliquid Lari aliisque domesticis Diis, tanquam primitias offerendum. Nam modico vino aspergebant ignem, & in patellam μικρὸν κρέας dabant, vt è Varrone & Nonio apparet.

Prout cuiq.] Versus gratiâ dixit *prout*, vbi simplex *vt* fuisset satis: sententia est: bibit quisq; inæquales cyathos pro suo arbitrio, sine simposiarcho: vbi Archiposia sui temporis obiter notatur.

Siccat calices.] Græcè ξηραίνει ἀνίους κύλικας, ἢ ἐκπίνει. Ab hac enim Græca fluxit *Calix* vox Latina à Calido, quod in eo bibitur, dicta, vel ἀπὸ κάλου, à ligno tornato: sed κύλιξ παρὰ τὸ κυλίεσθαι τῷ τρόχῳ, quòd volubili rotâ fiat. i. torno: vnde Plinius celebrauit Thericlem, qui è Terebintho calices faceret torno.

Legibus.] Notat τὸν Ἀρχιποσίων, magisterium & arbitrium bibendi ex aliena libidine & præscripto.

Seu quis fortis.] I. acris & magnus potor, cui opus est amplis & acribus poculis largâq; potione, siue quis facilè, libentérq; modicâ madescit. Hic acria & modica manifestam habent antithesin, atq; rectè nonnulli putant legendum *cupit* pro *capit*, vt respondeat antecedenti, *prout cuiq, est libido.*

Ergo serui.] Hîc per *ergo* magis ordo significari videtur, quàm vlla rei ratio & conclusio, vt sit, εἰτα λόγος γίγνεται, quomodo sumitur τὸ *igitur* Act. 1. Sc. 1. vers. 1. Eunuch. *Quid igitur faciam?* vt Menander, εἶτα τί ποιῶ; sicut Donatus interpretatur.

Lepus saltet.] Nomen est cuiusdam saltatoris Archimimi, cuius iucundâ saltatione plurimùm Augustus delectabatur, atq; ex eiusdem dignitate hoc cognomen sibi inuenerat: quod magis significat se cum suis domesticis, aliisque conuictoribus solitum agitare fabulas conuiuales, non mentionem de villicis negotiis & alienis: sed sermonem moralem omnib. profuturum: cuius tres hîc nudæ proponuntur quæstiones. Prima est, vbi felicitas hominis sita sit: de qua Aristoteles li. 1. Ethic. Secunda est de amicitia, de qua idem li. 8. & Cicero in Lælio. Tertia est, quid bonum, & quid sit summum bonum, de quo summa est inter Philosophos contentio; Platonem, Aristotelem, Ciceronem.

Beati.] Beatus valet absolutè ὄλβιος, πλούσιος, sed hîc accipiendum videtur, vt Tuscul. 5 vbi disputat id esse beatum, quod in genere suo expletum est: virtutem autè ipsiusq; compotes, esse huiusmodi, ideò vtrúmque existimatur beatum. De numero conuiuarum & sermonibus lege Agellium l. 5. c. 11. Hic *garrire* non est futilem esse & ineptè loqui, sed iucundè commemorare rem vulgarem & intellectu facilem: cui opponitur agitare & exquirere rerum caussas. Hic Ceruius erat vnus è conuiuis, & iucundus vicinus: contrà Arcelius pleonectes quidam & auarus.

Olim rusti.] Videtur hic mus esse de genere 4. bestiolarum, quas Salomon facit ad futurum prouidentiores aliis vel maioribus c. 30. prouerb. versibus 24. 25. 26. 27. 28. vbi mures montani ponuntur loco secundo, quos Græci χοιρογρύλλιοι ἢ κρυπτομυῶες dicunt. Priscianus de præexercitamentis Rhet. post fabulæ definitionem hic illam firmat auctoritate veterrimorum, Hesiodi, Archilochi, Horatii. Hesiodus vsus est fabulâ Luscinia, Archilochus vulpis, Horatius muris: aggregentur huc antiquiores & sanctiores apologi e l. 2. reg. c. 12. Nathanis ad Dauidem de facinore coarguendum & è 9 c. Iudic. Iothami de arboribus Regem eligentibus.

Accepisse.] Hoc verbum est conuiuatoris, quomodo Cicero vsus est in somnio Scipionis: *post regio apparatu accepti sermonem in multam noctem producimus.* Idem l. 2. ad Famil. *non multi cibi hospitem accipies.* Teren. Eun. Act. 5. Sc. 9. *accepit hominem nemo meliùs prorsus, atque prolixiùs*: vbi Donatus annotat, prius aduerbium indicare apparatum, posterius copiam, & verbum interpretatur per *pascit & inuitat*, vt Seruius & Nonius: sed meritò Valla l. 6. c. 7. vrbaniorem requirit explanationem in illis Grammaticis: quum τὸ pascere sit brutorum gregatim errantium, non autem hominum. Exponatur igitur decentiùs, admisisse conuiuam & adhibuisse in mensa, & vt dicet post de vrbano mure:

Ergo vbi purpurea porrectum in veste locauit
Agrestem.

Cauo.] Est ellipsis præpositionis *in*, quam Virg. expressit 3. Æneid.

Illos porticibus rex accipiebat in amplis.

Aspera.] Hoc explico, vt studiis asperrima belli: cupiditate ostentandi & apponendi quæsita.

Attentus quæsitis.] Aliâ syntaxi Terentius dicit de senibus Adelph. 5. 3. *attentiores sumus ad rem omnes, quàm sat. &c.* Aliâ item Cicer. in Verrem: *diligens & attentus in re.*

Vt tamen. Quidam exponunt *vt*, pro ita tamen. Ego verò malo explicare plenè ac discretè, quamuis mus rusticus esset valdè ad aceruum suum attentus; soluit tamen animum tali curâ, & se relaxat hospitis gratiâ.

Quid multa] Ex ple Ellipsin particulæ *sed*, & verbi *dicam.* Hæc autem loquendi genera, quid multa? quid plura? quid multis opus est? quid pluribus opus est? quid verbis opus est? atq; adeo hæc, citra interrogationem, ne multa: ne multis: ne plura: ne pluribus: ne te plurib. morer: ne te multis teneam: ne sim prolixior: hęc, inquam, vsurpantur, quum orationem volumus in pauca contrahere.

Sepositi.] Syntaxis est Græca, quâ dicitur, φθονῶ σοι τούτῳ pro quo ipsemet Sat. 6. lib. 1. dicit, *non honorem iure mihi inuideat quiuis.* Valet igitur: non inuideo tibi hoc, vel, non tibi denego. Ita mus rusticus benignè concedit vrbano & apponit libenter, quicquid condiderat ciceris & longæ auenæ. Est autem cicer legumen, Gall. *pois chiche*, de quo Dioscorides lib. 2. cap.

ro, quod Græcè dicitur ἐρέβινθος, vnde Διονύσιος ἐρεβίνθινος Bacchus Cicerrinus. Inde quoq; Cicero sic est cognominatus.

Acinum.] Racemum desiccatum, & solatum.

Frusta lardi.] Suillam corrosam & semesam: hac meliorum ciborum varietate fastidia delicati muris, in vrbe molliùs antè nutriti, discutere studebat.

Dente superbo.] Tangere cibos dente superbo est illos fastidire, Gall. *desdaigner les viandes.*

Quum pauper.] Quum mus pauperis caui dominus comederet profectus in palea præsentis anni dapes viliores, & meliores reseruaret hospiti vrbano. Sed in *meliora dapis* videtur repetendum à superiori, frusta. Gal. *lui laissans les plus friands morceaux.*

Palea horna.] De hoc epitheto dictum est Ode 23. l. 3. Porrectus autem in palea horna Græcè dicitur, βιβλημένος ἐπὶ τὸ ἄχυρα ἐπετείου καὶ σιταναίου.

Ador.] Genus frumenti & farris Festo & Nonio ab edendo vel adurendo, à quo posteriori existimat deflexum adorare: quia in sacris immolationibus adhibebatur: sed Valla aliter notat l. 5.

Lolium.] Herba est aliis segetibus perniciosa: ideóq; infelix lolium est Virgilio, Græcis ἄρακος βύκερος. Dioscoridi l. 2. c. 122. Theologis est ζιζάνιον παρὰ τὸ ἀνεζανιέσθαι τῷ σίτῳ quòd vnà crescat cum frumento, & ferè apud eos πλεονασμῶς vsurpatur.

Ad hanc inquit.] Ἑλληνικῶς dictum εἰπὲ πρὸς τοῦτον. Rarò sic Latinè, & si quando reperitur, vt, ad iudicem dicere, ibi *ad* valet *apud*, vel potiùs locum σὺν ἀπαρθρῳ.

Quid te.] Quomodo delectaris istâ vitâ & habitatione nemoris excelsi?

Virtu.] Visne cultum vitæ humaniorem & gratiorem sequi ferino & agresti relicto?

Terrestria.] Similis fuit cohortatio Poetæ Ode 11. l. 2. ad Q. Hirpinum: vbi de immortalitate animæ dictum est, & de ipsius vocis notatione Ode 12. l. 4. Sensus igitur est: quoniam terrestria animátia sunt mortalia, nullúmq; horum lethum fugere potest, viue iucundiùs & lautiùs in hac vitæ breuitate. Hic certè apologus nimis est affectatus, & Epicureismum & Atheismum scriptoris redolet.

Bone.] Exple, o bone vir, quod compellationis genus Græci efferunt ὦ ἄγαθε vel ὤγαθε. *Quo bone circa*, tmesis est, pro quocirca vel quapropter.

Hæc vel.] Mus rusticus parens consilio vrbani, cum hospite in viam se celeriter dedit ad Vrbem.

Domo exsilit.] Plautus exprimit præpositionem in Amphitruone, *citus è cunis exsilit.* Cicero item 4. Ver. Ita properans de sella exsiluit: verbum quidem perappositè tributum perturbatione aliquâ concitato, ac præsertim lætitiâ.

Noctuni.] Antimeria est pro aduerbio noctu.

Nox medium.] Aduenerunt in Vrbem sub mediam noctem, quum silent omnia, & domum opulentam subeunt.

Vbi coccum.] E lib. 4. cap. 48. Dioscoridis discimus, ὅτι κόκκος βαφικὴ βάμνος ἐστὶ μικρὸς φρυγανώδης, ᾧ πρόσκεινται οἱ κόκκοι, ὃς φάσκει, οἵτινες ἐκλεγόμενοι σωτίθενται. ἄρίστη δὲ ἐστὶν ἡ Γαλατικήν. Coccus ad inficiendum aptus & paruus frutex surculosus, cui grana, tanquam lentes, adherent, & lecta conduntur: præstantissimus nascitur in Galatia, vnde perspicitur κόκκος significare tam fruticem, quàm ipsius semen. Sed Theophrastus lib. 3. Hist. Plant. cap. 8. fruticem vocat πέκινον, & fructum coccum, cuius granum est phœniceum & rutilum ad paludamenta Imperatorum olim inficienda, de quo Agellius lib. 2. c. 26. Galli videntur hunc colorem vocare *Scarlatum*, Narbonenses vermillonum: officinæ granum tinctorum.

Canderet.] Id est, niteret, rutilaret, ruberet, & multi ciborum missus restarent de lautissima cæna.

Fercula.] Quæcúnq; in mensam ferri solent, sic appellantur Græcè τὰ περιφερόμενα φορεῖα καὶ ἐδέσματα, & ita generatim interpretatur Nonius, missus quarumcunque dapum, quomodo sumi videtur Sat. 1. Iuuenalis:

Quis fercula septem
Secreto cœnaui annus.

Vbi purpurea.] Postquam mus vrbanus rusticum discumbere fecit in purpurea veste, expeditus ad munus architrielini, continenter fercula ferculis apponit, prægustans quicquid illi apponit, ne quid conuiua putaret veneni subesse.

Porrectum.] Extentum & stratum.

Vernaliter.] Mors serui in ædibus nati, vel dextrè & delicatè vel luxuriosè, vt quidam volunt.

Agit lætum.] Ita Cicero lib. 2. Epist. ad Cæl. Epist. 8. *Egi omnes illos adolescentes.* Idem pro Roscio Comœdo, *Agit lenonem & Chæream repræsentat.* Hic verò, præstat se hilarem conuiuam, vel speciem læti conuiuæ præbet. Gall. *se monstrer joieux & faire bonne chaire a la table.*

Valuarum.] Valua a uoluo deflectitur, quasi volua, quæ bifida introrsum reuoluitur & recluditur.

Excussit.] Strepitus valuarum deturbauit & discecit illos è lectis discubitoriis, atq; maiore metu perculsi sunt latratu canum Epiroticorum. Nam Molossa ciuitas est Epiri, quales fortassè sunt canes Britanniæ, Gall *dogues.*

Per conclaue.] Donatus in Eunuch. Act. 3. Sc. 5 ad verba, *virgo in conclaui sedet*: hanc vocem sic definit & notat: *conclaue est separatus locus in interioribus tectis: vel, quòd intra eum loca multa & cubicula clausa sint adherentia triclinio.* Eadem repetit in Heaut. Act. 5. Sc. 1. Verbum autem *personuit*, videtur mihi eleuare discrimen, quod Scholiastes Theocr. in Εἰδυλ. σ. notauit, βαύζειν, inquit, ἐπὶ τῶν σκυλακίων, sed ἐπὶ τῶν τελείων κυνῶν τὸ ὑλάκτειν λέγεται, prius hi verbum dicitur de latratu catellorum, sed posterius de illo perfectorum canum, qui propriè personant, i. magnum referunt sonum, quum clamant, vt Vir. 6. Æneid. de Cerbero dicit: *Cerberus personat regnis latratu.* Ita Cicero pro M. Cælio, *illæ verò non loquuntur solùm, verum etiam personant*: quod Lucr. lib. 5. dicit, *ac quum de certi baubantur in adibus.* Fit vtrúmque verbum tam Græcum, quàm Latinum διὰ τῆς ὀνοματοποιίας à syllaba pleni soni bau, iterata. Itaque relinquerem τὸ ὑλάκτειν commune vtrorúmque canum.

Domus alta.] Augustum ædificium: quod fortassè μέγαρον Græci dicunt. Quidam tamen volunt τὴν κατάγειον οἴκησιν, subterraneá habitationem significari.

Tum rusticus. Mus agrestis veritatè Apophthegmatis expertus è Solone, ἡδονὴν φεῦγε, αὐτὴ γὰρ λύπην τίκτει, iubet vitam vrbanam, & inquietam & turbulentam, cum suis deliciis longè valere, quod per cõtemtionem dicitur, quomodo sumitur Epist. 1. l. 2.

-- Valeat res ludicra.

Sed in Andria 4. 2 κατ' ἐυφημισμὸν Pamphili de patre, *valeant qui inter nos dissidium volunt*, significat, discedat à nostro comercio pater, qui vult dissoluere nostram amicitiam: nonnunquam tamen est imprecantis: rusticus, inquam, mus statuit in suam cauernam redire paruo victurus.

Eruo.] Eruum est legumen, quod vicia nigra quibusdam

busdã dicitur, Gall. *vesse noire, ou ers*, de quo vide Dioscoridem lib. 2. c. 131. & Theophrast. lib. 2. cap. 5. Hist. Plant. & cur in sacrificiis purgationibusque adhibitum fuerit olim, vide Plutarchum in Græcanicis quæstionibus. Isidorus scribit flexum è Græco, ὄροβος. Vires ipsius disces ex auctoribus citatis, & colorem geminum, album & nigrum: priori Eustathius in Iliad. λ. de apro ad vers. 416. annotat similem esse gemmam margaritam, eámque gigni in ostreo Berberi ac dici ἀπὸ τῆς μαίρειν, *à lucendo*, sicut in suillis carnibus τὰς χαλάζας, ἃς δὴ ὀρόβους ἰδιωτικῶς φασι, *grandines, quas vulgus dicit erua.*

Me sylua.] Græcè hoc dicitur, μὴ δὴ θρέψει ὕλη δασεῖα ἢ κατόρυχον ἀσφαλὲς ἢ ὀχυρὸν κατὰ τῶν ἐνέδρων ὀρόβῳ λεπτῷ. i. *Me certè alet & sustentabit sylua densa & cauus tenui eruo tutus ac munitus aduersus insidias.*

Explicatio Rhetorica.

FAmiliaris est huic Poetæ & Virgilio synecdoche periphrastica Mercurii: sed hic est per imploratione: paulò aliter Ode 2. l. 1. filius Maiæ & Aeneid. 1.

Maiâ genitum demittit ab alto.

b In *si*, repetito initio membrorum anaphora est, qualis est in, *o si*, etiam bis iterato, & in hoc præterea duplex exclamatio Poetæ magno animi affectu optantis: similis est optantis exclamatio & tropus Satyra 4. Persii, -- *ô si*

Sub rastris crepet argenti mihi seria dextro
Hercule.

c Obliqua est prosopopœia auari optantis, quàm alii appellant μίμησιν.

d Sumtum est ab architectis angulos normę minimè respondentes corrigentibus, qui fortassè Græcè dicerentur παραγνωμόνες. Qualis fuit metaphora Sat. 3. lib. 1. *in regula peccatis &c.* vnde discere potes, Lector, meliùs legendum, denormat, quàm deformat, vt etiam Henricus Stephanus è variis exemplaribus comprobauit. Huc adde, quod verbũ *deformare* δὶς πλεονασμαν-τοῦνται, πρῶτον μὲν ἀντὶ τοῦ δύσμορφον ποιεῖσθαι καὶ ἀφανίζειν. Gallicè *defigurer, enlaider.* Huius prioris significatus sunt hæc Ciceronis. *Imago ignominiâ deformata, deformatus corpore fractus animo.* Virgilius, *horrida macies deformat vultum.* εἶτα δὲ αὖτι τοῦ πόρυπῶσαι καὶ τοῦ ποσμεῖν. *Gallicè pourtraire, ocuer, & parer*: atque huius notionis sunt hæc, partim Ciceronis, *ille, quem modo deformaui*: partim Senecę, qui, vt doctus imitator Latinitatis antiquioris sic loquutus est lib. 7. cap. 2. de Beneficiis, *Hanc voluptatem æqualem, intrepidam, nunquam sensuram sui tædium percipit hic, quem deformauimus quàm maximè, qui, vt ita dicam, diuini iuris atq; humani peritus præsentibus gaudet, ex futuro non pendet.*

e Metonymia est efficientis pro ope & fauore Herculis.

f Breuiter deprecatur ingenii stupiditatem per metaphoram satis notam. Valet autem *pingue* idem, quod hebes, crassum, tardum, & ad intelligentiam inhabile, quod Satyrâ 3. lib. 1. explicatur: vers. 38. *è tardo cognomen pinguis damus.* Nonius explicat per impeditum & ineptum, vt pro Archia Poeta, de Cordubensibus Poetis *aliquid pingue & peregrinum sonantibus*, quasi adipale, quod puritatem linguæ Latinæ non redoleret, vt de sermone Liuii Fab. Quintilianus dicit Patauinitatem. αἷς μὲν οὖν τὸν ἕρμιν τὸν νοῦν λεπτὸν καὶ λεπτὴν γνώμην, ἐξαίρεται δὲ καὶ ἀπέυχε σοι παχὺ καὶ ἀμαθὲς νόημα. i. *petit igitur à Mercurio mentem & iudicium subtile: sed à se deprecatur crassum & indocilem intellectum.*

g Synecdoche est generis & multitudinis pro vno Sabino, vbi villa Poetæ sita erat, quam translatè à præsidiis locisq; benè munitis vocat arcem & propugnaculum.

h Ἀπορία hîc videtur esse, si Poetam dicimus secum deliberare de materia, quam proximè Satyrico carmine ad rationem solutæ orationis accedente tractaturus sit. Sed si statuimus eundem loqui comparatè, vt nihil sit ipsi in villa sua quietè habitanti priùs elaborandum, quàm vt Satyros & Musas cantet, simplex erit interrogatio, & in, *Musam pedestrem*, synecdoche speciei pro, Musas sylueſtres & Nymphas, & rursus metonymia pro carminibus in illarum honorem decantatis, præterea τὸ *illustrem* habet translationem ex hoc versu odes 14. l. 4.

— qua sol habitabiles illustret oras:

vbi significatur sol lucem inferre illis locis: vnde transfertur, vt à cæteris planetis ad res obscuras & ignotas claritate orationis elegantis detegendum & patefaciendum. Verba enim translata, tanquam stellæ luminosam faciunt orationem, ait Cicero 3. de Oratore.

i Est anaphora initiò incisorum.

k Metaph. à metallo omnium grauissimo, & rursus metonymia effecti pro efficiente pigros & grauante corpora morbósq; inducente.

l Altera est imploratio per quandam apostrophen. Priùs enim sermo institutus fuerat cum Mercurio, quem inde nunc auertit ad Ianum per correctionem nominis gratioris.

m Verba sunt Poetæ non ad Ianum, sed ad clientem aliquem, qui celeriter illum hortatur ad maturè pro se spondendum: vbi est synecdoche finiti pro infinito, i. pro quolibet cliente.

n Iam prosopopœia est clientis Poetam adigentis ad hoc munus spondendi libentiùs & alacriùs aliis exsequendum: ideóq; legendum est, *vrge*, i. insta meis negotiis & omni ratione incumbe, Gall. *poursuiuez, hastiuement mes affaires.*

o Nunc Poeta loquitur vsque ad, *quiduis insane*, vbi rursus cliens reprehendit moram Horatii luctantis in turba, atq; post interiectum horum, *improbus vrget iratis precibus*, monet potiùs recurrendum ad Mæcenatem, cuius ope ista facilè impedimenta tollentur.

p Metaphora est satis nota pro, quod mones, valdè mihi placet: vbi tamen vna est ironia, quum nihil peiùs oderit tali sollicitatione.

q Metonymia est adiunctorum pro subiectis & sollicitatoribus: deinde synecdoche finiti pro infinito: sententia igitur est, *innumeri procuratores hominum & litigatores me vndiq; implicant negotiis*, quorum non nulli huc inducuntur cum ipso colloquentes κατὰ μίμησιν, vt quidam volunt, sed potiùs κατὰ τὴν προσωποποιΐαν χρηματιστικώτερον.

r Alia est synecdoche, pro, si dixerimus, vel, quiuis dixerit, ac præterea προπαράλειψις eorum, quæ solent postulari: quæ quid valeant, è Donato in Eunuch. Act. 3. Sc. 3. ad hæc verba Chremetis de Thaide cognosci potest: *sermonem quærere, vbi friget: sermonem*, ait, *quærimus, quando non solùm, quod dicamus, quærimus; verùm etiam, quomodo alter nobis respondeat & obloquatur, puta quum deficientibus sermocinandi caussis, quota sit hora, & satis rectè quis valeat, percontamur.*

s Persona Mæcenatis hîc leuiter representatur sic cum Horatio nugantis, sumtum est a baiulis, qui onera deponere proprie dicuntur, quomodo Lucretius lib.3. loquitur, *commutare locum, quasi onus deponere possit*, et epist.13. lib.1. hic dicet. *sic positum seruabis onus, pro depositum*. ita Cicero li.5. Epist.2. ad famil. Metellum translato vsus est, illud dico, *me, vt primum in concione prouinciam dep. fuerim, statim quemadmodum eam tibi traderem, id est, imponerem, cogitare cœpisse*: eodem quoque tropo noster Poeta vsus est epist. proximè antecedenti, quum dixit, *aut spem deponas*. hîc autem *deponere aliquid in aure bene rimosa* idem sonat, atque proferre in apertum & diuulgare, contrà atque dictum fuit Ode 27. lib.1. *quicquid habes, age depone tutis auribus*: vbi promittitur fidelis custodia dictorum, qualis etiam debet fieri rerum iuxta sententiam apophthegmaticam Pittaci Hyrraclii Mitylenæi, παρὰ παρακαταθήκην λαβὼν, δικαίως ἀπόδοσ, i. *vbi acceperis depositum aliquod, iustè illum reddito*.

t Translatum est ab animato ad inanimum, pro, pungunt, vrunt, lædunt.

u Alia prosopopœia vulgi inuidentis Poetæ.

x Sumtum est à superstitione Ethnicorum, qui facerent Fortunam Deam, summè potentem in aliis euehendis, & aliis deprimendis: sed hîc accipitur pro homine fatalis & raræ felicitatis apud Principes ex opinione vulgi.

y Duplex est tropus: prior metonymia effecti pro rumore homines exanimante metu de aliquo malo, etiamsi fuerit vanus: alter est metaphora, qualis est in *homo frigidus* pro languido ac remisso: vt rumor remissus dicatur, sicut Cicero scribit lib. 9. Epist.1. ad Fam. Varronem, *rumorem fieri raucum*, à voce hominis obscura, minúsq; clara sumtũ ad significandũ minutum rumusculum de re aliqua differri & euanescere paullatim. Epist. autem 16. lib. 10. ad Famil. Plancum explicatur hic tropus altero epitheto, velut prioris epexegetico: *quum ut frigidus, ianè & inconstantes recitasset literas Lepidi*.

z Sumtum est ab aquis, quarum more diffluit rumor, quum differtur & dissipatur, pro quo Virgilius lib.2. Aen. aliâ translatione dicit, *varios rumores seri*.

aa Sumtum est à diuinis ad humana extollenda, Augustum, Mæcenatem, Agrippam, reliquósq; proceres, quos colis & frequentas: vbi leuis est prosopopœia τῶν ἀπερμολογούντων, sic *o bone* nugantium, vt nouas res alias funditantium libenter.

bb Exclamatio imprecantis, sed sub certa lege & conditione.

cc Synecdoche generis pro Augusto.

dd Triplex est exclamatio optantis pristinam & rusticam commoditatem.

ee Hoc tropo notatur μετεμψύχωσις Pythagorica, qui a multis eduliis temperabat, quòd putaret animos parentum, aut propinquorum, illuc inclusos.

ff Ex hac metaphora exclamata suauissimæ, tranquillissimæque cænę, vt ex *sollicitas* efficientes anxios μετωνυμικῶς intelliguntur.

gg Integra est prosopopœia sine admonitione tamen depositionis, quam habuit apparatus ad hæc verba: *Ceruius hæc inter &c*:

hh Hæ duæ voces eiusdem inclinamenti πολυπλόκως cadunt.

ii Sumtum est à corporibus ἀλληγορικῶς ad animum, qui sæpiùs est nimis parcus & restrictus, tenax, relaxandum ex angustiis, vt corpora solemus nimis arcta & astricta laxare. Simili tropo Cicero lib. de Off. 2. vtitur: *In his restricti omnino esse nullo modo debemus*.

kk Synecdoche partis pro vua & racemo. *Variâ cœnâ &c.* hoc μεταφορικῶς dicitur à coloribus, qui propriè dicuntur vari, vt docet Cicero lib. de finib. *varietas Latinum verbum est, idq; propriè in disparibus coloribus dicitur, sed transfertur in multa disparia, varium poema, varia oratio*, vt constat ex his vers. epist. ad Pisones, *Qui variare cupit rem prodigialiter vnam Delphinum syluis appingit fluctibus aprum*. Sic Græcè sumuntur τὰ ποικίλα, αἱ ὁλοὶ, παιδαλέος, ἡ ποικίλλειν, ὁλοὲν, παιδαλέλλειν ὑποικίλμα, παίδαλμα ἐπὶ πολλῶν χρωμάτων, id est, *de multis dicuntur coloribus*.

ll Alter synecdoches modus, generis pro mure rustico principe villæ, atque simul metaphora ab agricolis, qui præsunt suæ familiæ, quæ intelligitur nomine domus, & his continetur; patre, matre, filiâ, sicut Ouidius cecinit: *tres illi tota fuêre domus*.

mm Prosopopœia imperfecta interseritur perfectiori muris vrbani ad meliorem vitæ cultum cohortantis rusticum, cui hic postremò inducitur respondens, non sibi vrbanam vitam tot molestiis implicatam placere.

nn Metaphora est ab animalibus, quibus propriè hæc posterior pars corporis in hominibus, superior in bestiis, tribuitur, dicta Festo, quòd deorsum ut devexa, pro cliuo montis, vbi mus rusticus patienter viuebat. Simili tropo Claudianus dixit: *Campi dorso recurua*. vt Homerus Iliad. β. ἐπ' ἀυρίαν νώτα θαλάσσης: quod imitatus Virgilius 1. Aeneidos. *Dorsum immane mari summo* pro superficie.

SATYRA SEPTIMA.

Flagitiosa heri vita δραματικῶς καὶ συγκριτικῶς à seruo reprehenditur precariâ Saturnaliorum libertate.

IAm dudum ausculto, & cupiens tibi dicere seruus
Pauca, reformido. Dauúsne? ita Dauus, amicum
Mancipium Domino, & frugi, quod sit satis: hoc est,
Vt vitale putes. Age, libertate Decembri
(Quando ita maiores voluerunt) vtere: narra.
2 Pars hominum vitiis gaudet constanter & vrget
Propositum: pars multa natat, modò recta capessens,
Interdum prauis obnoxia. 3. Sæpè notatus
Cum tribus annellis, modò laxâ Priscus inani,
Vixit inæqualis: clauum vt mutaret in horas:
Aedibus ex magnis subitò se conderet: vnde
Mundior exiret vir Libertinus honestè.
Iam moechus Romæ, iam mallet doctor Athenis
Viuere: 4. Vertumnis, quotquot sunt, natus iniquis.
5. Scurra Volanerius, postquam illi iusta chiragra

e Con-

e *Contudit articulos, qui pro se tolleret, atq;*
Mitteret in phinum talos, mercede diurna
Conductum pauit. Quantò constantior idem
In vitiis, tantò leuius miser, ac prior illo,
Qui jam contento, iam laxo f *fune laborat.*
6. Non dices hodie, quorsum hæc tam g *putida tendant*
Furcifer? Ad te, inquam. 7. Quo pacto, pessime? Laudas
h *Fortunam, & mores antiquæ plebis: & idem,*
Si quis ad illa Deus subitò te agat: vsq; recuses:
Aut quia non sentis, quod clamas, rectius esse:
Aut quia non firmus rectum defendis: & hæres,
i *Nequicquam cœno cupiens euellere plantam.*
8. Romærus optas, absentem rusticus Vrbem
k *Tollis ad astra leuis: si nusquam es fortè vocatus*
Ad cœnam, laudas securum olus: ac, velut vsquam
Vinctus eas, ita te felicem dicis, amásq;
Quòd nusquam tibi sit potandum: iusserit ad se
Mæcenas serum sub m *lumina prima venire*
Conuiuam; n *nemón' oleum feret ocyùs, ecquis*
Audit? cum magno blaterans sermone, furisq;:
9. Miluius & Scurræ tibi non referenda precati
Discedunt. 10. Etenim fateor, me dixerit o *ille*
Duci ventre leuem: nasum nidore supinor:
Imbecillus, iners: p *sim quiduis, adde popino,*
Tu, quum sis, quod ego, & fortasis nequior: vltrò
Insectere, velut melior? verbisq; decoris
Obuoluas vitium? quid si me stultior ipso
Quingentis emto drachmis deprenderis? q *aufer*
Me vultu terrere: manum stomachumq; teneto,
Dum, quæ Crispini docuit me ianitor, edo.
10. Te coniux aliena capit, meretricula Dauum:
Peccat vter nostrûm cruce dignìùs? acris vbi me
Natura incendit: sub clara nuda lucerna
Quæcúnq; excepit turgentis verbera caudæ,
Clunibus aut agitauit r *equum lasciua supinum:*
Demittit neq; famosum, neq; sollicitum, ne
Ditior aut formæ meiat melioris eódem.
Tu quum proiectis insignibus, annulo equestri,
Romanóq; habitu, prodis ex Iudice Dama
Turpis, odoratum caput obscurante lacernâ;
Non es, quod simulas: metuens induceris atq;
Altercante libidinibus tremis ossa pauore:
11. Quid refert s *vri virgis, ferróq; necari?*
t *Auctoratus eas, an turpi clausus in arca,*
Quo te demisit peccati conscia herilis,
Contractum, genibus tangas caput? 12. Estne marito
Matronæ peccantis in ambos iusta potestas?
In corruptorem vel iustior? illa tamen se
Non habitu mutátue loco: peccatue supernè,
Quum te formidet u *mulier: neq; credat amanti.*
13. Ibis sub x *furcam prudens, dominóq; furenti*
Committes rem omnem, & vitam, & cum corpore famam.
Euâsti? y *credo, metues, doctúsq; cauebis.*
Quæres, quando iterum paueas, z *iterúmq; perire*
Possis. aa *ô toties seruus!* bb *Quæ bellua ruptis,*
Quum semel effugit, reddit se praua catenis?
14. Non sum mœchus, ais: neq; ego hercule, fur, vbi vasa
Prætereo sapiens argentea: 15. tolle periclum,
Iam vaga prosiliet cc *frænis natura remotis.*
16. Túne mihi dominus, rerum imperiis, hominúmque
10 *Tot, tantísque minor? quem* dd *ter vindicta, quatérque*
Imposita haud vnquam miserâ formidine priuet?
17. Adde supra dictis, quod non leuiùs valeat: nam
Siue vicarius est, qui seruo paret (vti mos
Vester ait) seu conseruus: tibi quid sum ego? nempe
Tu, mihi qui imperitas, aliis seruis miser: atq;
Duceris, vt ee *neruis alienis mobile lignum.*
18. Quísnam igitur liber? sapiens, ff *sibique imperiosus:*
20
Quem neque pauperies, neque mors, nec vincula terrent:
Responsare cupidinibus, contemnere honores
Fortis, & in ipso totus teres atq; gg *rotundus:*
Externi ne quid valeat per læue morari:
In quem manca ruit semper Fortuna. Potésne
Ex his, vt proprium, quid noscere? Quinque talenta
30 *Poscit te mulier, vexat, foribúsq; repulsum*
Perfundit gelidâ: rursus vocat: eripe turpi
hh *Colla iugo, liber. Liber sum, dic, age: non quis:*
Vrget enim dominus mentem non lenis, & acres
Subiectat lasso ii *stimulos, versátq; negantem.*
19. Vel quum Pausiacâ kk *torpes insane tabellâ;*
Quî peccas minùs, atque ego? quum Fului, Rutubæque
Aut Placideiani contento poplite miror
40 *Prælia rubricâ picta aut carbone: 20. velut si*
Reuera pugnent: feriant, vitentq; mouentes
Arma viri. Nequam & cessator Dauus: 21. at ipse
Subtilis veterum iudex, & callidus audis.
Nil ego, si ducor libo fumante: ll *tibi ingens*
Virtus atq; animus cœnis responsat opimis.
Obsequium ventris mihi perniciosius est: cur?
Tergo plector enim: quî tu impunitior illa,
50 *Quæ paruo sumi nequeunt, quum opsonia captas?*
Nempe inamarescunt epulæ sine fine petitæ,
mm *Illusiq; pedes vitiosum ferre recusant*
Corpus: 22. an hic peccat, sub noctem qui puer vuam
Furtiuâ mutat strigili? qui prædia vendit,
Nil seruile gulæ parens habet? 23. adde quòd idem
Non horam tecum esse potes: non otia rectè
Ponere: nn *teq; ipsum vitas, fugitiuus & erro.*
Iam vino quærens, iam somno fallere curam,
60 *Frustra: nam comes atra premit, sequiturque fugacem.*
24. oo *Vnde mihi lapidem? quorsum est opus? vnde sagittas?*
Aut insanit pp *homo, aut versus facit. Ocyùs hinc te*
Ni rapis, accedes opera agro nona Sabino.

Analyſis Dialectica.

Φιλοῦσι μὲν πάντες τοῖς ἄλλοις ἐπιγελᾶν, ἀλλὰ παυρότεροι τοῦτ' ἄλλων ἐπαγελᾶσθαι ἐθέλουσιν. *Omnes quidem ſolent aliis illudere: ſed pauci ab aliis illudi amant:* In hac tamen paucitate poteſt numerari noſter Poeta, qui dum aliorum ſtupra, flagitia, cæteráque vitia ſtudet notare, ſe libenter in exemplum proponit: *Οθεν θαυμάσειε μὲν ἡ τούτου ἀνθρώπου φύσις, καὶ πρὸς τὸν γέλωτα πλέον ἄλλων πεφυκῶς, vnde admirabile eſt huius hominis ingenium, & ad riſum naturâ præter alios comparatum*, ſicut Sat. 3. huius libri attigimus, vt ſibi parcere minimè curet, modò aliorum & diuitum, & potentum verè ac facetè vitia notet, & in his præcipuè Mæcenatis, quem fortaſsè nouerat aliquantò à ſe factum alieniorem propter antecedentem de vita ruſtica Satyram: vbi Poeta profeſſus eſt, ſe totum ferè octennium Romæ apud eum conſumſiſſe in dicendis viciſſimque audiendis nugis, ac illum cum vrbano mure, & ſe cum ruſtico comparaſſe. Quamobrem præſens Satyra videtur inſtituta ad gratiæ conciliationem, aut certè ad culpam ſuſpectæ offenſionis hac ſimilitudine ſeruilis reprehenſionis nonnihil recidendam: vbi Mæcenas perſonam Horatii, & hic illam ſerui Daui videtur ſuſtinere, eademque vis ad veritatis vtriuſque confirmationem: vnde perſpicias, præter hoc inſtitutum, ſummam illius prudentiam in hac inductione ſerui, *ὅστις μηδὲν ποιεῖ ἔξω τοῦ προσήκοντος ἢ λόγου, qui nihil extra decorum, nihil etiam præter rationem faciat.* Dũ enim ſuam auſcultationem commendat diuturnitate: dum liberalem hero deſeruiendi voluntatem & reformidationem proponit, valde conſentanea facit ſeruili conditioni, quæ tota pendet ex nutu alieno. Itaque Poeta fingit, ſe admirari ſerui poſtulationem, à quo nihil non exſpectaſſet huiuſmodi futurum: atque tandem permittit ei poteſtatem, quid vellet, loquendi: quod equidem credo eâ mente factum, vt aliquid boni diſcere poſſent alii à ſeruo, iuxta illud Phocylidis *γνῶθέτημα.*

Λάμβανε καὶ βουλὴν παρὰ δούλου εὐφρονέοντος.

Cape etiam à ſeruo rectè conſulenti conſilium.

quàm quòd probè ſciret non poſſe licentiam ſeruis, niſi inhumaniter negari, feſtis præſertim Saturnalibus, impunè loquendi, quicquid liberet. Metuebat enim idem, quod Lyſias, à Dauo de iſta libertate, vt conſcius vitæ turpiter ac impurè anteactæ, cuius quidem conſcientiâ proſpiciebat, ſe non poſteà Dauum ſeruum, ſed dominum, habiturum: in quem ſibi non ampliùs animaduertere liceret. Ad hanc igitur ſermonis libertatem ab hero impetrandam, Dauus ſe ex adiunctis commendat: *quòd ſemper ipſi fidelis amicus, ſeruúſq; frugi fuerit, & hac officiorum fidelitate meruerit, vt è ſeruo fieret libertus, ne dum vitalis & à crudeli poteſtate domi in poſterum tutus:* ſed libertas tantùm loquendi illis diebus feſtis, quid vellet, data eſt: non etiam viuendi in poſterum, vt vellet, poteſtas facta. Ad quod concedendum non humanitate, ſed inſtituto, ac more maiorum herus ſe non obſcurè impulſum fatetur admirabili ſimulatione.

2. Quod hactenus dictum eſt, exordii ſpeciem præ ſe fert, ac ſimul propoſitum breue eſſe, cuius iam diſtributio fit bipartita, & quaſi priùs apertè Dauus ſtatuiſſet, ſe de vita & moribus hominum dicturum, eos in duo tribuit genera ex effectis, *vt alii pertinaciter vitia perſequantur, ac turpis vitæ curſum ſemel inſtitutum teneant obſtinatè: alii modò ſtudiis virtutum, modò vitiorum inconſtanter ſe dedant, & in vtrôq; fluctuent.*

Horatius hîc mihi perinde videtur ordinê diſtributionis propoſitæ invertere, atq; ſæpè Cicero in ſimili genere facit. Nam exorſus à pertinacibus pravi inſtituti, in explanatione apponit loco priore exemplum inconſtantium, qui poſteriori loco fuerant nominati. Idem obſeruatur in partitionibus Ciceronis: vbi ad duo poſtulata filii de ſuo otio & voluntate dicendi reſpondet loco priori ad poſteriorem poſtulationem. Propoſitis item duobus quæſtionum generibus ibidem finito & infinito; hoc prius declarat: illud verò poſteriùs. Hîc quidem certè inuerſus ordo rei propoſitæ cùm in omni omnino ſcriptore animaduertendus eſt, tum vel maximè in artifice & artis doctore: in Poeta tamen tolerandus videtur. Inconſtantia verò & inconſulta Priſci cuiuſdam leuitas adiunctis explicatur: *quòd interdum annulatus: interdum ſine annulo in ſiniſtra conſpiciatur: modò laticlauius, modò latiori clauo minimè inſignitus:* idem deinde aduerſis: *quòd matutino tempore honeſtas ædes, pomeridiano famoſas & inhoneſtas adeat:* alii tamen hoc ſic exponunt: *quòd ille certo tempore in magnificis & ſuperbis ædibus, alio in humilibus & ipſius perſonæ indignis habitet:* poſtremò ſubiectis, *quòd iam flagitioſè viuere Romæ, iam Athenis velit docere:* quod *ἐν παρόδῳ* Satyricè dicitur in luxum & flagitia Romanorum ad laudem Athenienſium ſapientum.

4. Varium & mutabile Priſci ingenium ex efficientibus deſcribitur, *quòd ab iratis Diis hæc inſita illi fit natura leuitas.*

5. Altera eſt pars diuiſionis *de pertinacibus ac perſeuerantibus in vitiis* enunciata ſuo exemplo: *Scurra Volanerius*, inquit, *fuit huiuſmodi:* quod adiunctis, effectis & comparatis approbatur. *Is enim, poſtquam ὅτως ἐμόχθησε τοῦ τε χειραλγίου καὶ τοῦ ἀχειροπραξίου, ſic laborauit ex articulari dolore manuum, & earum impotentiâ captus eſt, vt iam talos nec ſumere ex alueo, nec ſublatos in fritillum mittere poſſet, hominem aluit mercede conductum ad hoc vtrumque munus pro ſe fungendum, & hac quidem in vitiis perſeuerantiâ minùs habendus eſt miſer illo inconſtante Priſco.*

6. Herus priuatæ inconſtantiæ conſcius, ſuſpicatur de ſe fabulam narrari, & hac leuitatis conſcientiâ preſſus coegit ſeruum reuocare, velut thema ad hypotheſin, & ab antecedente aſſumere, *tu es iſtiuſmodi, here.* Magna quidem certè vis eſt conſcientiæ, vt non immeritò exclamatum ſit ab Ouidio 2. Metaph.

Heu quàm difficile eſt crimen non prodere vultu!

ἐπεὶ συνειδυῖα πληγὴ τοῦ ψυχοῦ, quandoquidem animum conſcientia verberat.

7. Perſpectâ ab hero cauſsâ, quorſum hæc dicerentur à ſeruo, iam dicto queritur confirmatio, & redditur è diſparatis: *quòd herus ſummâ prædicatione & gloriâ efferat rectos bonorum vſus frugalitatem, moreſque antiquorum: quos tamen poſteà imitari recuſat alicuius Dei largitione cumulatus:* qualis repugnantia fuit Sat. 1. lib. 1. notata his verbis, --- *ſi quis Deus, en ego, dicat, iam faciam, quod vultis, &c.* quæ repugnantia primùm illuſtratur diſſimilitudine: *quod alter ipſe ſentiat de partibus honeſtis, atq; loquatur:* deinde efficiente, *quòd dubitationem de iis habeat, quæ ſemel ipſe ſtatuerit, & à quibus tam facilè poſteà deſciſcat ad diuerſa: ex qua dubitatione exiſtit illius inconſtan-*

incōstantiæ malū: ad quē quidem habitū illius sic animus præcultus ac præparatus est, vt iā ceperit cōsuetudinē impurè, turpiter, flagitiosēq; viuēdi, ac in perditis desperatisq; habeatur.

8. Inconstantia pluribus factis eiusdem atque dictis inter se dissentaneis amplificatur: *Quum*, inquit, *es Romæ, optas rus: quum verò hic degis, Romam desideras: quum domi tuæ remanes, nusquam aliò vocatus ad cœnas, te liberum, te felicem victu frugali & moderato contentus prædicas: contrà vocatus a Mæcenate ad lautiores epulas, tantâ exsultas lætitiâ, vt tuis neglectis conuiuiis celeritas officiosissimi cuiusq; seruiat tibi in mora illuc aduolandi.* Hîc Dauus apertè arguit herum suum fuisse cœnipetam & cœnarum lautiorum captatorem, ac velut quærentem in triuijs vocationes, vt Catullus loqui solet: qui nihil peius oderit, quàm domicænium, quicquid ille dissimulet.

9. Iam seruus diluit obiectum, ὅτι γαστρίμαργος, ἄσωτος, ἀδδονὺς, ἔργος ἢ οἰονδηποτοῦν ὅν δοκεῖ δεσπότῃ, *quod ventri addictus, seruus nihili, inualidus, iners vel quidlibet aliud hero videatur*: refutat, inquam, hæc crimina, vel certè eleuat primùm paribus: *quòd in hero sint planè æqualia*: deinde ἀσυνορθωτικῶς alterâ maiorum, *quòd herus sit nequior, belluo furiosior, inertior seruo*: vnde conficit, *nihil esse hero, quòd huic succenseat, multò deterior ipso deprehensus certis iudicijs, quicquid ille vitiorum conetur inuolucris speciosæ orationis obtegere.* Huius autem iudicij ac conclusionis cōfirmatio est ex efficiente: *quippe qui hanc censendi rationem, non a Stoico Crispino, sed certè ab illius seruo & discipulo acceperit.* Posset etiam hæc ratio ad Categoriam assumtorum referri:

10. Pergit Dauus herum agere grauioris peccati reū partib. huius quæstionis, *vter dignior sit cruce, iune qui petulans fuit in aliqua coniuge matrona, an is, cuius libido lapsa est in meretrice ignota*, cōparatè disputatis, cuius tamen neutram metitur personarum circumstantijs, in quibus quum culpa est cōmissa, potest esse peccatum alterum altero grauius & maius: quod dum non fecit, videtur paradoxum Stoicum de æqualitate peccatorum retinere cōtra vim positæ quæstionis. Quòd si rationē adhibuisset eius, in quo peccatū est, clariùs ac breuiùs effecisset, herum turpiùs deliquisse: quò tamen tendit: sed euentis vtramq; metitur & æstimat: *Scortatori*, inquit, *nulla infamiæ nota inuritur: nullo ille riualis metu cruciatur: at verò mœchū grauissima quæq; pericula manēt præter hæc* de quibus vide annot. in Od. 25. l. 1. & Sat. 2. l. 1.

11. Poema heri mœchantis illustratur parium collatione, *quòd in angustissima includi arca ab ancilla adulterè, & ex illius dubia fide cum ingenti pauore pendere, tam crudelis & tam grauis sit pœna, quàm virgis lacerari, & tandē gladio necari*: cui pœnæ gladiatores sese obligatione addicebant olim acceptâ mercede in ludis pugnandi.

12. Est hîc aggeratio pœnæ in adulterum constitutæ ex argumento assumto: quod licet nominatim nō exprimatur, certissimum tamen est, Athenienſium lege permissam fuisse marito potestatem ambos mœchantes necandi: quam posteà lex Iulia de adulterijs attribuit iudicibus, ac quædam mæchorum discrimina statuit. Eódem exaggerationis accedit comparatio minorum: *quòd iustiùs animaduertendum sit in subsessorem alieni tori, quàm in matronam peccantem: & huic potiùs ignoscendū, quàm illi*: cuius rei approbatio est ex matronę factis, *quia nec habitū, nec locū, nec rectū, nec naturalem cōcubitus vsum mutat: præterea corruptorē formidat: illi diffidit: nec eū sic redamat, vt maritū velit deserere, meretricis more.*

13. Hîc videtur ex antecedentibus concludere, *herū cruce digniorem seruo & gladiatore, qui non satisfecit obligationi*: ideoq; in complexione triplicem colligit pœnā, *bonorum, vitæ, & famæ*: ex efficiente sola & per se: *quæ pericula etiamsi effugerit semel Poeta, eōdem tamen sæpiùs relabitur, & incautiùs belluâ laqueis semel ereptâ*: quæ ratio est e collatione maiorum petita.

14. Obiectum hero adulterium paribus diluitur: *quòd æquè huius flagitij sit purus, atq; seruus furti.*

15. Firmatur tota comparatio efficiente, *quòd vterq; metu pœnæ temperet a vitio, herus ab inferendo matronæ stupro, seruus à suripiēdis rebus alienis*: quod certè nō est verę laudi ducendum, quæ vni animi integritati debetur.

16. Hæc maiorum cōparatio eò spectat, *vt eum ostendat proprie seruum haberi, qui inferiorem gerit animum pecuniâ, libidine, amore & voluptate, cupiditate opum & honorū, reliquiq; perturbationibus ac vitijs, quibus quum miserè hic herus pâret, quis eum stultiorem, perditiorem & nequiorem Dauo esse non iudicaret? hunc enim vna Prætoris vindicta potest in libertatem vindicare: illum verò ne infinita quidem poterunt vnquam ab illis sæuis dominis metu liberare.*

17. Ad seruitutem heri magis probandam descriptio seruorum vicariorum & conseruorum e factis adhibetur: vnde sic instituitur argumentatio: *eum esse conseruum aut vicarium eius, qui iussa exsequitur alterius serui: Dauum exsequi mandata Horatij serui: Dauum igitur esse conseruum aut vicarium Horatij serui*: vel sic clariùs: *qui facit imperata ab alio seruo, is est illius aut vicarius, aut cōseruus: atqui Dauus est huiusmodi erga Poetam: est ergò aut vicarius, aut conseruus Horatij serui.* Hæc quidem *seruus, conseruus, serui* præ se ferre videntur quandam τῆς συζυγίας speciem: sed vis probationis magis cernitur in efficientia, quàm in illis coniugatis. Quòd autem Poeta sit seruus, præterquàm quod vi coniugatorum sic potest demonstrari: Horatius seruit libidini a ratione alienæ: est igitur seruus: declaratur tamen similitudine multorum, *quæ vt motu alieno trahuntur: sic trahitur Horatius suâ voluptate & libidine furiosâ dominâ, & miserè ab eo cultâ.*

18. Satis iam quidem certè conuictus videbatur seruitutis Poeta, sed quum dare manum recusaret, atque ita se argumento e Relatis defenderet: *liber sum, quod falsò negas: non sum igitur seruus*: tum Dauus illud refellit μακρᾷ συλλογιστικῇ, *descriptione adumbratâ τῶν ἐλευθέρων*, partim ex adiunctis, partim ex effectis, quam ego in pauca sic contraho: *liber est, qui totus ex sese aptus est, & in se posita habet omnia, æquabilitatem animi in quolibet vitæ statu sedatè constanterq; retinens*: assumantur negatè pro his literæ verbis: *Potésne ex his vt pro &c. atqui Horatius nihil horum habet, neque facit: Non est igitur liber.* Quid ergo? *seruus libidinis, dominæ asperrimæ & immanissimæ miserrimus*: vnde omnis spes illius in libertatē vindicandi omninò deplorata est: siquidem iurisconsulti definiunt *libertatem, naturalem eius rei facultatem, quam cuiq; facere libet atq; licet, nisi quæ vi ac iure prohibetur*: sed apertior est Ciceronis definitio, & huic loco accommodatior: *libertas est potestas viuendi, vt velis: is verò viuit, vt vult, qui recta sequitur, qui gaudet officio, cui viuendi via considerata atq; prouisa est, qui ne legibus quidem propter metum pâret, sed eas sequitur atq; colit: quod salutare maximè iudicat*, & ab eodem ibidem *liber* definitur, *qui nulli turpitudini seruit*: & ita concludit paradoxo 5. *qui viuit vt vult, liber est: atqui sapiens viuit solus, vt vult: ille ergò solus est liber.*

19. Ad huiusmodi seruilem heri conditionem accedit parium collatio, *quòd ille tantundem peccet in spectandis pictorum tabulis, quantum Dauus in pugnis gladiatorum suspiciendis, quæ depicta sunt in parietibus.*

20. Apodosis augetur similitudine, quæ efficit illam hypotyposin, & subiectionē rei, quasi geratur, ex quo seruus dicitur nihili & ignauus.

21. Querela est Daui de iudicijs hominum, in se iniquis & dissimilibus, *quòd illic secùs de vitijs ipsius sta-*

tuant, atq; de herilibus peccatis. Herus, inquit, *impunè quid uis peccat: ego verò de leuissimo quoq; delicto grauissimè plector.* Ille tamen non effugerit tandem aliquando intemperantiæ suæ pœnam, quum tali cruditate illius matre incidet in arthritida, nephritida, colicum dolorem, aliosque morbos ex apepsia profectos.

22. Eiusdem heri intemperantiam insectatur minorum collatione: *Minùs peccat, qui pretio furtiuæ strigilis racemos comedit emtos, quàm qui obligurit patria bona exquisitis epulis, sumtuosisq; canis.*

23. Ad extremum describit ex adiunctis incommodis huiusmodi: intemperantiæ, & similitudine ipsum herum: *quòd mollitie, luxu, libidine perditus, honestis cogitationibus carebit: curis mordacibus premetur: nusquam durabit inquietus: nec demiq; ad se redire, sicut nec fugitiuus seruus vult ad dominum suum reuerti.* Sed de assiduo curarum comitatu & morsu sic fecit Ode 16. lib. 2.

——Patriæ quis exsul
Se quoq; fugit?
Scandit æratas vitiosa naues
Cura: nec turmas equitum relinquit,
Ocyor ceruis, & agente nimbos
Ocyor Euro.

Hoc autem non tantum de hoc adfectu, verùm de reliquis etiam inueteratis iudicandum est qui quóuis terrarum fugias, nullâ eluendi aquâ, nullâ obruendi terrâ te sequentur. Quod si tu quæras, cur ita? ego, quod Socrates cuidam percontãti, respondit, nunc tibi possum respondere, quia te, id est, tuos adfectus prauos non deseruisti.

24. Dauo silentium & abitus ab hero imperatur cõmination e asperioris conditionis, qui non didicerit odium pari veritatis dictione, quam celare debuerat, si manumissionem, quam sperabat, vellet obtinere. Apparet autem ex eo simulatio iræ Horatianæ, quòd herus *seruum* induxerit tam confidenter secum, heriliqúe personâ tam indigna comparatè loquentem. Ad hanc autem dialogismi inter herum & seruum rationem intelligendam non parùm tibi proderit, Lector, quod Macrobius scribit lib. 1. cap. 11. Saturn. de sorte & conditione seruorum non temnenda.

Enarratio Grammatica.

I*amdudum.*] Quidam putant hoc aduerbio totum temporis spatium inter bina Saturnalia posse significari, quamdiu siluit Dauus attentè auscultans herum. Verùm ego, quum intelligam e Donato in hunc Terentij versum Eunuch. Act. 4. Scen. 5. *Iamdudum ætatem lites sunt inter eos factæ maximæ*: quia *iamdudum*, inquit, *finitæ moræ est, Poeta ætatem addit, vt ostendat multum abiisse temporis, vt factum est*: ego, inquam, his adducor, ne tali opinioni planè assentiar, sed potiùs existimem temporis breuitatem designari: tu tamen, Lector, videris.

Auscultò, &c.] Hoc verbum videtur Ciceroni e Pacuuio lib. 1. de Diuinatione, minùs esse quàm audire, *magis audiendum, quàm auscultandum censeo*: vbi ego posteriùs puto explicandum per credendum & parendum, & tunc casum dandi postulat: multa enim audiuntur, quæ non creduntur.

Dauúsne.] Repete ex antecedente, Dauúsne cupit mihi pauca dicere? Mancipium autem ita dictum videtur, quasi manu captum. Simili ferè notatione Græci dicunt αἰχμάλωτον, hominem bello captum, & in seruitutem addictum.

Quod sit satis.] Quod, nempe seruum esse fidelem, officiosum & domino vtilem, est pretium idoneum ad manumissionem & salutem, non autem ad eum in Tusca ergastula vel in pistrinum, vel in lapicidinas detrudendum. Quid autem sit *frugi*, vide Sat. 3. lib. 1. in Gram. perspicuè ac copiosè declaratum. Sunt, qui frugalitatem, vt propriam in seruo & in liberto laudem agnoscunt: sed reperimus etiam translatam ad ingenuos: Cicero enim illam laudauit in rege Deiot. oratione pro eo habitâ. *Omnes*, ait, *in illo regiæ virtutes, sed præcipuè singularis & admiranda frugalitas. Etsi hoc verbo scio laudari reges non solere, frugi hominem dici, non multum laudis habet in rege: fortem, iustum, seuerum, grauẽ, magnanimum, largum, beneficum, liberalem, ha sunt regiæ laudes, illa priuata est: vt volet quiq;, accipiat: Ego tamen frugalitatem*, id est, *modestiam & temperantiam, virtutem esse magnam iudico.*

Vtere libertate.] Ex hac libertate dicendi, quid vellent serui Saturnalibus, facerè iocatus est cẽturio quidam Romanus in castris Syllæ contra 15. millia seruorum fortiter pugnantium, vt est in vita Syllæ. Hic ne putes *Decembri* pendere a libertate, sed a subintellecto aliquo, vt libertate dari solitâ seruis mẽse Decembri: & ita est ablatiuus de termino temporis. Verùm est hîc notandum vtrumque & seruum & herum frustra fuisse. Ille enim videbatur petere libertatem, vt vellet, viuendi perpetuam, non tantùm loquendi diurnam: hic verò a seruo facetam exspectabat narrationem alicuius fabulæ, non vitæ suæ historiam & accusationẽ: licet hoc ingeniosè a Poeta confictum sit de alijs seruis & heris, vt antè patuit in Dialecticis.

Libertate Decẽbri.] Nihil hîc opus est diutiùs immorari in descriptione Saturnaliorum, quum satis supérque eam habeas explicatam apud Macrob. l. 1. & Plut. in vita Numæ. & iam in Gram. Sat. 3. huius libri, & apud Athenæum l. 14. & Lucian. 1. Dial. πρὸς Κρόνον: dicam tamen ad intelligentiam Saturnaliorum plurimùm valere lib. 14. Martialis, quem inscripsit *apophoretis*, quæ grati animi munera erant, festis Saturnalibus per septem dies vltrò citroque solita mitti ac remitti: quando licebat equitibus Rom. & Senatoribus togâ positâ gestare vestem breuiorem, quod erat alijs diebus opus censorium, de quo primum eiusdem libri Epigramma factum est:

Synthesibus dum gaudet eques, Dominusq; Senatus,
Dumq; decet nostrum pilea sumta Iouem, &c.

Cur autem instituta sint τὰ Κρόνια ἢ Κρονιάδες ἡμέραι, vide Plutar. in comparatione Numæ & Lycurgi. Dicuntur præterea hæc agitari solita 14. Cal. Ian. in recordationem priscæ libertatis & æqualitatis, quâ creditur ætas Saturni floruisse, quum homines erant liberi omnes, serui nulli, vt pleniùs e locis citatis intelligetur. Martiæ Calendæ simile quid obsequij & humanitatis offerebant seruis, quibus matronæ cænam lautè ministrabant, vt Ode 8. l. 3. notatum est. Sed memorabile videtur & ad hæc Saturnalia valdè appositum, quod scribit Berosus l. 1. Babyloniacorum, vbi scribit decimâ sextâ mensis *Loi*, festum Babylone 5. dierum spatio celebrari, Saceas dictum: per quod tempus solere dominos famulis parêre: ex his vnum domui præesse veste, quæ Regiæ similitudinem referat, indutum: quem & Zoganem appellari. Meminit huius festi Cresias quoque lib. Persicorum 2. Hæc citantur ab Athenæo lib. 14. sub medium: cuius loci sunt indicio marginis verba, ἑορτάζει, οὐ αἷς οἱ δεσπόται τοῖς δούλοις ὑπηρετοῦσιν. Idem Dio libro decimo octauo, οὐ τοῖς Κρονίοις οἱ δοῦλοι τῶν δεσποτῶν σχῆμα μεταλαμβάνοντες ἑορτάζουσι, id est, *festis Saturnalium serui habitu Dominorum sumpto id festum celebrant.* Idem Seneca epist. quinquagesima octaua. In-

Instituerunt diem festum, non quo solum Domini cum seruis vescerentur, sed quo vtique honores illis in domo gerere, Ius dicere permiserunt, & domum, pusillam Remp. esse iudicaverunt.

Gaudet constanter.] Pariter, perpetuò, æqualiterque placet illi vitiosa vita. Sic Ovid. appellat hominē constanter iniquū, vt constantia sit perpetua quēdā immutabilisq; permansio in re qualibet, siue bona, siue mala. Sæpiùs tamen in virtute quàm in vitio locum habet.

Vrgere propositum.] Hoc idem sonat, quod dixit Od. 3. l. 3. *propositi esse tenacem*: attamen hoc plurimum interest: quòd in hac Satyra de hominis studio in vitio perseuerantis, in illa Ode de viro in amore virtutis constanter permanente, sermo institutus sit.

Recta capessens.] Honestum sequens, rectamque viam ingrediens, & interdū vitiosa & turpia persequēs. Hoc autem verbum Aen. 1. pro exsequi & explere vsurpatur, ——*mihi iussa capessere fas est.* Ita capessere Remp. est Ciceroni illam administrare, Epist 9. l. 1. ad Famil. *Capesserémne Remp. implicatus tenebar* Eiden 3. de Rep. *Non est Resp. quum tyrannus eam factione capessat*, id est, gerat & administret. Sed de recto substantivo vide Sat. 2. huius libri ad verba, *Rectum animi, seruas? &c. τὸ recta capesse* e Galli suâ interpretatur lingua *τροπικῶς, prandrio aller le droict chemin*, id est *agere, viuere vertus.* Hic autem *τὸ pars multa* sonat tantundem, quantum *plerique*, & huic opponitur *τὸ pauci* apud Salustium, *in diuisione orbis terra τὸ plerq; in tertia parte Asiæ ā possidere: pauci tantummodo Asiam & Europam*, vt iam citatum fuit Satyrâ. 6. lib. 1.

Prauis obnoxia.] Hoc Galli interpretantur, *aucunes fois s'addonnant & s'assiectissant a vices.* Definitur autem *obnoxius* a Festo, *qui pœnæ est obligatus ob delictū, & noxam*, Gall. *qui a merité d'estre chastié pour les fautes qu'il a faites.* De quo lege plura l. 7. c. 17. apud Agell. exemplis illustrata. Ad illam autem Festi definitionem Græci dicunt *τῷ ἄγει σύνοχον εἶναι, teneri crimine piaculari*: contra ad alteram Plinij notionem Epist. 299 *o noxium esse periculu & ludibriis*, iidem vno verbo efferunt *ἀνεπηρεάστου, cui facilè quis possit nocere dictis & factis.*

Cum tribus.] Legendus est Plin. l. 33 c. 1. & Alex. ab Alex. l. 2 c. 19. & Bud. in Pandect. vt scias, quorum fuerit olim Romę annulum manu gestare. Interea tamen tibi dicam hoc insigne fuisse ordinis equestris, vt clavum Senatorii, de quo iam a nobis dictū est in Gram. Sat. 1. libri 1.

Laua.] Quidam hîc legunt pro *laua* manu sinistra (quæ priscis temporibus annulo ornabatur) *lana*, & ita hanc constituunt syntaxin, Priscus modò ita vixit inæqualis, vt clauum vel latum, vel angustum mutaret in horas inani lænâ, id est, vili & mutatâ veste: quâ certè lectione magis inconstantia illius hominis patefiebat oculis spectantium. Sic dicet epist. ad Pisones de puero, qui *mutatur in horas*. 1. sæpissimè. qualem Priscus se gessit.

Aedibus.] Ellipsis est sic explenda: & ex ædibus magnis egressus eò se abderet, vnde aliquis libertinus paulo munditiæ cupidior vereretur exire. De *Mœcho* dictum est Od. 15. l. 1. & Sat 2. l. 1.

Iam mœchus.] Videtur hic Priscus, qui creditur Rhetor fuisse, ad ingenium Polypi eruditus, gaudentis colore cuiuslibet corporis, quod attingit: cuius naturam Theognis docet callidos imitari:

Πολύπους ὄργιον ἔχει πολυπλόκου, ὅς ποτὶ πέτρῃ
Τῇ προσομιλήσει τοῖος ἰδεῖν ἐφάνη.
Mores Polypi indue versipellis, qui qualis est petræ,
Quam attingit, talis ipse aspectu apparet.

Magna quidem certe vis est in habitu locorum, e cuiusdam obseruatione natum est prouerbium *διὰ τῶν φυτῶν τὰ σπέρματα, διὰ τῶν ἀνθρώπων οἱ βίοι τοῖς χώροις συνεξομοιοῦνται & plantarum semina, & hominum mores fiunt naturæ locorum similes*: quod Sylla dicitur prudenter animadvertisse, qui militibus amœnam regionem & feracem postulantibus ad habitandū denegauit. Idem Cyrum fecisse Persis narrat Herodotus sub finem l. post emi, ne animi vtriusque postulantis tali amœnitate soli remollescerent, & ad militarem laborem ineptiores fierent: cuius longè patientissimi sunt homines in montosis asperisque regionibus nati & educati. Verba Herodoti sunt: Φιλέειν ἐν τῇ μαλακῇ χώρῃ μαλακὸς γίνεσθαι. ἐκ γὰρ τοῦ τῆς αὐτῆς γῆς εἶναι καρπόν τε θωμαστὸν φύειν, καὶ ἀνδρίας ἀγαθοὺς τὰς πολέμους. hoc est ex interpretatione L. Vallæ: *naturâ enim comparatum esse, vt e mollibus regionibus molles viri existant: néue ex eadem terra fruges admirandæ & egregij bello viri gignantur.* vt alibi notatum fuit. Lectio autem, *doctor Athenis*, præstat alteri, *doctus Athenis*, vt quæ magis conueniat professioni huius Rhetoris interdum Romæ mœchantis, interdū Athen docentis.

Vertumnus.] Vertumnus Romanorū respondet Proteo Græcorum mutabili formarum varietate, & definitur Deus Liberis, & ab septimis annis alteo verso dictus putatur: alij tamen ab anno vertente, quòd variam cæli faciem imitetur. Alij quoque a vertendis hominum mentibus, permutandisque rebus deflectunt. E Donato denique in Adelph. Act. 2. Sc. 1. v. 37. --- *quæ res tibi vertat male, dicimus quod ille fit: Vertumnus dicitur Deus, qui rebus ad opinatas uertere tibus prosit: sæpè autem male cedit, quod bonum putatur, & hoc est male vertisse, vt ille gladius, qui ab Aenea munere datus Diuoni admodum fuit regnæ pereunti*, de quo Virg 4. Aen. v. 646.

——*eumque recusso*
Dardanium, non hos quæsitum munus in vsus.

quem Aeneas non ad hunc vsum recusat, ait Servius. Non equidē dubito, quin, *ro natus Vertumnus iniquus* idem valeat, quod *inuisus cælestibus*, l. 1. Aen. & hoc Odyss. γ. initio de Telemacho, θεῶν ἀέκητι γενέσθαι, *Dis inuitis natum esse.* Huius meminit Cic. 3. Verr. Dicitur autem Poeta, *iniquus natus Vertumnus*, vt Sat. 3. l. 2. *iratus pariter natus Dis.* & 3. huius; *Gnatus a lymphis iratis exstructus.*

Scurra.] De hac voce lege Grammat. in Satyr. 3. huius libri.

Iusta chiragra.] Hoc Græci sic enunciant, ἀκεφὴς χειράγρα σου τρίψει ἄρθρα, *Plenus & magnus articulorum dolor confregit manus*, quarum articuli sunt tam tophis & nodis intercepti, & humoribus malignis quasi irretiti. Id enim sonat χειράγρα ἢ ἄγρα τῆς χειρὸς *aucupatio manus.* Alij tamen malunt deflectere παρὰ τὸ τῆς χειρὸς ἄλγημα, *a dolore manus*, quasi χειράλγα. Hic contra quantitatem Græcam Chiragra corripit priorem: vnde probatur mihi scriptura quorundam Cheragra, quum diuolutę diphthongi *ei* præpositiua hic restituatur suæ quantitati, quę remanet dubia in Chiragra propter *a* anceps. Iusta Chiragra dicitur ad exemplar exercitus iusti, quum vtrumque est plenum, absolutum & perfectum, nisi velis interpretari iuste debitam & conuenientem vitę intemperanter actæ.

Qui prorsus.] Qui acciperet vicariis manibus talos ab aleatore, & illos prius confusè agitatos eodem mitteret: quod Græci dicunt ὥσπερ αὖ αὐτὸ αὖτι μεταχειρίζηται τὸν κύβον καὶ ἐκβάλλει εἰς τὸν πύργον. Eustat. ex Herod. scribit Λυδοὶ τὰς κύβους εὗρον καὶ τὰς ἀστραγάλους, καὶ τὴν σφαῖραν, καὶ πάντα παιγνία πλὴν τῶν πεσσῶν *Lydi aleatorum inventores tessellarum & talorum, & sphæræ, & aliarū puerilium lusionum præter calculos.* Idem e Sophocle Παλαμήδης ἐφεῦρε πεσσοὺς, λίβας τε τἀστρωτὸν ἀρχαῖον ἄθος. *Palamedes inuenit calculos, & tabulas stratum antiquum ludum.*

Phinum.] Hæc vox præterquam quòd significat frænum & capistrum, est etiam ὄργανον κυβευτικὸν, *aleatorium instrumentum*, vel potiùs vasculum & fritillus, quo tali iniecti agitantur, & pòst in alueolum lusorium, vel tabulam lusoriam mittuntur, Gallicè, *tablier a dez.* sed phinum, pyrgum & fritillum, Gallicè nescio, vt Gallis inuisitatum. De quo Iul. Pollux lib. 10. cap. 51. Aliàs etiam hic legitur pyrgum, quem interpretatur Martialis lib. 14. Epig. 16. turriculam, & eam inducit gloriantem de fraude manus coercenda.

Quærit compositos manus improba mittere talos,
Si per me mittit, nil nisi vota facit.

Vbi Domitius scribit instrumentũ fuisse, quo concusso tali emittebantur, ne illi lusoris fraude compositi consisterent optato puncto. Suidas de pyrgo mentionem facit in ταβλα, quod fuit ludi genus inventum a Palamede in exercitu Græcorum ducendo, vnde ταβλίζειν, *tesseris ludere.* E concisa autem voce tabula fit tabla Græcæ similis. Vt autem vox Latina *turris* fortassis dicta est ab incutiendo hostib. terrore: sic Græca πύργος ab eo, quod editissima quæque ædificia ignibus fulmineis sæpiùs tangantur.

Ac prior.] Malo hanc lectionem, quàm *acrior ille* vel, *ac prior illo*, cuius sententiæ rationem pete ab argumento in Dialecticis notato. Sensus igitur loci est: Quantò idem Volaneri? est constantior in vitiis, tantò minùs miser est, quàm ille Priscus leuis & inconstans, qui hic pluribus verbis pronunciatur:

Qui iam contento, iam laxo fune laborat.

Vis autem huius copulæ, *ac prior* recte percepta dirimit omnem de lectione contentiõem. Hic enim non modò vim coniungendi, verùm etiam eligendi vel discernendi habet, qualem notauimus in Gramm. Epod. 12. ad verba, *Inachia langues minùs ac me*: quod valet, *tu te præstas validiorem erga Inachiam, quàm erga me.* Idem obseruatum est Sat. 5. lib. 1. *Iter est vnum præcinctis altiùs, ac nos.* Idem quoque hic paulò pòst in, *atque, qui peccas minùs, atq; ego*, pro, quàm nos, & quàm ego.

Quorsum.] Quò spectant ista verba tam auditu iniucunda & odiosa. Hoc Græci interpretantur, πρὸς τί τοῦτο λέγεται. Pro eodem dixit Satyra 2. lib. 1. *quò res hæc pertinet?*

Furcifer.] Quid furcifer valeat, & quid sub furcam ire, primùm Donatus declarat in Act. 2. Scen. 5. vers. 21. Andriæ, vbi Pamphilus he Danum aggreditur: *Ob tibi ego vt credam furcifer, &c. Illi*, inquit, *furciferi dicebantur, qui ob leue delictum cogebantur a domino ignominiæ magis, quam supplicij causâ circa vicinos furcam in collo ferre manibus ad eam subligatis, & peccatum suum profiteri, simúlque cæteros admonere, ne quid admitterent simile.* Deinde in Problematibus Roman. Plutarch definitur furca τὸ ξύλον διπλοῦν, ὃ τοῖς ἁμάξαις ὑφίστασιν. ἡμεῖς μὲν σφήγγα, Ῥωμαῖοι δὲ φοῦρκαν ὀνομάζουσι. *est lignum duplex, quod plaustris supponunt fulciendi gratiâ: nos quidem Græci σφήγγα: Romani verò furcam nominant.* Illic Henricus Stephanus doctè quidẽ reposuit σφήγγα pro vulgata σφῆνα: quem locum ibidem apud Plutarchum consules: vnde etiam disces id genus supplicij, cuius etiam acerbitatem in hero quodam reprehensam, grauiterque multatam apud eundem leges in vita Coriolani ad narrationem cuiusdam visi, quod Tito Latino civi Romano obiectum est inter somnum: vbi furca geminatis vocibus Græcis exprimitur, ὁ δὲ ἤγουν ξύλον οἱ Ἕλληνες ἱποστάθιν καὶ σφήγγα, τοῦτο οἱ Ῥωμαῖοι φοῦρκαν ὀνομάζουσι. *Quod enim, nempe lignum, Græci ἱποστάθιν & σφήγγα, id Romani furcam nomine dicunt.*

Laudas Fortunam.] Prædicas fortunatos & antiquâ virtute atque fide veteres, qui simplicem vitæ cultum, tranquillum & frugalem sequerentur, non sumtuosum, nec magnificum, nec luxuriosum: ad quem si quis Deus minimè rogatus te transferre vellet, tu vehementer recusares transferentem sequi, vel quòd id nescias rectius esse, quod tanti facis: vel certè, quod tu dubites de eo, & ita videaris in altissimo luto defixus inhærere, vnde te frustrà tentes expedire: vel si quis Deus agat te ad illa, id est, ad mores antiquę plebis, aut ad viuendũ ἀρχαικῶς te invitet ac impellat. Id verbum in eodem significatu, sed Græcâ syntaxi vsurpauit Ode 2. l. 1. *Proteus egit pecus visere montes.*

Romæ tuæ.] Hæc phrasis redolet Hellẽismum, qualis posset esse, ὦ σὺ Ῥώμῃ, *tu Romæ manens.* Rursus in *rusticus* est antimeria p. ὦρ rure laudas Vrbem, vel tu rusticãs.

Olus.] De hac voce Sat. 6 lib. 1. fuit.

Ac velut.] Id est, tu quasi inuitus & coactus semper ad aliorum cænas venias, ita victum simplicem ac domesticum laudas, eoque plurimùm delectaris. Quidam hæc sic obseruant, vt coniungãt *amas* cum antecedente, *dicũ te fælicem, amasq;*, & videtur explicandum, miraris te. Alij cum sequente, quòd nusquam tibi sit potandum, valet, plurimùm gaudes, vel tibi placet, quòd *&c.* Et certè τὸ ὁμοῦ ἀπιολογικὸν ἐστιν ἀμφοτέρων διὰ τὴν μανθάνειν καὶ τὴν φιλίαν. Neque admodùm est vtilis hęc obseruatio. Ita Cic. loquitur ad Attic. l. 1. *Te multum amamus, quòd ea abs te diligenter paruoq; curata sunt*, pro, tu nobis multùm places.

Serum.] Antimeria est pro serò sub exortum, vel potiùs sub epiphaniam vesperi & stellarũ Mæcenas iussérit te cænatum venire secum, eò properas ire: hoc interpreteris Græcè, διελοῦσαι δ' αὖ ὁ Μαικῆνας σε προσελθεῖν συνδειπνήσοντα ἑαυτῷ σὺ ἀμυδρῷ φωτὶ, τοῦτ' ἐστὶ σφίσας γενομένης, ἐκεῖσε πορεύῃ τάχιστα. Hic autem prima lumina dicuntur post occasum solis præcipuè Hesperi, id est, Veneris esse, & mox post eam reliquarum stellarum.

Nemõ?] Pro, memòne seruorum afferet citò oleum, vt lautus & vnctus cænatum abeam? Id veteres faciebant, quò hilariores, iucundioresque se præstarent conuiuas. Alij putant oleum posci ad lucernam: quod tamẽ parùm commodè præferri solet euntibus. Viderit Lector.

Blateras.] Pro quo Plautus in Pseudolo dicit, *sermonibus morologis veteris*, id est, stulta, inepta & supina loqueris. Hoc autem verbum Festus deflectit παρὰ τὸ βλαξ, ἀπὸς, qualis est homo vel fatuitate vilis & abiectus, & hoc παρὰ τὸ βλῶ concisum ἀπὸ τοῦ βάλλειν, & hinc rursus βλάζειν ἤγουν μαραίνειν, fatuum & hebetem esse: cuius etymi altera lectio, quæ habet *furisq; profugisq;*, non mihi displicet tali geminatione fatuitatis & mentis malè sanæ constans. Græci verbum blaterandi per βατταλογεῖν interpretari solent, quod partim factum putant ex proprio nomine cuiusdam Batti, qui fuit vel princeps *Cyrenæorum* linguæ balbutientis, de quo Herodotus lib. 4. vel Poeta ille Battus vnum & idem subinde repetens. Hesychius tamen & Etymologus tradunt, ὡς τὰ βαρβαρίζειν καὶ ποιεῖν, ὅτω τὰ βατταρίζειν καὶ βαττολογεῖν κατὰ μίμησιν φωνῆς ὀνομάζεσθαι, ὅθεν καὶ βαττολογία συμβαίνει τοῦ πολυλογίαν, καὶ βαττολόγος συμβαίνει τὸν πολυλόγον καὶ πολυλάλον, id est, *garrulum & loquacem.*

Miluius & scurræ.] Hi grauiter tulerũt discessum Horatij, & diris deuouerunt, qui sperarent se cum eo cænaturos. Miluius autem est nomen parasiti cuiusdam a rapaci volucri dictum, Gallicè, *Misan*: sed de scurris lege Gram. Sat. 3 lib. huius. Hæc *duci ventre, poponẽ esse & belluonem* admodũ significanter verbo Græco exprimunt, ἡττᾶσθαι τῆς γαστρὸς καὶ τῆς κοιλίας. i. *ventri deditũ esse*, sicut τῆς ἡδονῆς ἡττᾶσθαι, i. *inferiorẽ esse voluptate, & ab ea vinci.*

Nasum

Nasum supinor.] Syntaxis est Græca per ellipsin præpositionis, pro duco naribus nidorem pulmentariorũ & ad illum hauriendum illas extollo & resupino: vel nasus mihi supinatur nidore, quem Grammatici deflectunt a nimio odore rerum tostarum.

Tu quum sis.] Tu here, quum sis seruus, sicut ego, ego quidem corpore, ipse verò animo: quòd seruitutis genus est deterius priori, deberésne nullâ iustâ causâ ductus me insectari, & vitia tua lepida oratione elegantiq; specie virtutis & honesti obtegere? Hac certè confessione mei delicti nemo est, qui non me prædicet te meliorem, qui celando, occultando tuam turpitudinẽ velis pro vitioso bonus haberi. Hæc certè phrasis, *vltrò insectere*, notat summam heri impudentiam, qui quum ipse vehementer accusandus videretur, alium accusat. Ità Parmeno Act 1. Scen. 1. Eunuch. Phædriam nominabat, *te vltrò accusabit*, & in Phorm. *o audaciam! etiam me vltrò accusatum aduenit.* Non video, cur hic seruus mentionem pretij, quo fuerat emtus, faciat, nisi velit contemtionis gratiâ herum, si hic venalis esset, minoris ipso vendi, qui octoginta septem Francis & dimidio solum venierat.

Quid si me.] Elliptica est hæc loquutio, pro quid respondebis, si percontando inueniaris stultior me ipso.

Aufer terrere.] Vix alibi reperias hoc verbum cum infinito: vnde equidem suspicor antimeriam esse infiniti cum sua syntaxi, pro substantiuo aufer mihi istũ terrorem, quem tu videris contractâ fronte inferre: manum quoque compesce & a me abstine, irascique mihi desine, dum te e Stoicorum doctrina moneo. Ex hac serui deprecatione cognoscimus, eum non satis fretum Saturnalitiâ breui libertate & heros, sicut omnes superiores, ægrè ferre reprehensiones seruorum & inferiorum, vt ex Act 1 Scen. 4. vers. 46. Phor. Phædria Getæ seruo stomachatur, *aufer mihi oportet: quin tu, quod faciam, impera.* Gallicè *oste moi cette parolle contraignante, ou raiment plustost me commande ce, que ie Doibe faire.*

Dum quæ.] Dauus profitetur se, vt erat seruus, sic a seruo Crispini Stoici Philosophiam moralem didicisse. Huius Stoici meminit postremus versus Sat. 1. lib. 1. vt verbum Latinum *doceo* duos casus accusandi, alterum personæ, alterum rei admittit: ita Græcum διδάσκω, sicut ex hoc Demosthenis exemplo ολυνθ. orat. 2. perspicitur, πρὸς δὲ Θεσσαλοὺς πρεσβείαν πέμψειν, ἣ τοὺς μὲν διδάξει ταῦτα, τοὺς δὲ προξωσεῖ, id est, dico autem oportere vos, *ad Thessalos legationem mittere, quæ alios quidem hæc doceat, alios verò exsuscitet.*

Actus ubi.] Τοῦτ' ἐστιν, ἐπειδὴ πρὸς ὁμιλίαν ὀργῷ ἢ πρὸς τὴν ὀχείαν, cum tentigine rumpor, quæcunque meretricula excipit me incubum vel succubum, si mihi in tanta obscœnitate ista loqui licet, dimitte me integrâ existimatione & omni securitate. Illud autem, *sub clara lucerna*, quidam exponunt de die & luce, alij de lychno & lampade, in qua posteriori Iustus Lipsius est sententia lib. 1. Elect. cap. 4. vbi citatur hic locus, & alter e Iuuenali;

Obscurisq; genis turpis, fumoq; lucernæ:

annotans, in more positum fuisse, vt scorta sub vesperam prostarent ad lucernas, nec ante nonam diei fas eis esset copiam facere sui; vnde Persius talem meretricem vocat nonariam. Hæ autem lucernæ ad noua lupanaria erant suspensæ: quæ certè sententia probabilior mihi videtur, quanquam alij malunt legere *Lacerna* pro pallio rarissimæ texturæ: itaque pellucidæ, vt meretricula cerneretur ferè nuda: quod pallij genus dictum est Satyr. 2. lib. 1. vestis Coa & Græcè τριβώνιον, atque adeò Isidorus lib. 19. cap. 75. scribit illud lineum pallium fuisse mererricis signum: quod matronis in adulterio deprehensis induebatur ignominiæ nota.

Meiat eodem.] Poterat honestiùs enunciari more Virgilij, ne quis riualis vel formâ vel opibus me præstantior illi miscearur, vel in illius congressum veniat, rémue cum ea habeat: quod Græcè dicitur μιγνύναι τινί.

Tu cum proiectũ.] Hæc non omninò conueniunt Poetæ, qui nec equestris nec Senatorij erat ordinis, sed eò dicuntur, vt plerique domini agnoscantur deteriores seruis, quum tam sæpè turpiterque deponant insignia vtriusque ordinis, atque illis abiectis reliquoque personæ publicæ habitu posito videantur non solùm esse plebeij ordinis, sed ex ipsius etiam multis gradibus seruilem omnium postremum tenere.

Prodũ.] Verbum est Scenicum, tu iam depositâ iudicis personâ sustines illam infamis serui, & sub pallio fimbriato militis domum introduceris & ingrederis aliquo perfusus odore: vbi totus tremis & horres timore pugnanti cũ tua libidine: sed in *tremis ossa*, ellipsis est præpositionis pro, ossa tibi tremunt, & metu concutiuntur.

Non es, quod.] Id est, non es talis, qualem te prædicas, quomodo dicit alibi, sum quod ille, id est, talis sum, qualis est ille. Simulare & dissimulare quid differant, ostendimus Od. 20. l. 2. quod hic memoriæ gratiâ repeto. Vera dicuntur dissimulari, quum ea occultantur: sed falsa simulari, quum ea finguntur, quę non sunt. Græca autem εἰρωνεία & εἰρωνεύομαι pro vtróque vsurpantur.

Altercante.] Participium est ab *altercor, ãris*, quo vtitur Terentius in And. Act 4. Sc. 1. *Cum patre altercãs duũ*, vbi Donatus annotat alias legi, *altercatus est*: non enim ait, *alterco* dicimus: sed Priscianus tradit, antiquos solere actiua pro passiuis vsurpare, vt aucupo pro aucupor, alterco pro altercor.

Quid refert.] Videtur ellipsis particulæ dubitandi, *an, ne, vtrùm eas auctoratus*, id est, præmio addictus capitali pœnæ perferendæ, pro quo casu sunt hic infinita ἐλλιπῶς posita: quod etiam auctoramentum dicebatur. Longa est Turnebi annotatio in hunc locum, ex qua hoc adscribam: quid refert, vtrùm te ludo gladiatorio obligâris & vendideris hac lege, vt ius sit virgis cædere te & ferro interficere: concipitur & apud Petronium iurisiurandi formula in verba: *Eumolpi iurabimus sacramentum vinciri, verberari, ferroq; necari, & quicquid aliud Eumolpus iussisset, tanquam legitimi gladiatores domino corpora animósque religiosissimè addiximus*: ex libro 36. capite 15. Plin. cognoscitur τὸ auctorari verbum esse seruile, quum qui seruitutem seruiunt auctione venire soleant. Sic enim ille: *Gladiatorium spectaculum edebat, ipsum magis auctoratum populum Romanum circumferens*, id est, suâ stultitiâ seruientem magis, quàm gladiatores ipsos libertatis expertes, qui quum auctorati essent, id est, in seruitutem empti, imperio domini, vel cum vitæ periculo cogebantur parêre.

Vri virgis.] Ita loquutus est Epod. 4. *Ibunt perunctæ funibus latus.* & Epist. 16. ad Quintium, *loris nos vteris ato*, id est, cædi. Nos cæderis: corpus enim dolore ictuum calefit. Dicitur etiam loco prioris, sectus flagellis.

Ferroq; necari.] Hinc apparet, quàm verum sit discrimen, quod quidam ponunt inter occidere & necare, vt illud fiat ictu cadendo: hoc sine ictu.

Conscia herilis.] Ellipsis est substantiui *ancilla* siue *famula* herilis culpæ ferè semper consciola, quæ mœchum inclusérat in arcam tam angustam metu interuenientis mariti, vt ille cogeretur propter angustias

loci ſeſe velut in globum contrahere. Sic ἐλλειπτικῶς dixit Sat.2.lib.1. *miſeram ſe conſcia clamet*: ſic Ouid. *pro charta conſcia tergum præbeat.*

Iuſta poteſtas.] Aequalis poteſtas vlciſcendi flagitiũ vtrinque mœchantis.

Tamen habitu.] Hæc videntur ἀντιβεβικῶς dici, Poeta quum vult ſcortari, & domum & habitum, naturalemque coeundi rationem mutare ſolet: matrona contrà id domi præſtat veſtitu conſueto naturalique concubitu. Quidam tamen putant *mutare ſe loco & peccare uperne* ad incumbendi & ſuccumbendi rationes referenda eſſe.

Domino furenti.] Quidam intelligunt propriè de marito, qui adulterum deprehenſum ſub furcam mittit, & ſupplicio afficit: alij tropicõs, vt poſteà in Rhet. dicetur.

Euaſiſti.] Periculum triplicis illius pœnæ in re, corpore & fama fugiſti & euaſiſti. Eſt autem euadere per quamcunque difficultatem, per ardua, per præruptа peruenire ad aliquid, ait Donatus multis locis in Terent.

Praua.] Legitur aliàs priua, quæ lectio mihi non diſplicet.

Tolle periclum.] Hæc naturalis ad vitium propenſio copiosè diſputatur Epiſt. 16.lib.1. vbi pro, *tolle periclum* dicitur *ſit ſpes fallendi & latendi, miſcebis ſacra prophanis.* Eódem ſpectat illud Mitionis Act.1 Scen.1. Adel. *Malo coactus qui ſuum officium facit, dum id reſcitum iri credat, tantiſper cauet: ſi ſperat fore clam, rurſum ad ingenium redit.* Ariſtoteles lib.1.Rhet annumerat cauſsis iniuriam aliijs inferendi ſpem flagitij tegendi.

Tú ne mihi.] Tanquam ſeruus hero diceret: Tu non potes eſſe mihi dominus, qui ſeruias tot tantisque dominis, libidini, metui, gloriæ, nec inde vllâ vindictâ te poſsis eximere. Fuit autem vindicta Prætoris virga quâ ſeruus in libertatem aſſerebatur, ſicut e Theophilo in lib. Inſt. iuris ciuilis perſpicitur. Hinc apparet diſtinctio Cornelij Frotonis inter vltionem & vindictam, vt illa vindicet factum, hæc prohibeat futura, vt hîc ne ſeruus ſemel manumiſſus poſterum ſeruituti ſit obnoxius: ſed ſyntaxis verborum ſic habet: túne es Dauo dominus, qui es minor tot, tantisque imperijs rerum & hominum, id eſt, quis tot tantisque perturbationibus, ſæuiſsimis dominis ac tyrannis ſeruis:

Siue vicarius.] Hoc ſerui genus ſuberat ordinario. Sunt autem alia ſeruorum genera apud Iuriſcõſultos, vt ff.de iniurijs. Etenim multum intereſt, qualis ſeruus ſit, bonæ frugi, ordinarius diſpenſator: an verò vulgaris, mediaſtinus, qui eſt omnium maximè laborioſus, ita dictus quòd ſtet in medio ſemper velut poſitus, & ad omnium imperia paratus omnia: videtur tamen Turnebo mediaſtinus habere tantùm priorem iuncturæ partem ſignificantem, poſteriorem otioſam & productionis ſolùm gratiâ adhibitam. Alij volunt vocem eſſe ſimilem hybridæ, e *Media* Latino & ἄγω Græco, quaſi eſſet publicus ſeruus, in medijs vrbis quadriuijs, vbi ſtant baiuli Pariſienſes μιθαφοροῦντες. Plura vide in Annot. Philip. Beroaldi in Colum. vnde ſubijcitur villico Epiſt 14.

Tu mediaſtinus tacitâ prece rura petebas.

Quidam malè hunc cenſent eſſe ſeruum atrienſem. Alij ſeruum balneatoris: ſed atrienſes ſerui erant honoratiores & lautiores, vt conſtat ex Aſinaria Plauti: *qui negotia Domini procurarent: res venales diſtraherent*: id eſt, *venderent, debita exigerent: imperium in alios haberent: in atrijs denique diuitias Domini, ſigna, tabulas, imagines maiorum ſeruarent.* Nec eſt dubium, quin ille ſit deſcriptus Lucæ 12. τίς ἄρα ἐστὶν ὁ πιστὸς οἰκονόμος καὶ φρόνιμος ὃν ὁ κύριος καταστήσει ἐπὶ τῆς θεραπείας αὐτοῦ τοῦ διδόναι ἐν καιρῷ τὸ σιτομέτριον; *Ecquis eſt fidus diſpenſator, ac prudens, quem dominus præficiet famulitio ſuo, vt in tempore det demenſum?* Fuit hic diſpenſator, id eſt ſeruus atrienſis Budæo in Pandect. primæ auctoritatis, qui ſeruis reliquis frumentum admetiri Calendis ſolebat, quod demenſum dicebatur: ex qua conſuetudine illud Euangelij manârit, *frugi porrò ſerui*, id eſt, parſimoniâ vtentes, & cibo modico contenti ex eo, quod de quaternis modijs comparcere poterant, peculium ſibi comparabant: vnde aliquando etiam ſe redimebant a dominis: aut alias arbitratu ſuo vtebantur, vt Terentianus Geta, qui munuſculum nuptiale vxori herilis filij dicitur dediſſe. Serui autem nequam, id eſt, prodigi & luxurioſi nullum, aut pertenue peculium habebant, luxu & comeſſationibus ac perpotationibus nocturnis omne ſuum demenſum & peculium dilapidantes. De mediaſtino dicetur Epiſt. ſupra citatâ.

Mobile lignum.] Plerique interpretantur de turbine, quem ſcuticis ſolent pueri verberare & exercere: de quo lege Eleg. 5. Tibul. lib. 1. & 7. Aeneid. ad hunc locum:

Quem pueri magno in gyro vacua atria circum.

Sed præſtat locum intelligi de ſimulacris minutis, quæ neruis ac vinculis huc atque illuc decenter dimouentur pro arbitrio neuroſpaſtarum. Hæc Græci vocant ἀγάλματα νευροσπαστα, atque Budæus ſcribit τοὺς νευροσπάστας eſſe genus circulatorum, præſtigiatorum, qui imaguncularum motus & luſiunculas ludicris moliuntur ita, vt ſaltare & oſculari inuicem ſigilla ipſa & amplecti ſe videantur. De his Lucianus in lib. de Syria Dea, φάλλος ἔλλιψις τῷ Διονύσῳ ἐγείρουσι, ἐπὶ τῶν καὶ τοιόν δε τι φορέουσι, ἄνδρας μικροὺς ἐν ξύλῳ πεποιημένους μεγάλα αἰδοῖα ἔχοντας. καλέεται δὲ τάδε νευροσπαστα. *Græci penem Priapi excitârunt Dionyſo: hu etiam ſimile quiddam ferunt, paruos homines e ligno factos & magna pudenda habentes: quæ vocantur neuroſpaſta, ὡς αὐτόματα καὶ αὐτοκίνητα, neruis tracta & velut ſuâ ſponte ſe mouentia.* Ex hoc Luciani loco perſpicitur nihil intereſſe ad ſententiam, vtrùm legeris hîc lignúmne an ſignum: ſi illud ſignificabis μετωνυμικῶς e materia imaguncula inde factam: ſi hoc, ſynecdochicõs rem eandem. De his quoque Apuleius de mundo ex Ariſt. ſcribit: *Etiam illi*, ait, *qui in ligneolis hominum figuris geſtus mouent: quando filum membri, quod agitare ſolent, traxerint, torquebitur ceruix, nutabit caput, oculi vibrabunt, manus ad miniſterium præſtò erunt, nec inuenuſtè totus videbitur viuere.* Meminit quoque Vlpianus lib. 41. de legat. lib. 1. quorundam automatariorum. Suetonius quoque in Claud. Cæſ. cap.34. *De fabrorum quoq; ac miniſtrorum atq; id genus numero ſi automaton, vel pegma, vel quid tale parum rectè ceſsiſſet, quoſdam committebat inter ipſos more gladiatorũ ad necem vsq; pugnantes.* De his denique ſimulacris lege Herodot. in Euterpe. Eſt quoque alterum præſtigiatorum genus, cuius ludo Arceſilaus dicebat τὸν διαλεκτικὸν ἐοικόναι τοῖς ψυφοπαίκταις, οἵτινες χαριέντως παραλογίζονται, id eſt, *dialecticos ſimiles eſſe pſephopactu, qui ſcilicet imponunt ſpectantibus calculos ex vno aceptabulo in aliud dexterè καὶ θαυμαστῶς tranſeuntes*, id Galli appellant *ioeur de Gobelet & de paſſe.*

Quunam igitur.] Hæc deſcriptio liberi hominis perſimilis eſt illi Virgilianæ pro viro bono & ſententiæ & verborum vſu & ordine, quæ ſic incipit:

Vir bonus & ſapiens, qualem vix repperit vnum,

reliqua ſume de opuſculis Virgilij.

Reſponſare.] Sic epiſt. 1. l. 1. dicetur, *fortuna reſponſare ſuperba:*

superbæ : pro quo Seneca lib. 2. cap. 2. de Clementia dicit, loquens de sapiente Stoico, *Quoties poterit fortuna intercedet*, sic intercedere easib⁹, occursare fortunæ, obsistere, passim reperiuntur. Illud autem Senecæ sumtum videtur e consuetudine Romani Senatus : vbi Tribuni solebant consulibus & Senatoribus intercedere nomine populi, si quando eum ab illis premi viderent. Qui perturbationes, affectus, opes, ambitionem, pauperiem & durissimum quicquid vincere, domare & reprimere valet, in quem nihil potest vtraque fortuna: adeò fixus & præclarè fundatus est ipsius status, adeò læuis, politus, vt marmor, & lubricus, vt nihil in eo inhærere possit pollutum, & quod Virgilius dicit de viro bono:

Externa ne quid labis per lævia fidat.

Teres atque rotundus.] Vide lib. 2. de nat. Deor. quid Cic. sentiat de figura rotunda ad verba sub initium: *quid pulcrius eâ figurâ, quæ sola omnes alias figuras complexa continet, quæq; nihil asperitatis habere, nihil offensionis potest, nihil incisum angulis, nihil anfractibus, nihil eminens, nihil lacunosum?* reliqua illic lege de eadem.

Poscit] Id est, tria aureorum millia te poscit mulier, & te παίγνιον ποιεῖται, *ludos facit*. Vt vides hîc *posco* Latinum cum duobus accusat. sic Græcum τὸ αἰτέω in Xenoph. παιδ. 8. ἐμὲ πολλοὶ μὲν οἰνέται σῖτον αἰτοῦσι, πολλοὶ δὲ πιεῖν. id est, *multi me famuli poscunt cibum, multi potum.* Sic in Aristoph. in Plut. Act. 4. Sc. 4.

Ἔπειτ' ἴσως ἤτησεν αὖ σ' ὑποδήματα. i.

Posteaquam fortasse te poposcisset calceos.

Foribus repulsum rursus.] *Noui ingenium mulierum*, ait Gnato in Eunu. Act. 4. Sc. 7. *nolunt, vbi velis : vbi nolunt, cupiunt vltrò.* Sic Propertius de hoc sexu:

Non sic incerto mutantur flamine Syrtes.
Nec folia hyberno tam tremefacta noto:
Quàm citò fæminea non constat fœdus in ira
Siue ea caussa grauis, siue ea caussa leuis.

Non quis.] A queo, quis, quit : itaque valet, non potes te liberum dicere.

Dominus non lenis.] Hinc est manifestum illud Donati αὐτίθετον in Phorm. Act. 2. Sc. 1. v. 3. *Lenem patrem illum, factum me esse acerrimum : non enim*, ait, *leni asperrimum, sed acerrimum reddidit, & mutauit gradum, positiuo superlatiuum opponens* : ita Celsus opponit cibos lenes & acres : sed Cic. 2. de finibus bon. & mal. hoc inter alia sic opponit, dulce, amarum : lene, asperum: propè, longè : stare, mouere : quadratum, rotundum : idem auctor in partitionibus opponit verba lenia & aspera. Hæc dissensio ex eo exstitit quòd asper sapor, sonus, cutis aspera communiter, vt lene dicatur : sed acer ferè tantum de sapore.

Pausiaca.] Immoderatum studium picturæ reprehendit ab hero. Fuit autem Pausias nobilis pictor Sicyonius, de quo vide Plin. 21. c. 2. & Varr. 3. de re rust. Est. 8. πολιτ Arist. pictor affinis huic nomini: *oportet pueros & adolescentes nō Pausonis, sed Polygnoti picturas intueri.*

Qui peccas.] Quomodò minùs peccas, quam ego. De *atque* coniunctione electionis pro, *quàm* dictum est Epod. 18. Hi autem Fuluius, Rutuba & Placideianus, fuerunt gladiatores, quorum prœlia picta erant: citatur l. de opt. genere orat. e Saty. Lucilij alter nobilissimus gladiator, cui⁹ nomen sine *L.* scribitur Pareidianus. Itaq; videris, lector, num vtrobiq; similis adhibenda sit scriptura, præsertim quum idem ordo, eadem ars personarū significetur vnde fortassis vnus & idē gladiator fuerit & a Cicerone & ab Horatio propositus. Dubitatur hîc, vtrò hanc poplitis contemtionem oporteat referri, ad Dauumne, qui ὡς ἀτενῶς, intentis oculis, & immotis intueatur pictas illas pugnas, & innixus vni contento popliti stat altero leuiter inflexo. an ad ipsas gladiatorum imagines simili habitu gestuque pictas: quod posterius sequentia videntur postulare:

Contento poplite.] Sic Suet. in Tib. c. 7. dicit: *Contentis & tumentibus oculis aliquid prosequi*, quod respondet superiori Græco pro fixis in eo oculis.

Nequam.] Ellipsis est, dicor ab hero nequam & cessator : qualis est in, *nihil ego*. nempe audio laudationes & nihili fio : si me capit nidor alicuius cibi & placentæ.

Subtilis & callidus.] Hæc epitheta magis pertinent ad ingenij acumen & exercitationem in agendo & respondendo celerem, quàm ad verborum elegantiam & concinnitatem. τὸ *audis iudex* valet, vulgò diceris callidus iudex.

Nihil ego.] Repete ab antecedente, *nihil audio*, id est, omnes dicunt me hominem esse nihili, si me capi ac duci placentis vident.

Ducor libo.] Libum est genus placentæ e farina & melle, vel oleo, vel lacte : dictum παρὰ τὸ λείβειν, a libando & sacrificando.

Cœnis responsat virtus oimis.] Animus tibi adversatur in opimis cœnis, vel tu non obsequeris lautioribus cœnis, imò contrà, tu facilè illis caperis per incontinentiam. Est autem *virtus responsat tibi in cœnis* impedit te, ne vincaris suauitate lautiorum ciborum, εἰρωνικῶς tamen. *Plecti autē tergo* dici ita puta, vt capite plecti, Gall. *estre fouette & tranchè la teste.*

Impunitior.] Antimeria est pro impuniùs capras opsonia, quæ nequeunt sumi, id est, paruo pretio emi & comparari.

Inamarescunt epulæ.] Tua, inquit seruus, intemperantia non abit impunè, nec luxuria. Inde enim fis ὀξυρεγμιώδης plenus fœtidorum, acidorum ructuum & crudorum humorum, vnde gignuntur omnia arthritidis genera, ἰσχιάς, γονάγρα, ποδάγρα, χείραγρα, cholera morbus & similia, quæ corporis impediunt functiones: de quibus impedimentis lege Sat. 2. huius.

Strigilis.] Strigilis, vt ξύστρα Græcum, invenerunt nomen a destringendo & radendo παρὰ τὸ ἀποξύειν, sine serratis tamen dentibus: quorum vsus erat etiam in balneis, palæstris, & gymnasijs ad radendas corporis sordes ex arenis palæstræ collectas, sudores, caputque scalpendum. Illa autē fiebant e varia materia sicut pectines. De his sic Persius. Sat. 5.

I puer & strigiles Crispini ad balnea defer.

Vsus autem sic ostenditur Epist. Senecæ 223. destringere est sudorem strigilibus siccare & detergere, vt sudorem, ait, quem mouerunt potionibus crebris feruentibus subinde destringant & linteis detergant. Hic locus arguit Grāmaticos erroris duplicis, vt alter Cic. l. 4. de fin. bon. & mal. *Apula strigilis accedat*, qui tradiderint hoc nomen *strigil.* esse mascul. generis & in recto hunc habere finem.

Parens gulæ.] Valet indulgens ventri.

Qui mutat vnam strigili vel vnâ strigilem.] Hæc vtraque syntaxis tolerabilis est, prior quidem videt exponenda, qui comparat & emit rationes strigili, & est syntaxis hypallagica, & notatum fuit Od. 17. l. 1. sed posterior videtur probabilior, quæ actionem serui in strigilem sumtam ostendit, & casus auferendi pendet ex ellipsi τῶ cum perpetua, vel in coniuncto, *fidem & religionem pecuniâ commutare*, pro Cluentio. Repetitur tamen expressum, *vitam cum morte commutare.*

Vitas fugitiuus.] Desideratur ante *fugitiuus*, nota similitudinis sic explenda: vt fugitiuus seruus & erro fugit dominum, nec ad eum vult redire : sic Poeta se ipsum vitat, nec resipiscere curat, vt iam in Dialecticis expletum fuerat. Hæc autem duo verba reperiuntur in

edicto Aed'lium Curul'ium, cui titulus est seruorum fugitiuorum. *Si quis fugitiuus erróve sit, noxâque solutus non sit, &c.* quem vtrumque Iurisconsulti sic distinguunt, vt fugitiuus sit desertor domini sui, sine vlla spe ad ipsum redeundi: erro autem sit quidam vagabundus, cum spe ad herum suum tandem aliquando reuertendi.

Frustra.] Expleatur sententia, *quaris solutionē curarum.*

Vnde mihi.] Reticentia est irati grauiter heri, qui quærit, vnde sibi lapidem & sagittas sumat ad Davum profligandum, immemor hæc omnia commemorari suo iussu.

Versus facit.] Hinc cognoscimus Poesin esse quoddam insaniæ genus.

Hinc te rapit.] Id est, nisi quàm celerrimè hinc discedas, mittam te ad ergastulū ruticum. Operam autem nonam dicit pro nono operario. Græcè *πρεσβεύσω τῷ ἀγρῷ Σαβινῷ σύνατος ὀργάτης* id est, *adiungeris ad culturam Sabini mei prædioli nonus operarius*: quod minùs est vsitatum in singulari, quàm in plurali. Cic ad Att. Epist. 8. l. 2. *Boni viri precibus Claudij a caussa removentur, opera comparantur.* Philip. item 1. *Mercenaria opera conducuntur.*

Explicatio Rhetorica:

VIx reperias alibi hoc verbum sic translatum, neque Græca huic respondentia *νοῦς μὲν νήχεσθαι.* Quod autem profertur e1 de nat. Deor, de Democrito, *qui natare videtur in natura Deorum*: & e 2. de Fin. bon. *Nunc autem dico, ipsum Epicurum nescire & in eo natare*: plerique omnes codices habent vtrobique *nutare* pro dubitare. Sed hæc *ἐπιπολῆς τινος εἶναι καὶ ἐπιπολάζειν*, mirè exprimunt inconstantiam. Cuius verbi posterioris translatio non minùs est vsitata priori. Metaphora igitur est hic valdè apposita ad inconstantiam & fluctuationem animi indicandam: vnde etiam Græcè dicit Hermogenes *σύνοιαι ἐπιπολαίαι καὶ κενάι*, *sententias inanes & futiles*, quibus opponuntur, *σύνοιαι βαθεῖαι καὶ νόημα βαθύ*, *alta & acuta sententia* & intelligentia reconditi sensus. Ad hoc translationis exemplum libet addere alterum e lib. 4. Manilij diligenter annotatum nuper a Scaligero filio: *Huic est mobilitas rerum, mutataq; sæpè*

Mens natat.

qui locus, vt ille lib. 3. de natura Deorum mihi confirmant translationem esse ab aquatilibus, quorum natatu nihil est magis vagum & varium. Locus Cicer. sic habet: *quoniam Neptunum a natando putas appellatum, magis tu mihi natare visus es, quàm ipse Neptunus*: quod priùs dixerat, in enodatione nominum hærere, liquidem *νήκτα* & natatores, dum natant, in fluctu summo videntur pendere & librari: sic animi non nullorum fluctuant in genere vitæ deligendo, vt nauis ritu huc atque illuc agitatæ conuertant se modò ad virtutem modò ad contrarium. Sic fluitare spe dicitur Epist. 18. lib. 1.

b Sumtum est a Mathematicis quantitatibus ad eandem inconstantiam mutabilitatemque ingeniorum notandam, quâ vsus est Sat. 3. lib 1. *Nihil æquale homini fuit.* Item, *impar sibi*: quibus mox hic opponet *teretem & rotundum esse.*

c Ex effectis caussa significari videtur metonymicōs pro Prisco, & in, *tam*, repetito est anaphora: qui mavult modò Romæ mœchari, modò Athenis bene dicendi artem docere.

d Synecdoche est multitudinis pro vno Vertumno, nisi malis ex hac specie genus vel Deorum, vt valeat, quod in Milite glorioso, *Quò magù Diù inimicù natus quàm tu, atque iratù?* vel hominum leuium & inconstantium intelligi, aut varios illorum mores, quale est illud Sat. 2. Iuuenalis:

Qui Curios simulant & Bacchanalia viuunt.

pro hominibus temperatis & frugi: item pro intemperatis & luxuriosis.

e Sumtum est ab ijs, qui vtuntur tuditibus, pilis, malleolis ad aliquid comminuendum, vt dictum est Od. 6. l. 3. Hic pro infirmauit ac debilitauit articulos quodam compressu doloris.

f Allegoria est *ἐκ τῆς νουφικῆς*, ab arte natandi, cuius qui adhuc sunt tirones ac rudes initiò funem tenent, qui illis modò contenditur, modò ijsdem remittitur, quò meliùs discant corpus in aquas librare & illud demersum efferre, vt ita videntur modò in tuto versari: quos imitatur noster Priscus frequenti suâ iam in rectum, iam in prauum declinatione. Hic finis est genus humanæ vitæ: contentione autem & remissione illius intelliguntur extrema temperantiæ profusio & auaritia, & quicquid offendit, vel hyperbole vel ellipsi identidam mutatis. Alij malunt rationem huius allegoriæ petere a captura ferarum, quæ posteà ligatæ catenam modò adducunt, modò remittunt, & laxant interdum, & strictum aliàs relinquunt: sed hæc translatio aptè nequit & *ἀναλογικῶς* ad inconstantiam nostri Prisci accommodari.

g Translatum est ab olfactu, cuius proprium obiectum est odor, in quo diiudicando nares occupantur ad significandum auditum, cuius quoq; sonus est proprium obiectum, in quo diiudicando aures versantur. Significat ergo illo putore insuauem & iniucundam Daui orationem aurib. heri esse.

h Non erit alienum agnoscere hîc metonymiam efficientis pro felici & moderata conditione vitę quemadmodum Cicero loquitur pro Milone, vbi definitio cum definito geminatur, conditio & fortuna hominum infimi generis.

i Allegoria est e continuatis metaphoris a viatoribus in altissimum tenacissimumque lutum delapsis, e quo tanquam inluctabili pedem illi nequeunt expedire: de quo vide prouerbium *in luto hæsitas* apud Terentium: cui similis est vitiosus animi habitus, vnde vix emergit quisquam ad meliorem statum.

k Similis fuit hyperbolica allegoria Od. 1. l. 1.

Sublimi feriam sidera vertice.

Similes quoq; sunt laudationes hyperbolicæ Eclog. 5.

——*Daphnimq; tuum tollemus ad astra.*

Item:

Daphnim ad astra feremus.

l Synecdochica est periphrasis frugalis cænæ & domesticæ. & *securum σύβρυχτικῶς* ponitur pro reddente illud comedentem tranquillum & quietem.

m Altera est synecdochica periphrasis *τῆς ἀμφιλύκης ἑσπερινῆς* crepusculi vespertini & lucis dubiæ Gall. *entre chien & loup.*

n Dauus facit herum loquentem per prosopopœiam imperfectam, quam alii *μίμησιν* vocant.

o Synecdoche est finiti & designati cuiusdam, pro, quislibet mihi obiecerit *χαρεμαφγίαν*, helluationem: estque præterea procatalepsis.

p Concessio est, quæ velut testis rectæ conscientiæ adhibetur.

q Parrhesia quædam est, quâ facetè illudit hero.

r Hoc genere metaphoræ infandam Veneris turpitudinem videtur obtegere voluisse.

s Sumptum est ab igne pro grauiter lædi & offendi plagis, quæ magno cum dolore corpus incendunt.

t Sumtum

t Sumtum quoque est a stipendiarijs siue militibus, siue gladiatoribus, qui se caputque suum certo pretio addicunt neci, & ab aliena voluntate, id est, emtoris, non ex arbitrio proprio ampliùs pendent. Hic tropus apertè cognoscitur ex epist. 37. *Senecæ*, vbi dissimiliter comparatur mors militum & gladiatorum cum morte hominis Philosophiâ apprimè tincti, *Sacramento rogatus es* (vt in verba Laniſtæ iures, teq; auctores) *decipit te, signu tibi dixerit mollem esse militiam & facilem: nolo te decipi. Eadē honestissimi huius & illius turpissimi auctoramenti verba sunt, vri virgis, ferroq; necari ab illis, qui manus arenæ locant, & edunt ac bibunt, quæ per sanguinem reddant. Cauetur, vt ista vel inuiti patiantur a te, vt volens libensq; patiaris, illis licet arma submittere, misericordiam populi tentare: tu neq; submittes, neq; vitam rogabis, recto tibi inuictoq; moriendum est.* Hac voce vsus est Liuius l. 46. *Signo dato pro impressas tabellas misit, & vero pignore veluti auctoratum sibi proditorem ratus est*: quod Valla interpretatur obligatum & subiectum. Budæus quoque auctorare verbum explicat ὀμνύειν in l. 1. Herodiani, ὡς μεγαλόφρονι ἐπιδόσει ὀμνύειν τὸ στράτευμα, *vt sibi magnificâ largitione exercitum deuinciret & obligaret.* Exauctorare verò est tali sacramento & obligatione obstrictum exsoluere, & veluti rude donare.

u Synecdoche est generis pro illa matrona.

x Allegoria est ab insidis seruis crudelibusq; heris: quales Poeta sentiet affectus suos intemperantes.

y Ironia est. Contrarium enim intelligit, quamuis accepto malo more stulti sapere deberet, libidini tamen suæ sæuo tyranno non desinet parêre, donec extrema passus sit.

z Epanorthosis est ex simili eiusdem vocis sono locis mixtis.

aa Exclamatio est deplorantis miseriam hominis luxuriosi & intemperantis.

bb Ironia est: contrarium enim est subintelligendum. Perinde quidem hoc valet, ac si diceret: quamuis stultus accepto malo sapere insueuerit, tu tamen non in posterum cautior fies, imò verò sciēs, prudens & expertus in ijsdem periculis miserè peribis.

cc Sumtum est hoc ab equo infræni, πρὸς ὃν ἀχαλίνωτον καὶ ἀθαλόγωμον παραβάλλει φύσις ἀθάρετος ἀνθρώπου· *cum equo effrenati oris & soluti natura hominis per se quiduis eligens comparatur*, ad malum semper procliuis.

dd Synecdochicōs hoc intelligendum, id est, e definito aliquid infinitum, id est, sæpè imposita.

ee Synecdochica est periphralis τοῦ νυμφοστόλου, de quibus in Grammaticis.

gg Allegoria est e metaphoris ἀπὸ τοῦ σχήματος μαθηματικῆς τροχιλίας, ὅπερ ἐστὶ τὸ θαῦμα τῶν θαυμάτων μηχανικῶν Ἀριστοτέλους, *a figura Mathematica rotunda, quæ ex Aristotelis Mechanicis est miraculum miraculorum*: quod tota in se collecta & conuoluta propulset facilimè & optimè durissimam quamq; impressionem, reliquasq; figuras complectatur: quæ omnia quadrant aptè in liberū & sapientem, qui vndiq; ita septus ac munitus nullâ vi, nullâ impressione euerti potest, qualem nobis Plutarchus depingit Aristidem Athenienſem, quod Gallicè pronunciatur, *qui est tous iour doune mesme facon & mesme estat sans qu'il ait a redire.* Simili tropo, diuersâ tamen mathematicæ figurâ, vtitur Aristot. l. 1. Eth. c. 10. ad descriptionē viri beati, vt obiter monuimus Ep. 11. sed nunc verba ipsius subijciam: καὶ τὰς τύχας ὁσίως οἴσει καλλίστας, καὶ πάντα πάντως ἐμμελῶς, ὅν γ' ὡς ἀγαθὸς ἀληθῶς καὶ τετράγωνος ἄνευ ψόγου· *Vir hic beatus, quem tibi informo, planè omninoq; quoslibet casus feret, eosq; pulcerrime ac moderatissime, vt qui verè & ex animo vir bonus sit & incu pate quadratus.* Hæc autem Philosophus, ὡς φιλόσοφος ἀχαθίστως e Protagora Platonis, qui prior ea vsurpauit ex Ode Simonidis ad Scopam Thessalū, Creontis filium, quum vellet Poeta melicus ostendere, quàm arduum sit inuenire virum verè probum, & omnes numeros habentem bonitatis, qualē his verbis significauit, χερσίτε καὶ ποσὶ, νόῳ τετράγωνον ἄνευ ψόγου τεθυμένον. i. *qui & manibus & pedibus, sit mente sine vituperio factus*: Aristoteles autem procatalepticōs δὲ vsurpauit aduersus eos, qui obiicerent, virum ipsius beatum varijs sæpè infortunijs lædi, quibus respondet statum illius adeò firmâ niti basi, vt, quacunque ipsum cōmouerit fortuna, semper, nec secus, atque cubus, quo quo modo proiectus, nisi in firmissimam sedem, recidere possit. Elegantia certè huius tropi præter vsum visa est huic Philosopho digna, quam proferret in exemplum verba transferendi lib. 3. Rhet. c. 14. οἷον τὸν ἀγαθὸν ἄνδρα φαῦλαι τετράγωνον, i. *quum virum bonum dicimus quadratum.* In hac autem translationum continuatione separatim nunc etiam explico τὸ *ruit manca*, sumtum a bellatoribus, & τὸ *in quem ruit* valet coniunctum, *irruit*, quo Terentius vtitur in Eunucho Act. 4. Scen. 7. *Quam mox irruimus*, quod Donatus interpretatur, *irruere propriè dicuntur, qui cum furore prælium ineunt.* Idē in Adel. Act. 4. Sc. 2. *vide, ne ille huc prorsus se irruat*, hoc dixit tanquam de eo, qui pugnaturus sit, aut tanquam de sue, vt Horatius epist. 2. lib. 2. *Hac luculenta ruit sus.* Vide nostras illic notas, hoc autem *fortuna ruit manca* Gallicè interpreteris, *la fortune ne se rue quarec vne main sur l'hōme libre, c'est adire, qu'arec bien peuue force aupris de la fisne, & par amsi elle ne gangne rien surlui.*

hh Allegoria est a bestijs iugalibus, quæ vt iugo subditæ coguntur dominis agricolis seruire, non secus noster Poeta subactus seruit libidini.

ii Continuatio est allegoriæ, vt ignauæ iugales impelluntur stimulo, quem Hesiodus vocat lib. 2. operū ὀρφνικα, nempe virgam oblongam & aculeatam: vel si mauis, de equis intelligito, ὅπερ τῷ λωρίτῳ ἐπιτρέχουσι, qui vt calcari & aculeo incitantur, sic tu here, tuâ libidine premeris, nec inde poteris esse liber.

kk Videtur sumtum a torpedine pisce, de quo sic Aristoteles l. 9. c. 37. de hist. anim. ἡ δὲ νάρκη φανερά ἐστι διὰ τὸν ἄνθρωπον ποιοῦσα ναρκᾶν, *certum est torpedinem afficere homines stupore*: quâ facultate alios etiam pisces capit & vorat. Ita herus desiderio picturæ obstupefit & attonitus redditur, vt facilè pereat illâ seruitute perturbationum.

ll Ironia est, quâ significat, nullam inesse virtutem & continentiam in hero ad cibos lautiores despiciendos.

mm Si legatur *illisi*, vt ad respirationem notandam quidam putant posse legi, nullus erit tropus, sed vt est hîc scriptum, translatum videtur a ludis, vbi collusores se inuicem decipere & circumuenire sæpius videntur. Ita herus colludens cum voluptatibus ac delicijs opprimitur tandem, atque tam corpore, quàm animo torpere ab omnibus putatur.

nn Metonymia est subiecti pro adiuncta resipiscentia, quam fingit & odit.

oo In *vnde lapidem, vnde sagittas* est figura priùs dictionis initiò sententiæ in iteratione eiusdem soni: deinde sententiæ συναποσιωπήσεα, sententiæ inchoatæ cursu represso, vnde aliquid non dictum intelligitur, vt assolet in sermone iratorum.

pp Málo hîc sumere τὸ *homo* synecdochicōs pro Horatio hero, quàm dicere positum pro *ille*, vt quidam Grammatici.

SATYRA OCTAVA.

Insolens Nasidieni diuitis conuiuatoris ostentatio, luxusq; illotus facetè notatur ad similium vitiorum animaduersionem & castigationem.

VT Nasidieni iuuit te cœna beati?
Nam mihi quærenti conuiuam, dictus here illic
De medio potare die. 2. Sic vt mihi nunquam
In vita fuerit meliùs. 3. Da, si graue non est,
Quæ prima a iratum ventrem placauerit esca.
In primis Lucanus b aper leni fuit Austro
Captus, vt aiebat, cœnæ c pater: 4. acria circum
Rapula, lactucæ, d radices, qualia lassum
Peruellunt stomachum, siser, alec, fæcula Coa.
5. His vbi sublatis puer altè cinctus acernam
Gausape purpureo mensam pertersit, & alter
Sublegit, quodcunq; iaceret inutile, quodq;
Posset cœnantes offendere; vt Attica virgo
Cum sacris Cereris procedit Fuscus Hydaspes
Cæcuba vina ferens: Alcon Chium maris expers.
e Hic herus Albanum, Mæcenas, siue Falernum
Te magis appositis delectat: habemus vtramq;.
f Diuitias miseras! 6. sed queis cœnantibus vnà
Fundani pulcrè fuerit, tibi nosse laboro.
Summus ego & propè me Viscus Turinus, & infrà,
Si memini, Varius, cum Seruilio Balatrone
Vibidius: quos Mæcenas adduxerat g vmbras.
Nomentanus erat super ipsum. Porcius infrà
Ridiculus totas simul absorbere placentas.
Nomentanus ad hoc, qui, si quid forte lateret,
Indice monstraret digito: nam cætera turba,
Nos, inquam, cœnamus aues, conchylia, pisces,
Longè dissimilem: noto celantia succum:
Vt vel continuò potuit, quum posseris, atq;
Ingustata mihi porrexerat ilia Rhombi.
Post hoc me docuit melimela rubere, minorem
Ad lunam delecta: quid hoc intersit ab ipso
Audieris meliùs: 7. h tum Vibidius Balatroni,
Nos, nisi damnosè bibimus, moriemur inulti,
Et calices poscunt maiores, vertere pallor
Tum parochi faciem, nil sic metuentis, vt acres
Potores: vel quòd maledicunt liberiùs, vel
Feruida quòd subtile i exsurdant vina palatum.
Inuertunt Aliphanis vinaria tota.
Vibidius Balatroq;, sequutis omnibus: imi
Conuiuæ lecti nihilum nocuêre lagenis.
8. Affertur squillas inter muræna natantes
In patina porrecta: k sub hoc herus, hæc grauida, inquit,
Capta est, deterior post partum carne futura.
His mistum ius est oleo, quod prima Venafri
Pressit l cella, garo de succis m piscis Iberi,
Vino quinquenni: verùm citra mare nato,
Dum coquitur (cocto vinum sic conuenit, vt non
Hoc magis vllum aliud) pipere albo, non sine aceto,
Quod Methymnæam n vitio mutauerat vuam.
Erucas virides, inulis ego primus amaris
Monstraui incoquere: illutos Curtillus echinos,
Vt meliùs muriâ, quàm o testa marina remitat.
9. p Intereà suspensa graues aulæa ruinas
In patinam fecere trahentia pulueris atri,
10 *Quantum non aquilo Campanis excitat agris.*
Nos maius veriti, postquam nihil esse pericli
Sensimus, erigimur. Rufus posito capite, vt si
Filius immaturus obisset, flere: quis esset
Finis, q ni sapiens sic Nomentanus amicum
Tolleret? heu Fortuna, quis est crudelior in nos
Te Deus? vt semper gaudes illudere rebus
Humanis! Varius mappâ compescere risum
Vix poterat. Balatro suspendens omnia naso,
20 *Hæc est conditio viuendi, aiebat, eoq;*
Responsura tuo nunquam par fama labori.
Tén' vt ego accipiar lautè, torquerier omni
Sollicitudine districtum, ne panis adustus,
Ne malè-conditum ius apponatur? vt omnes
Præcincti rectè pueri comtiq; ministrent?
Adde hos præterea casus: aulæa ruant si,
Vt modò: si patinam pede lapsus frangat agaso.
Sed conuiuatoris, vti ducis ingenium res
30 *Aduersæ r nudare solent: celare secundæ.*
10. s Nasidienus ad hæc: tibi Dî, quæcunq; preceris,
Commoda dent: ita vir bonus es conuiuaq; comis.
Et soleas poscit: tum in lecto quoq; videres
Stridere secretâ diuersos aure susurros.
11. Nullos his mallem ludos spectasse: sed illa
Redde age, quæ deinceps risisti. Vibidius dum
Quærit de pueris, num sit quoq; fracta lagena,
Quòd sibi poscenti non dentur pocula, dumq;
40 *Ridetur fictis rerum Balatrone secundo:*
t Nasidiene redis mutatæ frontis: vt arte
Emendaturus fortunam: 12 deinde sequuti
Mazonomo pueri magno discerpta ferentes
Membra gruis, sparsi sale multo non sine farre,
Pinguibus & ficis pastum iecur anseris albi,
Et leporum auulsos, vt multò suauiùs, armos,
Quàm si cum lumbis quis edit: tum pectore adusto
50 *Vidimus & merulas poni & sine clune palumbes:*
Suaues res, si non caussas narraret earum, &
Naturas, u dominus: quem nos sic fugimus vlti,
Vt nihil omninò gustaremus: velut illis
x Canidia afflâsset peior serpentibus Asris.

Analysis Dialectica.

HOratius dictis priùs aggreditur Fundanium de conditione Nasidienanæ cœnæ, atque caussam, *cur præcipuè illum hac de re conueniat*, affert e publica testificatione.

2. Fundanius e minorum collatione respondet, *diuitias* tamen, *se nunquam melùs cœnatum, nunquam liberaliùs ac-*

liùs acceptum, quàm a Nasidieno, fuisse, quibus sanè verbis Nasidienus videret conuiuium magnificè splendideque ornasse: quum tamen *τὸ δεῖπνον πάνυ γλιχρὸν αὐτοῖς ἦν.* id est, *cœna valdè ipsis fuerit parca & sordida*, vt Plutarchus in Lycurgo loquitur: vnde ipse meritò conuiuator posset nominari *παροιμιακῶς Μυκόνιος ἀνὴρ, λυμινεύμβιξ, ῥυπουόνδυλος, λυμινοπρίστης, θυμβρεπιδεῖπνος, τελευταῖα δὲ τροσίβιος.* Hic videtur, mihi operæpretium iuventutem admonere, quemadmodum illa internoscat contentionem maiorum a minorum comparatione: quod equidem fateor nunc aliquantò seriùs fieri, quàm prudentia diligentis enarratoris postularet: id enim prima quæque huiusmodi collatio & in primo quoque carmine reperta tum requirebat: hęc tamen sera admonitio minimè suo fructu apud studiosos carebit. Itaque in huiusmodi distinctione comparatorum in primis spectanda est quæstio legenti: verbi gratiâ, ne longiùs discedatur, quæritur hîc *qualibus ferculis apparatuq; cœna acceptius sit Fundanius a Nasidieno*, & ita cœna Nasidieni est in quæstione: quòd autem Fundanius respondet, *se nunquam meliùs cœnasse*: vel, *nullam sibi vnquam cœnam lautiùs fuisse instructam & apparatam*, argumentum est, non sic tamẽ apertè pronunciatum, vt constet, quando apud alios anteà cœnauerit: verùm satis patet, vel apud se, vel apud alios familiares id contigisse, vnde facilè perspicis superiores cœnas, vel domesticas, vel alienas, vt minus lautas, cum cœna Nasidieni, vt lautiori, comparari. Itaque quod ad fidem quæstioni faciendam profertur, ex aliquo comparatorum genere argumentum ducitur, vt hîc a minoribus, quale est Ode 7. lib. 1. auctum cæteris comparatorum generibus: vnde potes huius admonitionis confirmandæ tibi sumere exempla.

3 Iam Poeta, quò magis cognoscat ordinem ferculorum, percontatur, *quid primum conviuis sit appositum: vnde illi latrantes stomachos placarent*: respondetur: *aper*, cuius commendatio instituitur primùm e subiecto, fortassè quia Lucani apri tum essent laudatioris saporis: deinde ex adiuncto tempore, *quòd ille venatione captus sit cælo leni & benè temperato, nec nimis æstuante, cibosq; corrumpente, reliquaq; corpora grauiter afficiente*, vt annotatum est Sat. 2. huius libri.

4 Hæc ad aprum adiuncta sunt, non tam ad exacuendum palatum, vel ad languẽtem stomachum excitandum, qui initiò famelicus esse solet, nec his indiget, *ἢ πρὸς τὴν τοῦ συάγχου δυσωδίαν καὶ δυσωδίαν καταπλάττειν*, vt Dioscorides loquitur, *quàm ad emendandam apri corrupti graueolentiam*, quæ facetè ac tacitè notatur.

5 Hæc fuerunt primi missus prima fercula, ac velut *τὰ προδεῖπνα*, *antecœnia*: quæ tamen videntur abstemia, *καὶ παρὰ τῶν ἀποτῶν συνδείπνων*, *a conuiuis potione vini minimè vsis peracta*: quod paucissimis, nisi aliqua de caussa, solet accidere. Memorat deinde munera ministrorum distributione quadam ex effectis: *quòd nonnulli mensam iure vel aliâ re pollutam detergunt: vel panno villoso contegunt: alij reliquias auferunt: alij solum triclinij everrunt: alij denique vinum aliud atque aliud proferunt*: quod posterius similitudiue declaratur: *Tali*, inquit, *gestu atque incessu ferunt illi vina, quali virgines olim dona Cereri, vel Dianæ solebant canistris ferre sub horam suarum nuptiarum*: de quibus repete, quod est annotatum Saty. 3. lib. 1. His interponitur excusatio conuiuatoris, *quòd animaduertisset allata vina Mæcenati displicere.*

6 Octo conuiuæ numerantur percontatori, quibus pater cœnæ nonus accedit: atque ab his cœna, velut a personis Scenicis fabula, ridiculè iocoseque peragitur: ordo quoque accubationis epularis e litera perspicitur: ac præterea sua cuique personæ attributa redduntur aptè & decorè. Primùm Mæcenati e factis, *quòd fretus benevolentiâ conuiuatoris & auctoritate, duos secum comites ad cœnam adduxerit, Seruilium Balatronem & Vibidium*: deinde Porcio ex efficiente, *quòd ab eo ioci, facetiæ & risus alijs concitarentur*: posteà Nomentano e duplici fine, *vt quum illi palatum præ cæteris insigniter saperet, ludos se faceret & risum moueret, vt Porcius præstantiam quoque vel insulsitatem ciborum & condimentorum alijs indicaret.* Item Fundanio e similibus, *quòd ipse & alij quidam talibus condimentis insueti vsurpantur tamen edulijs salubritate longè differentibus ab vsitatis*: quod facto in præsentia periculo confirmat: Nasidieno denique ex factis, *quòd quum audijsset epulas suas, earumq; apparatum improbari, conuertit animos conuiuarum ad doctrinam de tempore decerpendi melimela percipiendam, si quis vellet ea fieri rubicunda.*

7 Vibidius iam dictis subijcitur, vt homo hilaris & iocosus ex effectis & consequentibus, *qui dum videret conuiuas sordidè & illiberaliter acceptos, cohortatur sodales ad largiorem vini potionem: ac ne sordes parochi impunè abirent, capaciores scyphos, quales erant Aliphani, afferri rogauit: vndè pallor subitò Nasidieni ora occupauit: quòd præsentiret ex immodica potione ebrietatem gigni, ex hac contumeliam καὶ τὴν παῤῥησίαν, licentiam quidlibet, vel tacendum, loquendi: atque ex ea ipsius auaritiam pro certo indicatum, ac postremò eiusdem cados & lagenas exhaustum iri*: quod effectum dederunt Vibidius & Balatro, & qui discumbebant in partibus lectorum infimis: sed qui summas mediasque eorundem tenebant, vt Fundanius, Viscus, Turius, Mæcenas, Varius nihil damni cadis dederunt.

8 Secundi missus sunt fercula secunda e varia multipliciqué materia & adiunctis explicata: quò accedit commendatio murænæ e minorum collatione, *quòd illa grauida capta sit, quo tempore eius caro melior & delicatior haberi solet.* eódem quoque commendatio iuris & condimenti ex efficientibus. *Nasidienus*, inquit, *insignis conditor opsoniorum docuit primus incoquere erucas virides & inulas amaras cum illo iure vsitato*: deinde minoribus: *Curtillus alter Epicureus echinos e sua salsugine extractos meliùs incoxit muriâ testæ marinæ.* Quàm verò rectè hæc commisceantur, *οἱ τῆς μαγειρικῆς διδασκαλίας ἔμπειροι λέγουσι*, vel, vt loquitur Plutarchus e sententia Catonis in commentario de ratione audiendi Poetas, *ἐπεύχεσθαι ἀποφαίνεσθαι παρῶμεν, οἷς ὁ Κάτων ἔφη, τῆς μαρφίας τὴν ἐπιρῶσαν συναδυτέραν ὑπάρχειν*, *de hac*, inquam, *quæstione carnium & piscium finamus illos pronunciare, quibus palatũ plus sapit, quàm animus.*

9 Fercula secunda e suis caussis adhuc patuerunt: nunc e consequentibus symptomatis eadem intelligantur: *in mensam tam bellè instructam delapsa sunt aulæa*, qui casus augetur minorum comparatione, *quòd Aquilo minus excitet pulueris in Campania, quàm ruina tapetum in triclinio & maxime in condimentis: vnde metus & surrectio discumbentium exstitit: vndè etiam dolor & fletus parochi*, qui similibus describit, *quòd non secus talem casum ploráriť, atq; filium præmatura morte sublatum: quem luctũ Nomentanus tam facetâ consolatione dicitur leuasse, & de Fortuna parochum alloquutus fuisse, vt Varius risum vix potuerit tenere*: quod enunciatur minorum collatione. Simile conlandi genus suscipit Balatro vndecim versibus explicatum vnde ex adiuncta communione similium euentorum, quæ hoc versu comprehensa, communiter adomnes homines attinent:

Οὐκ ἐστι βίον σύρειν ἄλυπον οὐ δόλῳ.

Non invenire licet in quoquam hominis vitam omnis molestiæ expertem. Magnitudine solicitudinis distributâ ex aliquot subiectis: *vt Parochus solicitus sit modò de conuiuis lautè accipiendis: modò de honesto ciborum apparatu: modò de munditia ministrorum: modò de casibus improvisis*: quæ profectò omnia intellige ex hac callida Poetæ dissimulatione pessimè instructa, & ab indignissimis hominibus administrata & ordinata: quò pertinet similitudo Parochi & imperatoris, quorum ingenia similiter arguuntur & indicantur rebus adversis: celantur verò ac dissimulantur secundis.

10. Oportuit conuiuatorem ingenio valdè hebeti ac crasso fuisse, qui non senserit ridiculam Balatronis consolationem, vt apparet e seria gratiarum actione, & ex adiuncta eidē virtute & humanitate, qua de causa omnes illum e triclinio egressum riserunt.

11. Poeta, vt Fundanium inuitet ad continuationem huiusmodi iocorum, narrationem conuiuij omnibus aliis anteponit. Itaq; Fundanius pergit narrare, *quemadmodum Vibidius in petitione vini iocatus sit cum œnochoïs & pincernis*, quem subsequutus Balatro, facetè e loco adversorum excepit Parochum redeuntem, quòd quum hic, tristis & mæstus e mensa surrexisset & abijsset, tum lætus hilarisq; rediret, reparaturus arte & ingenio casum aulæorum instructioribus epulis.

12. Tertij missus sunt fercula quintuplici ciborū genere instructa, *grue, ansere, armis leporum*, comparatione pronunciatis, *merulis & palumbibus*: quæ duo posteriora suis attributis, vt etiam duo priora, enunciantur: *præstabant quidem*, inquit Fundanius, *suauitate tales cibi, sed dum ipse caussas illorum naturales, vt mos fortasse erat olim architriclinorum, δειπνοσοφιστικώτερον καὶ τραπεζοριπτικώτερον scrutatur, aliquid illi excidit de appositis: quod ea insastiatū adduxit*: cuius insolentia declaratur similium collatione: *Tali*, inquit, *loco conuiuæ habuerunt postea illa postrema fercula, quali solent haberi, quæ à Canidia venefica parantur*: apodosis confirmatur minoribus, *quum hæc venefica pestilentior venenosiorq; sit Asiu viperis*: vnde perspicimus narratione Nasidieni insolēs fastidium conuiuis illis allatum fuisse.

Enarratio Grammatica

VT *te Nasidieni*] Poeta percontatur e Fundanio amico (quem Sat. 10. lib. 1. dicit optimum esse Comicum) & conuiua Nasidieni cum Mæcenate aliisque sodalibus, genus epularum & formam cænæ Nasidianæ: e cuius narratione cognoscit summum vtrobiq; fuisse luxum cum summa immunditia & confusione coniunctum. Particula autem, *vt*, de modo sæpè quærit cum aliquo affectu, quomodo sumitur 5. de finib. *vt illi efferuntur gloriâ, quum vicerint.* Ita hoc loco, vt delectauit te Nasidieni cæna: sic τὸ *iuvare*, pro verbo delectationis sumtum fuit Ode 1. lib. 1. *Sunt, quos curriculo puluerem Olympicum collegisse iuuat*, item 2. Ode lib. eiusdem. *Quem iuvat clamor*: quod Galli interpretarentur: *quel plaisir aues vous pris au souper du riche Nasidienus?* vt etiam illud de medio potare die, *ou me dist, ainsi que ie demandoit quelq'un pour souper auec mes, que vous commenceastes des hier a midi a boire.* Quidam notant hic varietatē quantitatis in *Nasidienus* quam tamen facilè tollas hac lectione, *vt te Nasidieni &c*: vbi per anaphoram quidam repetunt τὸ *vt*, ante *iuvit*. Fuit autem Nasidienus,, vt nonnulli volunt, eques Romanus futilissimus rerum suarum prædicator, putidissimusque opsoniorum instructor: alii, quia præter affinitatem prioris nominis Rufus etiam nominatur in litera, putant eum fuisse, quem Suetonius in Augusto appellat Saluidienum Rufum, de quo vide ibidem: alij suspicantur eum esse Catium Saty. 4. huius libri, vel certè Catij doctorem. Ex instituto autem Romanorum dies erat negotiis ac rebus conficiendis destinatus, vt nox corporibus curandis & leuandis, quem accelerabant qui intemperantiùs vivebant, parùm aut nihil soliciti de consilio Xenoph. lib. de rep. Laced. *αἱ δὲ ἀνάγκαιαι πόσεις σφάλλουσι μὲν σώματα· σφάλλουσι δὲ γνώμας, potiones minùs necessariæ corruere corpora faciunt & mentes sibi non constare*: vt Suetonius scribit in Nerone cap. 27. *Epulas a medio die ad mediam noctem protrahebat, refotus sæpiùs calidis piscinis, ac tempore æstiuo niuatis.* Beatus hic dicitur more Græcorum ὄλβιος καὶ πλούσιος, de quo Saty. 6. proximâ.

Dictus herè.] Veteres sine discrimine dicebant heri & herè, vesperi & vesperè, mani & manè ex obseruatione Donati in Act. 3. Sc. 2. Heaut.

De medio.] Huiusmodi terminus temporis continuantis sæpiùs designatur alijs præpositionibus a vel ab, vt Cæsar, *a prima luce*, Plautus, *a manè, ab aurora*: Livius, *ab orto sole. Gallicè, des le point du iour.* Cicero tamen in orat. pro Milone, vt hic noster Poeta, contrariam temporis partem per *de* præpositionē enuntiat, *de media nocte cum magna manu in campum Martium venit.* Similiter Terentius Adelph. Act. 5. Sc. 9. *apparare de die conuiuium*: quod tempus tamen Donatus interpretatur per *repente*, addens, neque ante prædictum, neque pridie constitutum.

Sic vt.] Hæc subiectio prætendit hoc responsum, ita me delectauit hesterna Nasidieni cæna, vt nulla mihi fuerit anteà suauior.

Da, si non est graue.] Id est, dic & narra, si id facere non grauaberis: ita sumitur in prologo Heaut. *Nunc, quamobrem has partes didicerim paucis dabo*, id est, dicam: vt in Tityro:

Sed tamen, iste Deus qui sit, da Tityre, nobis.

Qua prima.] Pro quo Cicero dicit, *quo cibo, quâque potione famem & sitim stomacho primùm depulisti?*

In primis.] Ellipsis sic explenda est: & aper Lucanus primùm placauit stomachum, qui captus fuerat Austro leniter spirante. Deflectitē autem aper ab asper, quòd in asperis lateat locis & setis horreat: vel a Græca dictione, λαπρὸς, amotione literæ primæ.

Leni Austro.] De natura & etymo Noti dictum est Ode. 3. l. 1. & Sat. 2. huius in Gram. & Rhetoricis.

Cœna parer.] Qui posteà cōuiuator, parochus, & herus vocatur, & Græcè συνδειπνοσοφιστής.

Rapula.] De his & lactucis Sat. 2. huius libri diximus.

Qualia lassum.] Τοῦτο λέγεται τὸν λιμώττοντα στόμαχον ἀναστομοῦν, ἢ τὴν ὄρεξιν ἀπολιπούσης ἀναστομωτικὰ λιαν εἶναι, *hæc dicuntur defessum stomachū exacuere, vel excitandæ appetentiæ vim habere*: quod hic dicit languentem stomachum peruellere, pungere, prouocare.

Circum.] Puto ex hac particula, huiusmodi anastomotica vel patinis alijs circūposita, vel ex his & aceto cōdimenta facta significari: iudicet tamē τραπεζονόμος. Siser est radix herbæ dulcis, Gall. *Cheruis*: de quo lege Dioscor. lib. 2. cap. 139. De halec vide Gram. Sat. 4. huius libri.

Fecula Coa.] Condimentum est e crassiori retrimento & sedimento vini Coi, vnde profluit purum, Græcis ἄποιτον, quasi sine cubili, de quo Plinius l. 11. c. 25. Qui autem deflectūt fæx a φύκη, volunt scribi sine diphongo, & Galenus l. 1 διὰ τόπων affirmat hanc esse vocem Romanam, & propriè significare fæcem vini coctam vel vstam.

Puer alte.] Probatur quibusdam lectio, *puer alter cinctus*,

ctus, propter distributionem munerũ seruilium. Sententia autem loci est: primis ferculis remotis, postquam vnus e pueris tersit, vel potiùs texit mensas gausapis, & alter solum purgauit fastidium afferentibus; Hydaspes procedit ferens vina.

Acernam.] Mensam acernam Græci vocant τραπέζαν σπεδαμινίνην, quo genere mensæ quidam putant sordes Nasidieni diuitis notari, qui potuisset cedrinam vel citream habere: ex Plin. tamen l. 16. c. 15. scimus, *acer* esse arborem elegantiâ materiæ & subtilitate cedro secundam.

Gausape.] Vario fine profertur hæc vox a, e, um: ac definitur genus vestimenti vtrinque villosum, Græcè ἀμφίμαλλον, τοῦτ' ἐστι ἀμφοτέρωθεν μάλλωτον, quomodo χιτῶνες ἀμφίμαλλοι, *tunicæ vtrinq; villosæ*: sed ex altera tantum parte, χιτῶνες μαλλωτὰι ἢ ἑτερόμαλλοι, quales sunt chlamydes, quæ lecti loco in castris sternebantur, & quibus induti captiui trahebantur in triumpho, vt e Satyr. 3. Persij constat:

Iam chlamydas regum, iam lutea gausapa captis
Essedaq;, ingentesq; locat Cæsonia Rhenos.

id est, vxor Caligulæ. Eodem quoque gausapo mensa tegebatur, vt scribit Martialis lib. 14.

Nobilius villosa tegant tibi gausapa citrum.

id est, mensam citream: vnde conijcitur legendum esse *pertexit* pro *pertersit*: sed hac voce maior luxus significatur. *Sublegit, quodcunq; iaceret*, est, tollit de terra vel tabulato, quod eò deciderat inutile, Gallicè, *il recuelle & leue de la place, ce qui estoit tombe d'ordure.* In, *quod posset*, subijce, afferre cænantibus fastidia. Quidam ex vtroque loco Horatij & Martialis conijciunt mensam non consueuisse olim sterni mappâ, sed vnũquemque conuiuam pro se afferre mappam, id est, linteum ad sordes manuum abstergendas, sicut è lib. 12. Martialis cognoscitur,

Attulerat mappam nemo, dum furta timentur.

Attica virgo.] De Canephoris & Canistroferis, vel, vt Solinus dicit, sacrigerulis virginibus & sacris, repete copiosam annotationem in Satyr. 3. lib. 1. Hydaspes & Alcon fuerunt serui Nasidieni, ac ille fortassè Maurus e colore fusco: huius appellationis fuit fabulosus Hydaspes flumen Ode 22. lib. 1.

Cæcuba.] De his Campaniæ vinis lege Grammat. Odes 20. lib. 1. ac præterea lib. 1 Athenæi de vinis Italicis, vt de Chio apud eundem & 9. Epod. Hoc autem, *maris expers* bifariam explicatur: vel quòd nihil aquæ marinæ huic esset permixtum & infusum: quod e l. 1. Athenęi cognoscimus olim factitatum, ad cruditatem corrigendam, ad soluendam aluum, ad concoctionem iuuandam, ad appetentiam excitandam, ad flatus denique discutiendos: vel quòd in Italia esset natum: ideoque non e Græcia nauibus auectum erat, nec mare senserat.

Hic heriæ.] Ellipsis est verbi, *dixit*, quemadmodum Donatus docet sumendum Act. 2. Sc. 3. v. 15. & 16. τὸ *hic* in Andr. hîc reddes omnia quæ nunc sunt certa ei consilia, incerta vt sient. Valet igitur: tum conuiuator dicit Mæcenati &c. Ita explicandum videtur Aeneid. 9. vers. 246.

Hic annis grauis atq; animi maturus Alethes. Gallic, *surce poinct & a lhors, il se print adire a boulte voix, Dij Patrij.* De Albano & Falerno vide locos citatos.

Magis appositis.] Id est, si hæc posteriora vina magis tibi placent, quàm priora.

Sed queis.] O Fundani, quibus cum sodalibus tam lautè cænatus es? vbi potest expleri ellipsis præpositionis *cum* vel queis cænantibus absolutè sumi.

Summus ego.] De accubatione epulari dictum est Sat. 4, lib. 1. Præsens autem ordo discumbentium videtur quidem describi, sed variè explicatur, & ex illa varietate colligo duplicẽ esse ordinem: vnum lectorũ, quos Hebræi, *mesiboth* vocant, vt discumbentes *mesubim*, vt esset summus, medius, & imus lectus, cuius postremi meminit Suet. in Octa c. 64. *Neque cænauit vna nisi vt in imo lecto nepotes assiderent.* & hic ipse infrà, *imi conuiuæ lecti*: vbi Paulus Manutius legit *secutis omnibus imis*, citans hunc locum in Epistolam 26. lib. 9. ad famil. & interpretans quartum locum: sed male vtrumque: alterum discumbentium, quorum medius habebat vnum sodalem suprà, & alterum infrà, id est, a dextra & a sinistra. Suet. in Caligula c. 24. *Plenoq; conuiuio singulas sorores infrà se vicissim collocabat, vxore suprà cubante.* Qui igitur discumbebat in medio lecto, & medius inter binos sodales, habebatur honoratissimus, qualem quidem accubationem obtinuit Cicero meritò in ea Epist. suprà citata, quòd vir esset consularis: ita enim scribit: *accubueram horâ nonâ, quum ad te harum exemplum in codicillis exaraui. Dices, vbi? apud Volumnium Eutrapelum: & quidem suprà me Atticus, infrà Vertius, familiares tui.* Quod post hæc additur, *infrà Eutrapelum Cytheris accubuit.* P. Manutius non vult intelligendum de lecto separato & proprio, sed de quarto loco accubationis lecticæ, ductus fortassis hoc versu Sat. 4. l. 1. *Sæpè tribus lectis videas cænare quaternos.* Quod ad honoratiorem accubationis locum attinet, quem modò assignauimus Ciceroni, non videtur illud Plutarchi in συμποσ. α. consentire cum hac Ciceronis accubatione. Nam illic Consul dicitur non loco medio, qui ciui dignitate præstãti aliis dabatur, sed postremo medij lecti solitus accumbere, non ob eam tantùm caussam, ne videretur imitatio regum, quorum actiones & mores liberæ ciuitati summo erant odio, sed vt posses facilius admittere & audire primum quemque aduenientem, scribam, ministrum, corporis custodem, nuncium, atque his omnibus respondere sine vllo aliorum conuiuarum impedimento: iccircò lectus secundus supernè adhærebat primo, infernè, vbi Cõsul accumbebat, exiguâ distantiâ semotus erat à tertio. Itique ex hoc Plutarchi testimonio cognoscimus, medium locum medij lecti non semper honoratiorem aliis fuisse: qua de re lege plura lib. 3. antiq. lect. a Iusto Lipsio prudẽter ab antiquitate repetita. Quomodo Mæcenas dicitur discumbere inter Balatronem & Vibidium vmbras: ita Fundanius, vt honoratior, in summo lecto, inter superiorem Turinum & inferiorem Varium: ita deniq; Nasidienus in imo inter Nomentanum & Porcium. Scio equidem ab aliis Mæcenatem inter Nomentanum & Porcium locari, adductis hac explicatione: Nomentanus erat super ipsum, id est, Męcenatem: sed ego malo referre ipsum ad herum Nasidienũ. Per me tamen liceat cuiuis suo sensu frui. Memini Suetonium in Octauio c. 43. sic loquutum: *Parthorum obsides tunc primùm missos per arenam mediam ad spectaculum induxit, superq; se subsellio secundo*, id est, cuneo secundo, *collocauit*: sed hæc sessio theatralis multùm erat dissimilis huic accubationi epulari. De Nomentano dictum est Sat. 8, lib. 1. & 1. huius. a cuius nomine abstinuit hîc contemtionis caussâ.

Ad hoc.] Rectè meâ sententiâ *hoc* referri potest, &, ad ridiculum antecedens, ,pter illud ridiculum sequens, *ni sapiens Nomentanus &c*: sed sic vellem post *qui* intelligere &, aut aliquid simile, vt ratio Dialectica indicavit: quę expositionis ratio si cui nõ probetur, Nomentanus intelligatur solùm eò vocatus ad delicatiores cibos suis sodalibus digito eruditoque palato indicandos, non item ad illos facetiis & salibus condiendos.

Adduxerat vmbras.] Quibus quidem duobus minimè a Nasidieno vocatis Mæcenas venerat comitatus ad cænam. Ita dicuntur vmbræ a Græcis σκίαι, qui sequuntur alios ad cænam inuitatos, ipsi tamen minimè vocati: quam descriptionem affert parœmiographus e Symp. probl.6. Plutarchi, & docet, ortum e fabula Socratis & Aristodemi, de qua vide Dialogum Platonis inscriptum συμπόσιον, & locum Plutarchi citatum, vnde disces etiam ἐπιπλήτους conuiuas esse, tanquam diceres, desuper aduocatos, non vocatos a conuiuatore, sed ab altero iam vocato inductos. Præterea notandum est in, *quos adduxerat vmbras*, esse anomaliam generis, & sensum, non verba respici. Sed te, lector, puto memoriâ tenere, quod sæpè aliàs monui, bonam prouerbiorum partem esse fœturam troporum & cõparatorum, quorum ignorantia homines inducit in grauissimos errores: quod ideò adscribo, quia video parœmiologos id tribuere iustitiæ prouerbiorum: quod est pluris facere effectus, quàm ipsorum caussas. Sic enim illi in præsentem tropum, ac præsertim in alterum epist.5.l.1. Christophorus Landinus vir alioqui doctus vmbras interpretãtur loca rure operta vmbris, in quibus commodè discumbebant conuiuæ, prętereà capras illic interpretatur, scurras mordaces. Postremò, hæc, *dic, quotus esse velis*, id est, rescribe, cuius fortunæ homines tibi conuiuas adhibeam. Nam si cupis digniores te, eris postremus, si inferiores, eris summus: hæc non fueram adscripturus, nî conduceret ostendi, in quæ deliramenta virum eruditum adigat nonnunquam vnius prouerbialis sententię ignorantia. Quod autem ὁ παρασιτικὸς λέγεται ἄγεσθαι ἐπιλωπικῶς καὶ λιχνείας τὸν συνδείπνου, i. Inuitatus dicitur Græcè vel propriè adducere secum compransores vel cõcænatores, id Latinè solet dici adducere vmbras translatè.

Ridiculus.] Ego quidem existimo hellenismum hîc esse, qualis est apud Platonem in Apologia, εἰπεῖν γελοιότερον, *dictu magis ridiculũ*: quemadmodum Plautus in Casina enunciat per supinum *iteratu ridiculum*: quod valet, Porcius præstat se ridiculum in absorbendis simul omnibus placentis: hîc tamen nonnulli malunt scripturam, *absorbere*.

Placentas.] Hæc vox planè Græca est, quanquam Latini velint eam deflectere a placendo vel placando. Definitur autem πλακοῦς ὁ ἄρτος πλαδὺς ἐκ γάλακτος, ἰτρίου τι, καὶ μέλιτος, *ex lacte, sumine suillo, ac melle*, cuius genera recenset Athenæus quàm plurima lib. 14. sed vnde mânet, Eustathius docet Iliad. ϱ. ad hunc versum sub finem.

Τῶ δ' ἀπὸ λαιστάων κονίεον ἠλάσ δε βάλοντε.

Illi vero, equi, a iubis pulverem humi decutientes.

nempe currum rapidè ferebant: vbi Scholiastes declarat subolem vocum ἐκ τοῦ κόνεως, ἢ τοῦ κονίας ortarum, in quibus numeratur διακόνιον, ὅπερ φασὶν εἶδος πλακουῶντος· ὃς ἐστι γεννικῶς ἄρτος τις ἢ πέμμα πλατύ, παρὰ τὸ πλάνα ἴνα ἢ ὡς τυρόεις τυροῦς, σησαμόεις σησαμοῦς· ὅτω καὶ πλακόεις πλακοῦς, καὶ κόμη Θηβῶν ὑπὸ πλακίων ἀπέχουσα σταδίους ἕξ· Diaconium est genus placentæ, quæ generatim sonat panem quẽdam & opus pistorium latum, a lata tabula dictum, vt, quemadmodum τυρόεις contrahitur in τυροῦς, σησαμόεις in σησαμοῦς, sic etiam πλακόεις in πλακοῦς· Τυρόεις δὲ ἄρτος, sed panis, in quo aliquid casei est intritum: σησαμόεις quoque, in quo aliquid tritici Indici: πλακόεις ἄρτος, panis latus instar crustæ: est quoque Placous vicus & pagus sex stadia distans a Thebis planis.

Indice digito.] Multa sunt, quæ quum effari veremur, tacitis manus signis vel nutu capitis audemus significare, ne præsentes audiant: itaque Nomentanus rei culinariæ peritissimus indice monstrabat alijs cibos salubriores, quos illi non agnoscerent. Hic autem digitus ab effectu nomen inuenit Latinum, vt Græcum δεικτικὸς qui & λιχανὸς, a lingendo: ab hac significandi facultate transfertur ad delatorem notandũ, quem Pedianus sic describit, vt sit, qui facinoris, cuius est ipse conscius, latebras indicit, impunitate propositâ, eiusque Seneca lib.1. cap.9. de Clementia περιφραστικῶς sic exprimit, *vnus ex conscijs deferebat, cuius indicium ad eum est delatum.* Idem a Suetonio salutaris vocatur in Octau. cap. 80. *Dextræ*, inquit, *manus digitum salutarem tam imbecillum interdum sentiebat, vt torpentem, contractumq; frigore vix cornei circuli supplemento scripturæ admoueret.* Cæterorum autem digitorum nomina sunt αὐτοτιχείρ ἢ δακτύλος μέγας, pollex: μέσος ἢ σφάκελος, medius vel impudicus: παράμεσος ἢ δακτυλώδης, ἢ ἰατρὸς, medio proximus vel annularis, vel medicus: μίκρος ἢ ὠτίτης, minimus, auricularis.

Conchylia.] De his vide annotationem 2.Epod. vt de passere Plin. lib.9.

Celantia.] Ex hoc loco cognosce, quàm sibi constent Grammatici, qui præcipiunt e pluribus substantiuis varij generis, si res sunt animatæ, adiectiuum masculinis respondere: quæ conchylia, pisces, aues, continent saporem meliorem eo, qui Epicureis est notus. Nam quæ edulia nobis videntur insipida, illis solent benè sapere: vt statim intellectum est e porrectis ab hero Epicureo ilibus passeris & rhombi, quæ non gustauimus, sed in, *noto*, intellige succo Epicureis noto (quales fuerunt Catius, Nasidienus, Curtillus) sicut statim apparuit ex appositis mihi huiusmodi ilibus.

Post hoc.] Porrectis nempe ilibus & ingustatis, ille studuit fastidio mederi explicanda ratione rubefaciendi melimela. Est autem μελίμηλον, malum referens saporem mellis coniunctum e duabus Græcis vocibus μέλι & μῆλον, de quo vide Plin. l.15.c.14. Quidam interpretantur Cydonium malum. Illâ voce vsus est Martialis lib.7.

Infanti melimela dato fatuasq; mariscas.

id est, ficus insipidas.

Quid hoc interfit.] Quid sibi velit temporis obseruatio in decerpendis talibus malis, ille tibi meliùs, quã ego, explicabit. Tum Vibidius dixit Balatroni, eumque sic admonuit, hanc præparcam & sordidam mensam vlciscamur profusis, immodicis, conuiuatorique damnosis potionibus vini, ne posteà irrideamur ab alijs sic sordidè illiberaliterque accepti.

Damnosè.] Posset hoc Græcè enunciari, πίνομεν πολυδαπανῶς, *nisi bibimus multis sumtibus.* Tradunt autem Grammatici *damnum* ab adimendo flexum, quòd magni sumtus multum de re familiari deducunt: sed verius etymon est παρὰ τὴν δαπάνην exiguâ permutatione quasi dapnum a sumtu & impendio, & hoc παρὰ τὸ δάπτειν, a vorando. Itaque damnosè bibere, est hîc πινεῖν δαπανηρῶς, profusè bibere, eoque modo conuiuatori magnum dare damnum: ita dicet posteà Venerem & libidinem damnosas.

Calices maiores.] Quales sunt pateræ Græcè τὸ δέπας καὶ δεξιάστρα, ἤγουν ποτήρια, ἢ φιάλη, μείζων τοῦ ποτηρίου, quam Asclepiades Myrleanus deflectit κατὰ τὴν αὐτοστοιχίαν τὸ πιεῖν ἅλις ἔχειν, οἷον ἔστω, πιάλιον, i. *quòd satis contineat potionis, tanquam diceres pinla pro phiala.* Maioribus quoque poculis potest adscribi δίχοον ποτήριον, τὸ χωροῦν δύο χοᾶς. i. *poculum capax duorum congiorum*, ad mensuram Parisiensem 12. sextariorum, ex quibus tres constant pintæ. Ode 19. lib. 1. dictum fuit a nobis e notis Eustathij in vers. 3. Ὀδυσ. σ. Alexandrum magnum ex haustu talis poculi obijsse: à priori φιάλη & ὑπὲρ fit epithetum ὑποῤῥιάλος pro effluente & immenso: cuius

παρα-

παραγωγὸν ἐπίρρημα Homerus vsurpauit ad vers. de Procis:

Δαίνυνθαι κατὰ δῶμα ὑπερφιάλως &c. Conuiuari domi profusè, tanquam diceres supra & extrà phialarum mensuram.

Vertere.] Ellipsis est verbi deliberatiui cœpit vertere. De Parocho dictum est Saty. 4. & 5. lib. 1.

Nil sic metuentis.]Pro, nihil tam metuens, quàm profusos potores, *grands beuueurs Gallicè*: quos Græci dicunt ποτιγάτας, bibacissimos conuiuas: sic acria pocula pro immodicis & capacibus dixit Sat. 2. huius libri.

Invertunt Aliphanis.]Pro, capacissimis pateris & cyathis exhauriunt magna œnophora & cados, vt quod intus erat, foras exeat, cadique & lagenæ & œnophora posteà in sua ora vertantur, e quibus vinum effundebatur in pateras & latos calices ad potionem: sic loquutus est Ode 29. lib. 3. *non antè verso lene merum cado.* Aliphanis autem requirit substantiuum Cyathis, crateribus, vel latis calicibus: contrà Cumani calices pro paruis dicuntur a Varrone. Aliphani autem appellantur ab Aliphe oppido Samnitum e lib. 5. Strabonis. Variè autem declinatur, Aliphe Aliphes, vel Aliphæ Aliphæ, vel Aliphæarum: quæ sunt etiam Campaniæ e lib. 9. Decad. 1. Livij, vbi tales calices fiebant lati & capaces,

Squillas.] De squillis dictum est Sat. 4. huius libri: sed de muræna lege Plinium lib. 9. cap. 23. quam ex eo cognoscimus elixam, quòd in iure nataret immersa:

Conuiuæ lecti.] Distinctionis gratiâ sic nunc appellat inuitatos conuiuas lectos per oppositionem vmbrarum: vnde cognoscuntur Vibidius, Balatro, Nomentanus fuisse Mæcenatis vmbræ ab facetias adductæ.

Sub hoc.] Exple ellipsin, sub hoc temporis & appositionis punctum & momentum.

Venafri.] De hoc etiam scriptum est in Gram. Odes 6. lib. 2 vt de garo Sat. 4. huius libri.

Quod Methymnæum.] Methymna oppidum fuit in Lesbo insula: sic Virg. Georg. 2. vers. 90. *Quam Methymnæo carpit de palmite Lesbos.* Eustathius in Οδυσ. γ. ad versum sub finem, ἀλλὰ κάρασσ' ἵλαθι. *quare ô Regina sis propitia:* nomé Bacchi *Methymnæum*, non ab vrbe Methymna deriua, sed a verbo μεθύεσθαι τὸς παλαιοὺς εἰς εὐφροσύνην καὶ κάνεσιν ἐν τῷ τιμᾶν τὸ θεῖον, *quum veteres per cultum numinis dimittebantur ad latitiam & recreationem, & poculum vocabatur* μέθυ, *ad quod dimittuntur, & qui hoc dat Deus, Methymnæus & Lyæus, & Euius dicitur.*

Erucas.] Dioscorides lib. 2. cap. 10. scribit, hanc herbam esse εὔρωμον καὶ ῥωμοποιὸν, afferre gratiâ iuri, quam notationem Plin. lib. 20. c. 13. interpretatur: *in condiendis*, inquit, *opsoniis tanta est suauitas erucæ, vt Græci* εὔρωμον appellârint. Has Dioscorides, præter alias, facultates ei tribuit, quòd sit ἐρεθιτικὸν καὶ πεπτικὸν, quod σύνοιλιον, *vrinam excitet, concoctionem iuuet, facilè soluat aluum.* De inula habes Sat. 2. lib. 2. de echino Epod. 5. Hîc echini dicuntur illoti, quòd non sint liquefacti, neque in muriam resoluti. Ex vi tamen vocis inloti, quam ego sic coniunctam puto, vt *inliterata pax*, quæ non ast literis comprehensa ex Festo, quemadmodum dicuntur echini inluti, qui non sunt suâ salsugine eluti & purgati, sed quales fuerunt depromti ex vasis, vbi erant sale aspersi, tales Curtilus Epicureus docuit incoquere in hoc iure.

Vt melius.] Quod Græci dicunt, ὡς βέλτιόν τι ὄν, tanquam sit aliquid suauius eâ muriâ, quæ aduehitur orcâ Byzantiâ: ellipsis autem est in hac voce, *inulis*, præpositionis, *in*, itaque sententia est: ego Nasidienus primus docui incoquere in illo iure virides erucas & inulas, quod est illic macerare & emollire: vbi ego non satis intelligo caussam, cur quidam talem elipsin dicant exoletam esse hominis semidocti. Prætereà Curtillus etiam Epicureus monstrauit incoquere in hoc iure integros echinos, meliùs quã in illa muria, quam orca Byzantia ad nos remittit: hoc sensu colon subijcio verbo *incoquere*, & *quam*, relationis, non electionis notam statuo: eam tamen intelligo inclusam in muria, quę syntaxi mutatâ sic apparet: Curtillus monstrauit incoquere echinos integros in hoc iure (nempe e vino Chio, pipere albo, aceto Methymnæo) meliùs quàm in ea muria Romam allata Græcâ testâ.

Intereà.] Dum herus nos retinet commemoratione sui iuris, & condimenti, tapetes suspensi e camera triclinij deciderunt in patinam murænæ & vnà magna vis atri pulueris: vnde incuria sordidissimi hominis perstringitur, in cuius cæna Poeta desiderat munditiam: qualem seruauit in accipiendo Mæcenate Ode 29. lib. 3.

Nos maius veriti.] Grauiorem casum, periculum, ruinam deniq; totius ædificij veriti sumus: sed vbi nihil tale sensimus, truncũ corporis & caput erigimus, quæ metu in lectos reclinaueramus.

Pulueris.] Supplendum est, *tantum.*

Rufus.] Nasidienus Rufus, ὡς ἰδὼν πρόωρος τεθνεῶτα τὸν πρόμοιρον θρηνῶν, quasi filium intempestiuâ morte exstinctũ amisisset, sic lamentari & deplorare ruinam aulæorum cœpit demisso capite, vultuque in humum deiecto: nec lugendi finem fecisset, nisi Nomentanus melius sperare iussisset, mæroremq; solatio leuasset: vbi *tolleret*, tanquàm de lapso, diciur.

Fortuna Deus.] Apparet ex hoc loco & alijs, vt e 2. Aeneid. ad versum:

Descendo, ac ducente Deo flammam inter & hostes,

quod Lactantius testatur, veteres Philosophos tribuisse Diis sexum vtrumq;, vel, vt ibi loquitur Seruius, illos fuisse participes vtriusque sexus: nam hîc ex *ducente Deo* intelligitur Venus, sicut alibi, *Deus non abfuit dextra erranti*, vbi Iuno aut Alecto significatur. Itaque τὸ ἀφρενοθηλὺς Seruius scribit esse Deorum epithetum: quod etiam Aristoteles lib, de Histor. animal. tribuit piscibus nonnullis. Posset etiam esse hellenismus, passim enim reperias Deos cõstrui cum epithetis generis muliebris, vt in Pindar. Πυθ. ιβ. de Pallade sic loquente, Θεὸς ἀλλὰ νὶν εὗρόισα, *sed vbi Pallas tibiã invenisset.*

Vt semper.] Τὸ *vt* μόριον quãtitatis est per exclamationem pronuntiandæ: quale in illo Satyræ 6. lib. huius,

Vt tu semper eris derisor ad omnes.

pro, ô quàm! quod Galli interpretantur, *o que vous seres tousiours vn grand mocqueur de tout le mondes!* sic quóque hunc locum, *Helas fortune! quel dieu ia il contre nous plus cruel, que vous. ô que vous prenes tousiours plaisir a vous iouer & morquer des choses humaines*, pro, quantum te iuvat res hominum illudere.

Compescere risum.] Hoc Græci dicunt τὸν γέλωτα κατέχειν ἢ ἀποσοβῆσαι, ἐπελαύνειν. Ex hoc versu Parœmiographus nititur ostendere vim & originem verbi *manticulari* contrà, atque Festus Pompeius, qui tradit illud a Poetis vsurpari pro fucum facere & subdolè agere: ipse autem dicit idem sumtum esse a dissimulantibus in conuiuio, qui faciem tegunt mantili, tanquam detergerent labem oris.

Suspendens.] Hæc phrasis fuit Sat. 6. lib. 1. pro irrisore omnium.

Est conditio.] Pro, ita sunt homines naturâ comparati & hac lege nati, vt res illorum nunquam procedãt pro ratione & consilio ipsorum.

Eoq;.] Id est, ideoque, eam ob rem, & huic anteponendum est colon.

Ten' vt.] Explenda est ellipsis, téne oportet torqueri tantâ mei curâ & molestiâ?

Accipiar.] Antè Saty. 6. hoc verbum expositum fuit, sed addam ad locos Terentij. Virgilij, & Horatij, ibi citatos, vbi verbum *accipere* Donatus & Seruius & Nonius interpretantur per *pascere & inuitare*. Laurentium Vallam lib. 6. cap. 7. improbare talem interpretationem, cuius rationem illic videto.

Ius apponi.] Sic Terentius, *canem debiam apponi*. sic Homerus τὸ δεῖπνον παρατιθεῖναι.

Si agaso.] Hæc vox dicitur παρὰ τὸ ἄγειν & per Tarentinam paragogen ἀγάζειν, qualis est σεβάζειν, βιβάζειν, a σέβειν & βιβᾶν, a primo fluit ἀγάζων. Manifesta est hîc Satyrica irrisio. Est enim propriè agaso qui agit & curat equos, quem Galli suâ dialecto vocant *parefrenier*, quasi a fræno parando, & paromiologus in prouerbiorum numerum congessit, *agaso asellum*, expleatur, curet vel tractet, quasi diceret, quod est epistolâ. 1. l. 2.

——quod medicorum est,
Promittant medici: tractent fabrilia fabri.

Virgilius tamen lib. 1. Georg. vers. 273. περιφραστικῶς eundem appellat agitatorem tardi aselli & Græci ὀνηλάτην, sed hoc equidem puto patere fusiùs & γενικώτερον accipiendum pro, quouis dossoarij iumenti curatore: vnde manifestum, quàm sordidè Nasidienus mandauerit huic honestum munus mensæ ministrandi: vbi Nasidienus respondet agens, vt incautus, gratias irrisori pro illa simulata consolatione, & illi optimè esse cupiens.

Soleas poscit Nasidienus.] Ex hoc loco cognoscimus vsum solearũ olim fuisse in cubiculis, vt calceorum foris. Tum vix Nasid. e triclinio egressus erat, quum in singulis lectisternijs, quisq; insusurraret aliquid ridiculi in aurem sodalis sui. Definitus est Od. 9. l. 1. susurrus genere & differẽtiâ soni tenuis: qualem nunc dicit stridere: quod Græcè videt enunciari λιλαίζειν propriè de aquis inter fluxum leniter sibilantibus.

Stridere.] Hoc verbum est hîc coniugat: primę in *am*, alibi tamen reperitur secundæ in *bo*.

Redde age.] Id est, narra & memora, quæ præterea videris digna risu, & tanquam acceperis credita, nunc iam, quasi cedente die, redde.

Quæ deinceps risisti.] Hoc aduerbium videtur potius consequutionis esse pro *præterea* quàm ordinis pro certo loco propositæ alicuius partitionis: hac voce, quæ per synæresin est dissyllaba, non vsus creditur Virg.

Quærit.] Id est, pueros percontatur de statu lagenæ post aulæorum ruinam, cum illa esset fracta. De voce lagenæ dicetur, si Deus voluerit, Epist. 2. l. 2. Hæc synaxis, quærere de pueris, ambigua est, vtrum de statu illorum, valetudine, opere, profectu, an de recta rei alicuius cognitione intelligendum sit. Ita Cice. tamen loquitur 4. Academico. *quæsiuit de Zenone fortasse, quid futurum esset*: & Livius 4. ab Vrbe, *quære de te*, pro, a Zenone, abs te, vel ex te.

Ridetur fictis rerum.] Hoc verbum ἀπροσώπως potest accipi, pro, risus mouetur, vel παθητικῶς, Nasidienus ab omnibus conuiuis irridetur propter fictam & simulatam, id est, falsam epularum & condimentorũ laudationem, quę tali commendatione indignissima erant. *Fictis* hîc substantiuè, sicut Sat. 2. huius libri, *vanis rerum*, vt Grammatici loquuntur, debet accipi.

Balatrone secundo.] Imitante & approbante tale ludibrium. Gall. *Balatro secondoit bien les autres a se mocquer de ce beau fayseur & baillieur de superb.*

Vt arte.] Allusio videtur ad Platonis cõparationem, quem Plutar. scribit dixisse, vitam humanam ludo aleatum similem, in quo quod cecidit dextrum, eo rectè vti decet: quod sinistrum, arte & consilio corrigendum: quò respexit Terentius Adelph. Act. 4. Scen. 7. *ita vita est hominum, quasi quum ludas tesseris.*

Mazonomo.] Μαζονόμον vox Græca est quæ μαζονόμιον dicitur, & definitur a Poll. l. 6. c. 12. *λοῖλος, ἢ μεγάλος πίναξ, ἐφ' οὗ τὰ μάζας διενέμοντο ξύλινον ἢ λίθιν, cauus & magnus discus*, vel lanx, *quâ distribuebantur alimenta ex lacte & frumento*, vnde nomen invenit: quo etiam vtitur Varro lib. 3. cap. 4. de re rustica, *alios videret in mazonomo positos coctos*. Hîc interpretantur prægrandem lancem. De grue. Epo. 2.

Iecur anserinum.] Quod Oribasius vocat συκωτὸν ἥπαρ, id est, esu ficum auctum & præparatum: quod veteres duxerunt in summis delicijs. Aetius quoq; lib. 2. cap. 127. commendat iecur quorumlibet animalium ficis siccis nutritum, in quibus sues ponit: Sed de anserum generibus vide Plin. l. 10. c. 12. Columellam l. 8. c. 14. Has aues Græci χηναῖς vocant παρὰ τὸ χάινειν, quòd magno rostri hiatu & edãt voraciter & homines ipsis appropinquantes persequantur, ὅτε ἢ θρασυνόμενοι ἢ δειλιῶσι quum aut irritantur aut timent vt annotat Eustath. Ἰλιαδ. β. paulò ante Catal. nauium, & illarũ pastores χηνοβοσκοὺς.

Leporum armos.] Hæ feræ partes sic commendauit Catius Saty. 4. huius libri.

Quis edit.] Pro edat, vt alibi annotauimus in hoc Poeta. de palumbibus sic Plinius lib 10. cap. 15 quod ad ipsorum cantum attinet, is omnibus est similis, atque idem terno conficitur versu, præterquàm in clausula, hyeme mutis, vere vocalibus: propriè autem palumbes dicuntur minurrire, vt Ælius Spartianus scribit his verbis, *familiare Getæ Antonino has quæstiones Grammaticis proponere, vt dicerent singula animalia quomodo vocem emitterent, velut, agni balant, porcelli grunniunt, palumbes minurriunt, vrsi sæuiunt, leones rugiunt, leopardy rictant, elephanti barriunt, ranæ coaxant, equi hinniunt, asini rudunt, tauri mugiunt, easdemq; de veteribus approbare.* Videtur tamen Virgilius in Tityro tribuere gemitum iuxtà palumbibus, atque turturibus, contrà Ouidius elegiâ de vocibus auium dicit τὸ *gemere* magis conuenire posterioribus & columbis,

Et Cissus turtur atq; columba gemunt.

de carne autem palumbina lege quoque lib. 39. cap. 12. Plinij de qua sic Martialis fecit lib. 13.

Inguina torquati tardant, hebetantq; palumbi,
Non edat hanc volucrem, qui cupit esse salax.

de hac aue iam nonnihil attigimus Ode 2. l. 1. & 4. l. 3.

Quem nos.] Hoc intelligendum est de lectis conuiuis solùm, vmbræ enim largioribus poculis conuiuatoris sordes vltæ fuerant.

Vt nihil omninò &c.] Hoc Gallicè reddas, *telement, que nous n'auons aucunement rien gousté de ces viandes, comme si vne sorciere les eusthalenne & touchee de son vent & haleine, plus venimeuse que celle vne vipere d'Afrique.*

Explicatio Rhetorica.

DVbitatur hîc, vtrùm verba propriè, an translatè sumenda sint: proprietatem videtur tueri materia iræ, quæ existit maximè è feruore bilis, vt hęc alitur & augetur inedia, vnde Ouidius 15. Metam. dicit, *ieiunia ventris voraci placare*, pro sedare famem: sed quum Philosophi definiunt iram animi commotionem vltionis cupidam: hinc sumptum verbum ad corpus transferri videtur, vnde dicit Epod. 2. *Nec horret iratum mare.* Proprie autem dicit Cic. 2. de leg. *iratos Deos placare donis, sanguine, ture &c.*

b Altera est dubitatio synecdochen, ne integri pro membro apti, an ipsum integrum hîc intelligantur.

Ferunt

Ferunt enim a Seruio Rullo Romanorum primo vni mensæ integrum aprum olim appositum fuisse, vnde Iuuenalis in huiusmodi conuiuatorem hoc fecit:

——*Quanta est gula, quæ sibi totos*
Ponit apros!——

c Synecdoche est generis pro Nasidieno Rufo deipnopœio, qui mox simili tropo dicetur herus, parochus, conuiuator.

d Similis est tropus pro raphanis: similis quoque est in Attica virgo pro Canephora.

e Accessus est ad prosopopœiam Nasidieni excusationis caussâ.

f Exclamatio est Poetæ deridentis conuiuatorem miserè diuitem, qui diuitijs suis appositè nesciat vti: vbi prætereà accipe miseras per metonymiam effecti pro efficiente possessorem miserum: vt Ode 24. lib. 3. dixit *improbas diuitias crescere*, pro impellentes ad improbitatem: simili tropo dicet in Epist. ad Pisones *miseram artem*, quòd ipsius perceptio laboriosè discentes exerceat: quidam tamen sermonem esse putant Nasidieni, Mæcenati opes suas eleuantis.

g Metaphora est a corporibus, quibus vmbra indissolutè adhæret ad notandam comitum epularium adiunctionem: similis est tropus Epist. 5. *locus est & pluribus vmbris.*

h Apparatus est lenis ad prosopopœiam Vibidij, exhortantis sodales ad compotationem copiosiorem.

i Metaphora est catachrestica a sonis, qui quum fractiores sunt & tumultuosiores, obtundunt aures, quod est exsurdare, ad sapores, quorum crapula hebetat gustatum & infuscat vim.

k Rursus Nasidieni prosopopœia interponitur ad commendationem epularum.

l In *prima*, potest esse metaphora a principatu ad significandam olei excellentiam & bonitatem, & in *cella* synecdoche generis pro cella olearia. Potest etiã sumi hoc vtrunq; pro oleo primæ expressionis.

m Synecdoche est generis pro Scombro, è quo macerato & liquato fiebat optimum garum: quod Sociorum garum dicebatur, cuius meminit Plin. l. 9 c. 17. Item l. 31 c. 8. & l. 32. c. 7.

n Quod acetum factum erat ex acore vini Lesbij: itaq;, *vitio* dicitur per synecdochen generis pro acore, & vua pro vuis & racemis Lesbijs, & hæc per metonymiam materiæ pro vinis inde expressis.

o Synecdochica est periphrasis orcæ Byzantiæ.

p Hoc casu deposita est prosopopœia Nasidieni: ideoque Fundanius narrationem resumit. *Immaturus* dicitur translatè a fructibus nondum maturis.

q Duplex est personæ inductio, vbi primum Nomentanus facetè irridet Rufum: deinde Balatro idem facit, sed pluribus.

r Nota est metaphora a corpore, quod vt spoliatum patet oculis omnium; sic natura hominis & ingeniũ bono vel malo rerum successu arguitur.

s Inducitur tertiò Nasidienus.

t Apostr. est, vbi Vibidij sermonẽ auertit ad Rufum.

u Synecdoche est generis pro Nasidieno narrante, quod certè satiùs fuisset taceri.

x Synecdochicũs quoq; dicitur pro impurissima muliere & venefica, quam Poeta ex odio plus quàm Vatiniano iam in prouerbium traduxerat, vt Epod. 3. v. 7.

Finis libri secundi Satyrarum.